This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

19.345

Rd. June, 1884.



The Gift of
Prof. G. M. Lane,
of Cambridge.

26 June, 1882.

JOHANNIS HENRICI VOSSII

COMMENTARII

VIRGILIANI.

IN

LATINUM SERMONEM

CONVERTIT

Dr. THEOD. FRID. GODOFR. REINHARDT.

PARS I. SIVE ECLOGAE I—V CUM COMMENTARIO.

LIPSIAE ET PARISIIS,

APUD BROCKHAUS ET AVENARIUS.

MDCCCXXXVIIII.

VERTRAG VOM 13 MAI 1846

Lv 19.345.

JUN 26 1882

Gift of
Prof. G. M. Lane,
of Cambridge.

ABRAHAMO

EICHSTADIO

S.

QUI
A CIVIBUS NATUS
IN ALTO LOCO VIRTUTE NOBILIBUS
ET
IN DISCIPLINAM TRADITUS
EGREGIIS MAGISTRIS
MOX
SPLENDORE TUO
NATALES
LAUDE TUA
FAMAM SUPERAVISTI
PRAECEPTORUM
PER PLURES AETATES
TUO LUMINE
LITERAS
AUCTORITATE TUA
ILLUSTRANS
JENENSEM ACADEMIAM
AD QUAM
QUUM OLIM
SPRETUS EGO DERELICTUSQUE
VENISSEM
MEAM JUVENTUTEM
TUO PATROCINIO
FIRMASTI

ET
AD PRAECLARAM ME
DIGNITATIS HUMANAE
TUIS CONSILIIS
EREXISTI
SPEM
QUAE
POSTQUAM ABIIT
TUA TAMEN
EX ANIMO MEO
NUMQUAM ABIBIT
MEMORIA.

D. D.
EDITOR.

E C L O G A P R I M A.

T I T Y R U S.

Meliboeus. Tityre, tu, patulae recubans sub tegmine fagi,
Silvestrem tenui Musam meditaris avena.
Nos, patriae fines et dulcia linquimus arva,
Nos patriam fugimus! Tu, Tityre, lentus in umbra,
Formosam resonare doces Amaryllida silvas.

Tityrus. O Meliboee, deus nobis haec otia fecit;
Namque erit ille mihi semper deus! Illius aram
Saepe tenèr nostris ab ovilibus imbuet agnus!
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti.

M. Non equidem invideo; miror magis. Undique totis
Usque adeo turbatur agris! En, ipse capellas
Protenus aeger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco;
Hic inter densas corulos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah! silice in nuda connixa reliquit.

JOHANNIS HENRICI VOSSII

COMMENTARII VIRGILIANI.

37

IN

LATINUM SERMONEM

CONVERTIT

Dr. THEOD. FRID. GODOFR. REINHARDT.

PARS I. SIVE ECLOGAE I—V CUM COMMENTARIO.

LIPSIAE ET PARISIIS,

APUD BROCKHAUS ET AVENARIUS.

MDCCCXXXVIII.

VERTRAG VOM 18 MAI 1846.

Lv 19. 345.

JUN 26 1882

[illegible]
Prof. G. M. Lane,
of Cambridge.

ABRAHAMO

EICHSTADIO

S.

QUI
A CIVIBUS NATUS
IN ALTO LOCO VIRTUTE NOBILIBUS
ET
IN DISCIPLINAM TRADITUS
EGREGIIS MAGISTRIS
MOX
SPLENDORE TUO
NATALES
LAUDE TUA
FAMAM SUPERAVISTI
PRAECEPTORUM
PER PLURES AETATES
TUO LUMINE
LITERAS
AUCTORITATE TUA
ILLUSTRANS
JENENSEM ACADEMIAM
AD QUAM
QUUM OLIM
SPRETUS EGO DERELICTUSQUE
VENISSEM
MEAM JUVENTUTEM
TUO PATROCINIO
FIRMASTI

mitiores, prudentiores certe reddat in vero commodo aestimando.

6—10. Quae causa sit, cur, anxiis aliis de imminente periculo, ipse securus neque cantu desistam, neque pascendo? Deus aliquis praedium *nostrum* ab omni periculo tutum praestitit. — Deum appellat laetus senex mire dilatata oratione Caesarem Octavianum, cui inter *Lares* privatos postea sive Deos familiares prima quaque Luna thus v. 43 et festis diebus insignioribus agnum saepe sacrificaturus sit ob praedium servatum. Homines inter Deos relati Graecis Heroes, Romanis *Lares* dicebantur, modo a singulis, quod hic legimus, modo culti ab universa civitate. Inter hos *Lares* publicos Julius Caesar habebatur Deus factus V, 67, inter eosdemque Caesar Octavianus relatus est primum Sexto Pompejo devicto voluntate urbium DCCXVIII ab U. C., et postquam summa imperii potitus erat DCCXXIV et DCCXXV ab U. C. ipsius Senatus auctoritate, ut Horatius IV Od. 5, 33 cecinerit:

> Te multa prece, te prosequitur mero
> Defuso pateris, et Laribus tuum
> Miscet numen, uti Graecia Castoris
> Et magni memor Herculis.

Hi dii domestici, sigillis vel ligneis, vel lapideis vel aeneis expressi, aut focis imponebantur, armario quodam (*aede*, *larario*) conditi, aut in nocturnis nobiliorum cubiculis servabantur, et peculiaribus sacrariis, *Larariis* dictis, quorum duo habebat Alexander Severus, majorum gentium alterum, Abrahami, Christi, aliorum; alterum minorum gen-

tium, Platonis, Ciceronis, Virgilii. Gravioribus in rebus placabantur fere Lares vel porco caeso, vel agno vel vitulo: Porci, qui decimo a partu die secundum Varronem, secundum Plinium quinto purus (*sacris*) habebatur, vilius fuisse videtur sacrificium, quod etiam *rustica* Horatii Phidile praebere potuerit. Ita Tibullus quoque, qui libenter ac saepe de simplici rusticae pietatis sacrificatione narrat. I El. 10, 15:

Sed patrii servate Lares: aluistis et iidem
 Cursarem vestros quum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse a stipite factos;
 Sic veteres sedes incoluistis avi.
Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
 Stabat in exigua ligneus aede deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam
 Seu dederat sanctae spicea serta comae.
Atque aliquis, voti compos, liba ipse ferebat,
 Postque comes purum filia parva favum.
At nobis aerata, Lares, depellite tela:
 Hostia erit plena rustica porcus hora;
Haec pura cum veste sequar, myrtoque canistra
 Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.

Eximium *agni* sacrificium erat, quem ipso die octavo Plinii exempla manu scripta purum fuisse tradunt, splendidissimum vero vituli, qui die tricesimo purus erat. Agris ab Octaviano inter milites divisis ad parvum agellum Tibullus redierat, et festo *ambarvalium* die in verna agrorum lustratione agnum mactat pro pristino vitulo I El. 1, 19:

Vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri
 Custodes, fertis munera vestra, Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat caesa juvencos:
 Nunc agna exigui est hostia magna soli.

Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet: Io messes et bona vina date.

Agno, quo non habebat ampliorem Tityrus, quam benefico Lari caederet, victimam, ipsius praedii mediocritatem Virgilius significat. Caesae supra flammas hostiae sanguis *imbuebat aram* (Lb. IV, 542), cui altaria V, 66 superimposita erant ad exta adolenda v. 43. *Nostra* ovilia, *meae* boves more servientium dictum est, quemadmodum Moeris IX, 11 etiam carmina domini *nostra* dicit. Indene factum est, ut cana barba Tityrus ipse Virgilius putatus sit? *Ludere*, jocari, arte musica, facili cantu et saltatione VI, 28 delectari; apud Graecos quoque παίζειν et παιδιά de saltatione et cantu (Hom. Od. VI, 100. Athen. I, 11 p. 14); sed remoto levitatis sensu, qui in nostro *spielen* saepe accedit. Delectatio enim et per se, et quod seria ad negotia inde reficiamur, dignitatem habebat. Ipsius animi exercitationem ludum appellabant Romani i. e. jocum, et cum Graecis scholam i. e. otium, quod comis in ea humanitas iis proposita erat, non tristis pecuniae conquisitio.

11—18. Non invidet quidem Meliboeus Tityri securitati, sed non satis tuta ea videtur. Miror, quod, quum omnes fugam intendant, etiam de coelo moniti simus, tute in hac totius agri perturbatione quiescere possis et grex tuus. An falleris? aut quisnam est ille Deus, qui ita te securum reddat? — Meliboeo quum cum grege suo etiam nunc aufugere liceat, isque etiam Tityrum de salute moneat, vicus Andinus nondum, ut opinio est, in veteranorum mi-

litum potestate esse poterat. Nam non agris solum et domibus pristini possessores exuebantur, sed etiam servis spoliabantur, sine quibus illorum possessio nullam habebat utilitatem et omnibus, quaecunque ad res rusticas pertinerent. Quae res, nisi per se jam satis intelligeretur, ex ipsis Dionis Cassii verbis pateret; imo proximo anno quum Virgilio fundus adimeretur, remanebat Moeris IX, 2 et adventitio domino gregis fructum Mantuam afferebat. Ita potius res se habere videtur. Extremo anno DCCXIII quum inter L. Antonium et Octavianum Caesarem bellum Perusinum exoriretur, legatos Antonii, Asinium et Ventidium e Gallia Lucio subvenisse, Appianus auctor est; vero, ab ulteriore itinere a Caesare prohibitos, Ravennae et Arimini substitisse. Inde igitur ab hoc tempore vacabat regio Transpadana ab omnibus copiis armatis, et quae vix adhuc coercita fuerat veteranorum militum Cremonensium impotentia, ea nunc demum summo periculo in vicinitatem imminebat, et mox vere invasit IX, 2. Modo intraverat Mantuanum agrum, et *totis agris* Andinis trepida fuga *turbabantur*, qui instrumentum saltem et supellectilem rusticam ab ingruentibus praedonibus servare studebant. *Turbatur* i. e. homines turbantur et quae ad homines pertinent, majorem vim habet et latius patet et a Quintiliano legebatur et praeferebatur a Servio tenuiter dicto *turbamur*, quod est in libro Hafniensi A. Hac in demigrantium turba, Meliboeus pergit, *ipse* intersum: animo *aeger* (Lb. I, 237, IV, 464 non corpore) procul hinc capellas *protenus* ago. *Protenus* sive *protinus* ex *porro tenus* de loco

prorsum, quemadmodum in Ciceronis Divin. I, 24 Hannibal a Deo jubebatur, *pergere protinus*, uno et perpetuo tenore procedere, quid retro fieret non laborans; et Aen. X, 340 *protenus hasta fugit;* tum *continua serie* Aen. III, 416 *quum protinus utraque tellus una foret;* tum *longe* Plin. V, 10 *lacus protinus stagnans:* de tempore denique, quae verbi potestas est usitatissima, *deinceps* Lb. IV, 1, Aen. VII, 601. Hor. III, Od. 3, 30 et *statim*, *primum* (quum). Plin. XVIII, 44 *protinus cum defloruere. Haec* ita laborat, ut vix eam cornu ducere possim. *Hic* (loco demonstrato) *densa* in umbra, nullo solis fomento, *gemellos* modo procreavit, nuda in silice, nullo stramento, et, eheu! spem gregis, reliquit. Caprae bis anno pariebant, primum Martio mense, tum hieme propinqua III, 34. VII, 9. Lib. II, 150; haec etiam geminos, quod miserationem augeat. *Connixa*, partum enixa acri dolore. *Silex* saxum firma duritie. Suet. Cal. 37 *rupes durissimi silicis;* Aen. VIII, 233 *stabat acuta silex:* quem vulgaris sermo virilis sexus esse voluit lapidem, eum feminei fecit Virgilius, vetustatis auctoritatem sequens, ut, *haec palumbis*, *hic stirps* Quintil. I, 6, 2. *Laevum* Romanus dicit *perversum* de imbecilli sinistrae tarditate, quae omnibus linguis imbecillis appellatur. Ut malum omen legentes intelligamus, satis esse videatur, quod iratus Jupiter ne a suis quidem quercubus tonitru retinuerit. Sed non id agitur, ut simplicissima ratione, sed ea ratione ut haec res explicetur, quae rusticae Romanorum superstitioni maxime conveniat.

Refert igitur Pomponius ex deperditis Grammaticorum libris, quum fulmen icit arbores fructiferas, omnino malum aliquod eo portendi, quum oleas, frumenti inopiam, quum quercus, exsilium. In plerisque et vetustissimis libris MSS., itemque in tribus Hafniensibus A. B. C. deest versus: *Saepe sinistra* — qui, non dubitari potest, quin ex IX, 15 ad marginem transscriptus irrepserit. *Sed tamen*, quamquam et portenta et eventus reddere te debeant sollicitum, dic mihi, quis *iste Deus* sit. *Iste* salse dictum ab diffidente verbis alterius. *Qui* pervetustum p. *quis*. *Da* eleganter et exquisite dictum pro *dic*, quemadmodum apud Statium *datur*, apud Euripidem δος, ad quae respondetur *accipe*.

19—25. Quod novus Lar Caesar sit Octavianus, non brevi Tityrus expedire potest, sed paulatim id explicat oratione ita dilatata, quemadmodum rusticorum senum loquacitas eam dilatare solet: Romam adii, magnam urbem, quae amplior est, quam ut intelligi possit, a domino, qui ibi morabatur, senectutem meam liberaturus peculio, quod nuper collectum Amaryllidi debeo, itaque illum juvenem vidi, quem inter Deos domesticos continuo habebo, et divinitus decretum accepi, otium nobis futurum esse. Veterum Bucolica veritatem imitabantur, quam modica arte illustrabant, neque simulabant illas delicias, quas de Arcadia hodie simulare solemne est. Illa *urbs*, cujus inter nos interdum nomen certe auditur. Narrationis tarditatem ipsius numeri tarditas imitata est. *Urbem*, *quam dicunt Romam*. *Nostrae* similem, urbi Mantuae. Quo *pastores* (ipse, bu-

bulcus, de minore foetura gregis sui, *peculii*, v. 33). *agnos* saepe venales *depellimus*. Mantua prope ripam erat Mincii in lacum diffusi, ex tertio inde milliario vicus Andinus erat situs in jugo montis, unde campus v. 48 et pascua publica III, 111, VII, 6—13 ad Mincium descendebant, et via, quae ad Mantuam ferebat IX, 57—59 medio itinere ad ripam sese flectebat. Itaque cum Camerario, Cerda, Ruaeo depellere intelligimus de deorsum pellendis, qua prima potestate hoc verbum est apud Silium IX, 396 et Plinium II, 78; *deducere*, quod alii libri exhibent, eadem sententia margini adscriptum fuerat ad γλωτταν explicandam. *Depellere* ut de agnis intelligeret a lacte depulsis (7, 15), *quo* in *quoi* s. *cui* Burmanno mutandum erat, et ne sic quidem *a lacte depulsis solemus* ita convenit, quam, quod saepe fiebat, *deorsum depulsis*. Columella VII. 3 (ed. Schneid.), pastores remotiorum locorum cunctam fere foeturam pastioni retinere, auctor est; sed, urbe propinqua, teneros agnos laniis tradi solere, et, quo facilius possint auferri, priusquam in pascua exierint, simulque ne matrum lac pereat; sed fieri non poterat, quin etiam ii traderentur, quos jam *pellerent* et non lactentes amplius et *pastu opimi* v. 33, II, 21, hic loci imprimis, ubi pecuaria rei rusticae erat amplissima Lb. II, 198, et urbs, cui veniret quotidie, ita propinqua. Tamen propter agnorum, qui pastu carebant, frequentiam in vilibus cibis agninam cum omaso conjunctam habemus apud Horat. I Ep. 15, 34. Romam Mantuae putaveram ita dissimilem, ut praeter amplitudinem (recte) comparari pos-

sint, tamen ut altae cupressi robur lento viburno, ita Roma caeteris urbibus parum recte confertur, tanta ac talis est. *Viburnum* (Schlingbaum, Wegeschlinge, kleiner Mehlbaum, Faulbaum, la viorne) *Viburnum Lantana L.* frutex inter sepes et propter vias proveniens, sex ad duodecim pedes altitudine aequans, cujus lentis ramis ad sarmenta colliganda rustici utuntur; foliis subviridibus, ulmeae frondis haud dissimilibus, sed angustioribus ea, et striatis incisuris distinctis: cujus e pallidis floribus, qui e muscariis (umbellis) dependent baccae flavae fiunt, quae mox rubescunt, postremum nigrescunt. *Cupressus* semper virens Lb. II. 84, 443, arbor silvestris meridianae plagae in altissimas metas fastigata, quae materiam praebet firmissimam.

26. Virgilii fautorem, Asinium Pollionem, deum Meliboeus putare videbatur, qui jam opem ferre non posset amplius. Ita, quae de Roma narrantur, commovent Meliboei suspicionem, ne forte ipse Caesar Octavianus intelligendus sit. *Et quae* scripsit Virgilius; *ecquae causa* esset *num aliqua:* quemadmodum apud Plautum Stich. I. 1, 32 *quid agant, ecquid agant, quid sit quod agant, num quid agant.*

27—35. Turbae quum de agris dividundis cierentur, praedium paternum ut servaret Virgilius, una cum suis Romam adierat, ita principio anni, ut, quum fruges maturescerent v. 37, pecuniam Amaryllidis diligentia collegisset Tityrus, qua e servitute sese redimeret. Itaque Romam propere adiit, ut a sene Marone, Virgilii patre, vindicias impetraret secundum

libertatem, ne, si quando veterani ex agro Cremonensi milites irruissent, novus dominus aut recusaret, aut iniquis eam obstrueret difficultatibus. *Libertas* Dea erat Romanis, quae ex veterum opinione *referret aspectum* ad supplices, et *propius eos veniret*. *Tamen respexit — respexit tamen*, quod iteratum lectorum pellat animos, hominem declarat, cui, quod diu frustraque ardenti studio expetiverat, et vix amplius speraverat, postremum, postremum tamen! obvenit. *Iners* ignavus, segnior, infirmus — aeger, quemadmodum apud Tibullum *iners aetas*. Fieri solebat, ut servi de peculio in libertatem se vindicarent pretio vix mediocri, quod interdum antea pacti fuerant, qua de re Lipsius agit ad *Tac. Ann.* XIV, 41 et Taubmannus ad *Plaut. Aul.* V, 8. Servitutem, Seneca inquit ep. 80, mancipia quoque conditionis extremae, et in his sordibus nata, omni modo exuere conantur; peculium suum, quod comparaverunt ventre fraudato, pro capite numerant. Captivos frugi et diligentes non quinquennium fere amplius servitutem perpeti solitos esse, Cicero dicit *Phil.* VIII, 11. Barbam tondere, quem Graecos morem Alexandri tempore Chrysippus philosophus *Athen.* XIII, 2 s. 18. testis est accepisse, quamquam Timotheus etiam tum tibicen ingenti barba canebat, Graecis tonsoribus e Sicilia advectis anno CCCCLIV Romani consueverant, et ad Hadrianum usque manebat consuetudo Augustum, qui, naevos oris ut tegeret, barbam promittebat. Hujus usque ad aetatem, quicumque urbanitatem aliquam sequerentur, raso fere conspiciebantur mento, laetique barbam juvenibus gratulabantur, quem festum diem XXI

anno agere soliti sunt. Aut levigabant barbam *radendo novacula*, aut *tondebant forcipe* (volsella), quae radicitus, teste Sidonio, pilum tolleret: quemadmodum etiam nunc inter Judaeos velli barba consuevit. Utraque supellectile coram Archelao, Macedonico rege, loquax tonsor rogans aderat, qua tonderi vellet? Tacendo, inquit rex. Habebant autem fere locupletes huic operi aut singulos servos aut puellas destinatas. Verum cum alii tum homines rustici VIII, 34. non tam radere barbam, quam plus minusve eam praesecare solebant: quare Rullus tribunus, Ciceroni adversatus et humiliorum hominum vestitum blandiendo imitatus, capillatior incedebat barbaque majore *Cic. c. Rull.* II, 5. Quod majus est, Seneca (*ep.* 114) reprehendit homines aliquos delicatos, qui inepte, ut conspicerentur, aut vellerent barbam, aut intervellerent: qui labra pressius tonderent et abraderent, servata et submissa caetera parte. Humilis quoque, qui vel in honore erat inter primos Christianos, animus calceamento nullo Ep. Myth. I, 21., barba neglecta tenuitatem vitae simulare voluit. Clemens quidem Alexandrinus *Paed.* 3. suis auctor est, ut, leonum exemplum sequuti, vera integraque barba graves prodeant, quam ne novacula radant, diligenter cavendum esse, pilis tantum forcipe praecisis, qui supra labra impedimento sint, quemadmodum mollis ille apud Senecam instituerat. Ita eodem modo rasum tum temporis mentum disciplinam nostram dedecebat, quae ante hos centum annos adventiciis crinibus caput praetexere nostris in religionem venerat, aut nunc innatos suos nodis restringere. Sub hac

forcipe, unde pili linteo excipiebantur, cum Martialis juvene canum Tityrum esse, cogitandum est *epigr.* XI, 39:

Jam mihi nigrescunt tonsa sudaria barba,
Et queritur labris puncta puella meis.

Tondere dicitur et qui ipse se tondet, et qui ab aliis se tondendum curat: ut *lavare*, aqua se perfundere Lb. III, 312. Divortia tum temporis cum inter liberos conjuges facili negotio fiebant; tum faciliori etiam servorum contubernia dirimebantur, quam ad rem nihilo fere nisi domini consensu opus erat. Villicam vult Columella (XII, 1) idoneam, juvenem esse, integra valetudine, nec foedo habitu, nec specie ita pulcherrimam, ut desidiosum faciat contubernalem suum: a vino, ab escis, a superstitionibus, a somno, a viris remotam, diligentem, parcam et assiduam. Tityrum utraque quidem, quam dominus ei contubernalem dederat, *captum habebat* venustate; frugi autem fuit tantum altera. Galateae enim securitatem, quae diligentia acceptam *rem familiarem*, libertatem ut optare licuerit, augere neglexerat, vitii et sibi ipse fatetur fuisse principium. *Peculium*, parva res, quam servis dominus Varr. I, 2, 17, pater liberis daret, ut sibi eam haberent: cujusmodi oves *peculiares* Plautus *Asin.* III, 1, 37, Varro L. L. 4, 19 p. 28 ed. Bip. *peculatorias* dicit; tum pecunia, quam inde aliquis collegerit. Quare contemtim sollers acquirendi studium, quod omni nos humanitate exuat, *aerugo* dicitur ab Horatio *A. P.* 330 et *cura peculi*, id est tristis pecuniarum conquisitio, quae aerugine obducat animos; quod quam parum juvet juvenilis institutionis

novitios hos magistròs! Plurima quamvis Tityri ex septis Mantuam exiret vel vitulinae vel agninae caeteraeque foeturae saginata victima, pinguesque casei quamvis venales promererentur Lb. III, 400; nunquam hujus rei gratia verumque praemium ab urbe ei persolutum est: nimius enim, quem Galateae luxuriae impendebat, sumtus, ut sine pecunia fore domum rediret, effecit. Quod secus instituerat in Virgilii *Moreti* v. 80 Simuli parsimonia:

— — — — nonisque diebus
Venales olerum fasces portabat in urbem;
Inde domum, cervice levis, gravis aere, redibat,
Vix unquam urbani comitatus merce macelli.

Victimae, quibus gratia referebatur Diis Lb. II, 147, pastu pecudes opimae erant, Hor. Od. III, 23, 9. IV, 2, 55: ita ut apud Plautum *Pseud.* I, 3, 95 vili sacrificio *victima* opponatur. Quare Tityrus obseptis eas pascebat pascuis; nam *septa* a Varrone I, 14 et vivae et quae non vivunt sepes, terrei aggeres et muri dicuntur. Ipsi *victimae* quum pinguetudinis potestas insit, *pinguis*, ut *caseo* ornamento sit, reservandum est. *Ingratam* maledicens incusat urbem pueriliter iratus, quasi sedulo ea gratiam negaverit. Simul confessione illa Maro excusatur, quod probo Tityro tam diu libertatem recusaverit, donec mercede accepta eam venderet. Prudentius etiam nos de ascriptitiis colonis instituerēmus, ut, magis ad humanitatem exculti, peculio aliquo diligenter augendo libertatem mererent, quam ut, qua facti sunt perpetuis contumeliis pigritia et inertia, ad primas eos et infirmas detruderemus rerum humanarum origines.

36—39. Jam intelligo Amaryllidis tristitiam, cur *moesta* Deos in vota vocaverit, cuique maturos in arboribus fructus servarit. Tityrus aberat; omnisque tua res tuam operam desiderabat, et horti et pascua et agri. Ejusdem pagi incola, quocumque in loco peculium Amaryllis conjugis custodiebat, tristem Meliboeus viderat: eadem vicinitate etiam naturam cognoverat fundi Maronici v. 47, eque montis jugo v. 71 campum suum desertum demonstrabat. *Dii* veterum, ut qui procul abessent, alta prece, saepe clamore tantum advocabantur Lb. I, 347. *Fruges maturescebant* extremo fere Julio post ortum Caniculae IX, 49. *Pomum* omnis fructus arboreus, nec mala tantum. Ut apud Theocritum IV, 12 armenta tenentur absentis pastoris desiderio:

Mugitu vitulae quaerunt revocare bubulcum:

ita hoc loco horti, pascua et agri Tityri resonant desiderio, quod Amaryllida habet et paucam ejus foeturam; cf. X, 13—15. *Pinus*, *Pinus Pinea L.*, cum propter fructum et amoenitatem, tum quod ceram apibus et erythacen praebebat, in *hortis* habebatur VII, 65. Lb. IV, 112. *Fontes* vici Andini indicant pascua, quae Mincii palustris ad prata silvestribus e collibus IX, 7 descendebant, et vel calore aestivo vel priusquam herba metebatur irrigabantur III, 111. Hos ad fontes, ut meridianum solem vitaret, umbra Amaryllis cum pauco grege suo consederat, Tityro tam procul absente v. 52. *Maritatis arboribus*, *arbustis*, ulmis imprimis, agros conserebat Virgilii patria Lib. II, 273. 290, quos agros, mediis inter arbores spatiis vicenûm ad quadragenûm pedum, seminibus

conspergebant et pecore post messem obibant Lb. II, 303.

40—45. Ad Amaryllida quidem et ad rem meam remanere volebam; tamen Roma mihi adeunda erat, ut, priusquam Andes, quod instabat, occuparetur, libertatem ego impetrarem et dei tutelaris de praedio domini praesens audirem judicium. — *Divi praesentes*, qui inter homines versantur manifesta sua specie et potentia; coelestes contra v. 30, precibus demum acciti, opitulaturi subveniunt Lb. I, 10. Caesarem ibi Octavianum reperiebat *juvenem*, deum propitium, qui, A. U. 690 Cicerone consule natus, annum aetatis nunc ipsum agebat vicesimum tertium. Cum aliis diebus festis, tum prima quaque luna *Laribus* familiaribus v. 7 a foci fumo purgatis et cera nitidis, rore marino, myrto et floribus coronatis, munus offerebatur, quale res familiaris sacrificari sinebat, thuris aliquid, mola salsa, primitiae frugum, lac, oleum et sectilia de sacris epulis frusta in lance sacra, *patella*, posita; gravioribus vero in rebus porca, agna, raro vitula. Horat. III od. 23:

Coelo supinas si tuleris manus,
Nascente Luna, rustica Phidile,
Si thure placaris et horna
Fruge Lares avidaque porca.

Et Tibullus I, 3, 33:

At mihi contingat patrios celebrare Penates,
Reddereque antiquo menstrua thura Lari.

Cato priscus 143 Kalendis, Idibus, Nonis, festus dies quoties sit, coronam in focum villicam indere, et Larem familiarem pro copia, quaequae sit, honorare ju-

bet. *Altaria* sunt, in quibus victimae adolentur V, 66. Ille adolescens *responsum mihi dedit petenti*. Itane ipse Caesar Octavianus cum sene rustico colloquutus sit? Vix credibile. Sed *deus* tamquam *tutelaris* hoc ille oraculum edidit, id est, seni interroganti, quaenam fortuna praedio instaret, dominus vel senex vel juvenis, oraculi quasi interpres, ὑποφήτης, indicavit, Caesarem praedium servaturum, et liberto, sed pretio inde conducto, etiam in posterum boves pascendos esse. *Responsa petere*, Deos consulere, Aen. VII, 86 de Fauni oraculo dicitur; sed removendae sunt graviores nostrae de diis et oraculis sententiae: nam divinitus edictum, *responsum*, etiam quotidiana in vita quidque dicebatur, quod eventum aliquem portenderet, quae portenta singulis fere diebus accidebant. Isti responso Tityrus et ipsi oraculi speciem induit. *Pueri*, magister pecoris et socii. Hodie quoque nostros inter exercitus sociosque navales pueritiae gratia et titulo etiam senibus blandiuntur! *Pascite* gregem et educate vitulos, qui gregem suppleant; neque anxii sitis de praesente nec de futuro tempore. *Submittere*, novam progeniem alere Lb. III, 73. 159. Numquam *submittere mares* pro *admittere* dicunt; etiam apud Nemesianum *cyneg.* 114 *marem submittere* idem est, quod apud Varronem II, 3 *mares ad admissuram submitti solent*.

46—50. Ipsum Caesarem Octavianum, quum Meliboeus audiat, praedium Maronis servare, fidem habet. Igitur uterque et is, qui fugit, et is, qui remanet, quod summum erat carminis propositum, uno

ore consentiunt: Caesar et potest opitulari et opitulabitur! Novum periculum quamvis magnum sit, quod Mantuae instet, huic communi tamen ille fiduciae ita non verba dedisse poterit, ut sperare liceat, etiam amplificata tutela, eum eos recipere, qui prope absint infelices. — O fortunate, ergo tu vere habebis rura tua? i. e. dominus sua habebit. *Parva* sunt et *macra*, sed *tu* i. e. *vos*, quae vestra est abstinentia, iis contenti estis! Studiose Virgilius, et quo magis ei fidem habeant, aliena oratione ejus, qui, agelli vicinus, prope eum cognoverat, rem suam attenuat, ut paupertatis continentia, quae paululum adimat avaro militi, gravius commoveat Caesaris animum. Agri ejus e saxosis et silvestribus collibus, ubi Tityrus tum pascebat, ad *prata palustria* descendebant Mincii, qui lacum hic efficiebat IX, 7. *Nudam rupem* fingit, hyperbole usus, superiorem terram; *juncosam paludem* tenuissimi proventus inferiorem, vix quo pecora pasci possint. Tamen et summi et imi colles, fontium scatebris irrigui, eamdem pabuli praebebant ubertatem et pecori et apibus, quam omnis haec Lb. II, 200 felix regio; mediaeque erant segetes frumenti ulmis maritis intersitae v. 56. *Juncus* collectivo nomine, quale σχοῖνος Odyss. V, 463. Agellus tuus quamvis pauper sit, te tamen non, ut miserum amicum tuum, cum grege oportet in longinquas terras aufugere, in quibus mutata pastio imbecillas matres, postquam pepererint et priusquam pariant (ut hanc, quam duco, capram) conficiat, greges etiam inter meantes sint, qui reliquo pecori morbis officiant. *Gravis*, onustus, tardus,

aeger Lb. III, 96. *Foeta* i. e. parens, mater dicitur a conceptu ad partum; quemadmodum *foetura* est, quae ad hujus temporis rationem pertinet, Varr. II, 1. Col. VII, 3. Sententiarum ordine modo tempus efficitur ante partum, ut, quum Columella VII, 6 auctor est, frigus obesse capris, *foetis* imprimis i. e. praegnantibus, vitiato, quod in utero gerant; VIII, 11 de foeminis pavonibus est *plenis foetu:* modo tempus post partum, ut apud Plinium VIII, 19 *leaena foeta*, mater leonum, catulos defendit; apud Columellam VII, 3 *gravidae et foetae*, *quae parient quaeque pepererunt*, sibi opponuntur. Ejusmodi nisi inest discrimen aliquod, *foeta* dicitur de omni procreatione prolis sive re materna: ita Arnobius II p. 93 de Jovis adulteriis *factae sunt Jovis compressionibus foetae*, i. e. parentes, matres. Hujus verbi origines sunt *feo*, pervetustum ex φύω, gigno, procreo; unde intransitiva quoque *fio* et *fuo*, item *fero* litera *r* addita; quemadmodum eadem potestate *geo* in *gero*, *geno* (*gigeno*, *gigno*) et *genero* transformabatur. Recte igitur Ovid. *fast.* IV, 631 *fordam bovem* i. e. vaccam praegnantem a *ferendo* dictam putat, indeque etiam *foetum* nomen habere dicit. Constat, antiquissimos Romanos *fetus*, *fenum*, *fenus* scripsisse; his mutabat novissima aetas *e* in *ae* Varr. VI p. 80 (99 ed. Bip.), illi in *oe:* eodem modo *fidus* pristinum i. e. societas, pactio, *foedus* fiebat. De communi radice *feo* illius et *geo*, e qua et Graeca et vernacula et Latinae linguae principia nata sunt, alio loco dicemus.

51—58. O felicitatem tuam! quae *hic* te patriis in campis pascere et recumbere sinit ad *rivorum* opacas flexiones et montanas fontium origines: verno quidem tempore illic in *prato*, sub *salicto* limitis; hac in rupe aestivo et auctumni tempore, cujus ad radices *ulmi* maritae sunt. Jam auctumnus erat v. 72. *Flumina nota*, quae tam saepe et tam diu cum grege adisti, quorum singulas arbores et singulos frutices, singulos gurgites cadentis lymphae cognovisti. *Flumen*, *rivus* V, 84. Lb. IV, 54. Quid? quod vel Mincium, qui lacus erat Virgilii ad agros, vel Padum intelligebant, qui procul hinc aberat? *Fontes sacri* dicebantur, quicumque sua sponte manabant, *manales*: arboribus cingebant eos et geniis eorum flores, merum, oleum, placentas, nummos et victimarum sanguinem, fontibus infusum, libabant. *Hinc* v. 53, cui respondet *hinc* v. 56, *illic* infra, *hic* supra. *Limites* i. e. fines praedii feris et maritis imprimis arboribus conserebantur IX, 9. Lb. II, 389. Virgilii prata, in quibus verno tempore pascebatur III, 55. 111. VII, 11, a finitimis viva dirimebantur salicum sepe, quae, dum florebat, apum examinibus perpetuo resonabat. Salicum et genestarum sepes, etiam mellificii causa, laudat Virgilius Lb. II, 436. Veterum ex physiologia apes inde a vernoaequinoctio lachrymas arborum ad erythacen, succum florum ad ceram Lb. IV, 53. conficiendam etiam a salicibus Lb. IV, 38. 182 petebant. Ex julis salicum utriusque generis flores apud nos mense Aprili extuberant, quorum masculi lymphae lachrymam continent jucundi saporis, foeminei lanuginosum semen utriculo gerunt. *Hy-*

blaeae, quae acris suavitatis mel colligunt, quale per thyma Hyblae, Siculae urbis, colligitur VII, 37. Virgilii pastores multi sunt etiam in apibus servandis, in hortis colendis, vinetis et agris, item in venatione. *Semper* i. e. dum arbores florent; ut III, 62 et VII, 50 de hiberno taedarum incendio: vel tamquam si quis nostrum dicat: aves semper cerasos mihi rodunt. *Salictum* proprie campus salicibus consitus, hoc loco, salices sepis; quemadmodum *spineta* II, 9. sepes spineae. *Hinc tibi* cum verbo *suadebit* jungendum; et *quae sepes depasta* poëtice est pro *sepes, quae depasta est* sive *depascitur*: eodem modo VIII, 24 *qui passus*; Lb. IV, 89 *qui visus*; adi Deutsches Museum 1786. T. 2. p. 36. Supra sub *rupe* silvestri, ubi colloquuntur, Virgilii segetes erant, maritarum ulmorum ordinibus distinctae: quae ulmi citeriore in Gallia, frumento intersito, a septemtrione ad meridiem intra quadragenos pedes, intra vicenos pedes a lateribus; sed, ubi nihil serebatur, intra vicenos pedes quoquoversus collocabantur Lb. II, 275. A solstitio ad mensem Augustum usque maritarum arborum rami per tabulata digesti *tondebantur*, et, ne nimia umbra vitibus nocerent, etiam tenera fronde privabantur, matutino tempore et vespertino, uti malebant, studiose enim cavebant meridianum (Plin. XVIII, 76); fronde autem, vel ubi primum desecta fuerat, utebantur ad pabulum, vel siccatam servabant hiemi: *frondatio* Lb. II, 400. 446. Longissimum diem, Plinius tradit (XVIII, 28 s. 68), agricolam, folia ulmi ad pabulum stringentem et vitem deputantem, vel versis foliis intelligere, quae post solstitium

alia parte coelum respiciant, quam qua spectaverint pridie, vel incubantis *palumbis gemitu*. Uterque et palumbes III, 69. et *turtur* inter aestivas aves messis advena est, et bis incubat, verno tempore et circa solstitium; pulli capiebantur et saginabantur; mansueti etiam in columbariis palumbes ovis incubabant. *Tua cura*, tuae deliciae, ob gemitum, cujus suavis sonus a Longo quoque laudatur. *Haec palumbis* ampliore sermone dictum pro usitatiore *hic* v. 15. *Turtur*, cujus generis etiam est columba risoria, tres tantum menses in Italia moratur, eamque Origenes juga montium et arborum cacumina diligere dicit. Erigebant quidem Virgilii in patria ad quindecim tantum vel viginti fere pedes maritas ulmos; sed quid obstat, quominus rupis ad radices, quae segetes terminabant, etiam de altioribus ulmis cogitemus? Theocritus quoque VII, 141, quo die primitias frugum Cereri oblaturos adiit, turturem audiit gementem, quum aestivam omnia et auctumnalem fertilitatem redolerent. Canens frondator dum ulmos amputat illic, hic neque palumbes neque turtur, in alta ulmo considentes, a gemitu cessant.

59—63. Vere dixisti! facilius fient, quae fieri nequeunt, quam ut Caesaris beneficia obliviscamur. — Rebus incredibilibus implere comparationes etiam quotidianus sermo multo tum usu consueverat. Facilius volabit cervus et piscis erit in sicco. Ne, *aethere* mutato, legatur *aequore*, ut artificiosior exsistat dictorum inter se contentio, etiam haec causa est, quod *aequor*, si id non alia ulla re insignitur, tantum

planities est. Pro *in littore* Hafniensis liber *A* *ad littora* praebet, diversitate sane memorabili; qua nisi unus differret ab reliquis aut explicatio prius habendum esset, aut in errorem *in aethere* scribas induxisse credendum. Mutata plaga facilius *Parthus* v. 66 sub occidente sole, sub oriente *Germanus* habitabit. *Fines*, termini orbis terrarum, quemadmodum apud Nemesian. *cyneg.* 65 *geminis sub finibus*. Quae ita ne mutanda quidem erant diversa domicilia, etiamsi aut ipsum occidisset Romanum imperium aut totum id aliquis peragrasset. Ambo populi reipublicae Romanae infestissimi et fama notissimi erant, quos atrocibus proeliis et redeuntibus domum militibus etiam infimi Romani cum breviter significatis fluviis cognitos habuerint oportet. Galliae quidem est, neque Germaniae *Arar* sive *Araris*, qui fluvius, Sauconna postea, nunc Saone nominatus, prope Lugdunum (Lyon urbem hodie dicunt) in Rhodanum (Rhone) influit. Sed Tityri aetate etiam a doctioribus viris de finibus illarum, terminis nuperrime discretarum, terrarum dubitari poterat, quas incerta prius aut Celtarum ab occidente, aut Scytharum a septemtrionibus nomina complexa fuerant. Imo in Eratosthenis tabula, quae tum auctoritate valebat, Rhodanum Araris cum Rheno conjungebat Lb. I, 481, itaque poterat aeque atque ille Celtarum et Germanorum finis haberi. *Tigris* fluvius, hoc sagittae nomine per rapiditatem cursus appellatus, in Armenia majore oritur; alluit inde oram ulteriorem Mesopotamiae, cujus terrae citerior fluvius, Euphrates, regnum Parthicum terminabat; quocum conjunctus Ti-

gris una influit in sinum Persicum. In Senecae Med. 373, ubi haec leguntur:

Indus gelidum potat Araxen,
Albin Persae Rhenumque bibunt:

Indi Aethiopiae, quae ad meridiem spectat Lb. II, 116, opponuntur Araxi, qui est ad septemtriones versus; et fluvii Germaniae, qui ad occasum vergunt, Persis, qui sub oriente sole habitant. Hic locus Schraderum in eum errorem induxit, ut hic quoque *Ararim* in *Albim* mutaret, quasi jam tum Albim Romani noverint! *Ararin* et *Tigrin*, Graeca positione, Lengnicii liber MS. praebet.

64—66. At nos in omnes terrarum partes hinc procul a domo quoquoversus dispellimur. Auget dicendo infortunium impetus quidam vehementer commoti animi, quale Calpurnii IV, 38. *Afri*, populi Africae, qui in oblongo orbe terrarum ab Aethiopibus supra Aegyptum positis ad Hispaniam vergebant Lb. III, 339. *Ibimus Afros*, Scythiam etc. *in* praepositione non praeposita, vetere dicebant cum Graeca lingua consensu, cujus *domum*, *rus*, *villam venire* apud Fannium antiquum (Charis. I, p. 99), *Acheruntem recipere* in Plauti Mostellaria reliquiae sunt; *Cyprum tendens* ipse Livius XXXIII, 41 praebet. *Scythia*, ora aquilonaris hujus orbis nostri, ad quinquagesimum quartum fere terrestris ambitus gradum pertinens, et a septemtrionibus et occidente sole, ubi Rhenus, ad septemtriones et orientem solem, ubi Indi Asiae terminare eam credebantur, porrecta Lb. II, 115. 116. *Oaxis* nomine non dubium est, quin sermo popularis *Oxi* celebre flumen appellaverit ad

orientem solem, quod una cum extremis Indis in ditione Parthorum esse imprudenter putabant. Lb. II, 170. III, 27. Eodem Oaxe (nam, ut ita legatur, Barthius evincit) Claudianus XV, 31 remotas Orientis terras significat; ut Oxus in Oaxem, quemadmodum Orion in Oarionem (*Catull. c. Ber. Nicand. Rutil.* I, 637), mutatum sit. *Oaxem* sive *Oxum*, Strabo auctor est, inter Bactros et Sogdianos medium interfluere ad ulterius littus maris Caspii, ubi de tanta altitudine praecipitem eum ferri refert Polybius, ut stadio (125 passibus) amplius cadendo exsultet, homines etiam infra flumen equis transvehant. Plures amnes, cujus rei alii apud Strabonem auctores sunt, depressum maris Hyrcani littus ex cavis rupibus imminentibus tanta vi transiliunt, ut infra instructi exercitus sicci transeant, incolae saepe festis diebus aut sub antris rupium aut sub flumine decidente considant sole illustres, dum dextra laevaque in frigore littoris, herbis floribusque impleti, mare conspiciunt. *Luto* semper Curtius dicit Oxum scatere. *Cretam* hoc lutum Tityrus dicit i. e. canam argillam figlinam Lb. II, 215; *rapidus cretae*, ut vulgaris sermonis *rapax*. Pompeji expeditione contra Mithridatem Magnum A. U. C. 687—690 Varro apud Plinium *) exploratum esse docet, merces Indicas ad Bactros, indeque Oxo fluvio ad mare Caspium pervenire, unde in Cyrum subvectas terrestri itinere quinque non amplius dierum ad Phasin in Pontum devehi. Sed redeuntes legiones, verisimilius est,

*) Plin. VI, 19. Varro fragm. p. 365.

vetera inventa de hujus terrae angulo vel latius inter populum disseminavisse, quam falsa eos veris repertis emendavisse. Quod in terrarum *finibus*, quamvis indoctus, Meliboeus Cretam insulam, quae media earum erat, posuerit, et ignoto eam aliquo amne, qui sit necne, etiam nunc dubitatur, significaverit: haec, quis est, cui post supra dicta placeant? Europa, Asia et Africa quum insula mundana putarentur intra hunc terrae quasi cingulum temperati solis ex orbe in longitudinem compressa; Oceani insulae ipsaeque Gades extra orbem terrarum sitae esse videbantur. Ampliores insulae, quales erant Britannia obeuntis, Taprobane (Ceylon) orientis solis, singularis aliquibus mundi insulae erant, citra quas sol se converteret: quare in Aen. VIII, 727 *extremi hominum* Morini dicuntur, qui, Britanniae adversi, Galliam Belgicam tenebant. Post deletam Phoenicum et Carthaginiensium mercaturam Britannia ita oblivione obruta fuerat, ut multi non veram illam, sed fictam aliquam terram esse putarent; donec Julius Caesar, ut laude etiam extra orbem terrarum propagati imperii populi gratiam sibi conciliaret, celebrem expeditionem A. U. 698 molitus est.

67—73. Umquamne vici paterni ego fines et cespitem, quo pauper casa tegitur, paucasne aristas, florens olim regnum meum, videbo postea, quamvis post longum tempus, et mirabor? id est, num bonos agros neglectos umquam stupebo revisens? — Oratio distorta desiderii declarat magnitudinem. *En umquam* non tantum interrogando pro *umquamne*, sed optando VIII, 7 dici, interdum ab ira commotis, Gronovius argumentis probat Liv. XXX, 21. Hujus loci prave in-

tellecti sententiam, post Germani dubitationem, Cerda primus expediebat eo, quod v. 69 *post*, ex v. 67 repetitum, *postea* esse notavit, quale Lb. III, 476. Sed omnem litem similis ratio dirimit, qua Lb. II, 259—261 *ante* Virgilius usus est, ubi post *multo ante* et *et*, quod sequitur, tertio inde versu illud *ante* repetiit. Rustica Meliboei domus (*casa* universe appellata) proprie erat *tugurium* sive aedicula, cujus tectum e stramento, arundine, virgultis aut cespite terram attingebat nullo pariete. Eodem nomine Isidorus appellat humiles casas arundineas custodum vinearum, et Digestorum VIII, 3, 6 *tugurium* tabulatum est, quo pastor in agris ab hyeme defendatur. Veteres, Vitruvius II, 1 inquit, arundinibus et fronde domus tegebant, post tectis declivibus luto inducto, cujusmodi etiam nunc reperiuntur aedificia apud exteros, apud Gallos, Hispanos, Lusitanos, Aquitanos robusteis scandulis aut stramentis contecta. *Regna* mea hoc fructu, hoc usu Lb. III, 476; mox barbari possessoris negligentia solitudo *paucarum aristarum!* Hac cogitatione, quae etiam Caesaris mentem excitare poterat, impigri agricolae animus valde commovetur. *Haec*, inquit, agros suos de summo demonstrans, haec tam diligenter culta *novalia* i. e. vel quiescentes agros et ad pastionem adhibitos, vel proscissos post quietem, et, quod gravius est, *hos agros* jam frugibus *consitos* impius miles, rudis advena habebit? Post auctumnale aequinoctium (VIII cal. Octobr.) hordeum, linum et papaver Lb. I, 208 serere coeperunt. Romae dum morabatur Tityrus poma maturuerant v. 37; et nunc ipsum habebat maturas castaneas v. 81: quo magis ad hyemem fuga miserabilis

erat. *Barbarus*, Galliae transalpinae, aut alius quis advena de legionibus Caesaris. Pro *produxit*, *perduxit* habent Hafuienses libri MSS. duo *A*. *C* et Lengnicianus: hoc autem terminum tantum declarat *ad quem*, illud terminum simul *a quo*, id est, extremos fines virtutis civilis. Cuinam sementem fecimus, plantas posuimus? utrumque enim inest in *serendo*. Maritarum arborum ordines cum olivetis atque pomariis inter segetes intelligit. *Nunc* (indigne fert se alloquutus) nunc feros in truncos tibi poma *insere* Lb. II, 78; unum genus instar omnium dicens. *Inserere* IX, 50. Nunc vites *ordina*. Et liberae ab arboribus vites, *vineae*, et arborum adminiculis junctae, *arbusta*, quinae *quincunce* disponebantur, ut singula quadrata fierent, quorum quaternis vitibus quinta interponeretur media, et forma undique appareret V et X Lb. II, 277. Virgilii pastores industrii homines erant et vere rustici v. 54, neque otiosi aliqui nostrae Arcadiae.

74—78. Meliboeus in eo est, ut protenus gregem agat; sed Tityrus, ut in casa secum silvestri pernoctet, ei persuadet. — Ite, caprae hinc infelices, et pabulum quaerite, nec certum satis nec satis tutum v. 49. 50. *Felix*, quippe majoris ponderis, prae *quondam*. Numquam post ego, quemadmodum hic in patrio campo, large vobis augescentibus gaudebo: neque in saltibus aestivo tempore, quum calorem antro fugiam frondibus opaco et canam; nec veris tempore in pratis subjectis v. 53, quae cytiso et salicibus consevi Lb. II, 195—199; nam inter arbusta quidem nullae caprae habebantur. *Antra* pampineis aditibus multa sunt in terris, quae sub mitiore coelo montibus adjacent v. 80. V, 6.

Per versus quidem numerum liceret: *Dumosa de rupe procul pendere videbo;* tamen ita legere vetamur; cujus rei quae causa est? haec, quod poësis quotidianum sermonem mutare jubetur inter omnes, nisi inter — Germanos! *Cantus*, pastorum more calamorum sonitu distinctus. *Cytisus, Medicago arborea L.;* canus frutex angustioris trifolii et pallidi floris; in Italia hoc pabulum, quo melius pasceretur pecus, sed rariore cultura colebatur, quam qua id Plinius utile esse putabat, et post vernum aequinoctium, postquam *florere* desierat, per octo menses demetebatur Lb. II, 431. Columella agrestis alicujus ejus generis mentionem facit, grati capris atque apibus. Florentis cytisi aestu Aristoteles lac paulum inarescere censet.

79—83. Rustici senis hospitalitas, qua profugum amicum ad victum et cubile semel ultimo gradu apud se recipit, Caesarem, si animum in pectore gerebat, movere debuit. A medio mense Aprili usque ad pluvias Novembri ingruentes, quas hiemem suam appellat Italia, in saltibus sub dio pernoctabant boves septis propatulis, quo a pastore buccina convocati numerabantur Lb. III, 224. Propter rorem nocte decidentem et pluviam pastor palis et sarmentis humilem casam sibi instituebat II, 29, intra quam fronde, herba et, cujus odore angues arcerentur, filice cubabat, instrata pellibus. Antra saepe naturalia, quae rupibus inerant, ad has sedes silvestres accommodari poterant; quale Theocriteae Amaryllidis III, 12, ante quod ita queritur amator:

Parva apis esse velim; curae quae, cerne, fatigant
Pectus; et, ut visam, filicis quo cingeris herba,
Antrum, flexum hederae, filicis perrepere vallum.

Aditus hedera circumseptus cratibus claudebatur filice textis Lb. III, 322. Casae silvestris memoriam Oenona Paridi renovat in Ovidii ep. V, 13:

Saepe greges inter requievimus arbore tecti;
  Mistaque cum foliis praebuit herba torum.
Saepe super stramen foenoque jacentibus alto
  Defensa est humili cana pruina casa.

Et per antra puellas furtim oscula dedisse silvicolis viris, Propertius III, 11, 33 dicit, toris in gramineis sedentes et pellibus cervinis. *Pastoralibus antris* Luna apud Claudianum X, 114 ad Endymionem descendit. Petrarca quoque Canz. IX, 35 dicit de pastore, qui:

Poi lontan dalla gente
O casetta o spelunca
Di verdi frondi ingiunca;
(Antrum casamve fronde spargit, civium
Procul remotus agmine.)

Hanc noctem i. e. per hanc noctem, verius est, quam *hac nocte*, quod per errorem scriptum est; non minus *poteras*, pervetustum pro *posses* VII, 19, antiquiore loco habendum est, quam *poteris*, quod quotidiani sermonis est. *Poma*, fruges arboreae. *Molles castaneae*, non crudae amplius, sed maturae: *mollia vina* Lb. I, 341, *mollia fraga* Ov. Met. XIII, 817. Maturescunt mense Octobri et Novembri VII, 53, et tostas Plinius ait gratissimas esse *). Levem, nullis echinis, castaneam, quae amygdalorum fiebat insitione, inter Romanos agricolas primus novit Palla-

*) Plin. XV, 23 s. 25.

dius *). ***Pressum lac***, recens caseus coagulati lactis, qui ad celerem usum manu aut pondere aliquo premebatur. ***Culmina*** aedium dominorum agrestium, ***villarum***, quae et in pago Ande et prope ab eo dispersae aberant, fumabant de cibis in vespertinam coenam coquendis. Canalibus enim fumum non solebant educere Lb. II, 242.

---

*) Pall. Lb. XIV de insit. 155. 161.

ECLOGA SECUNDA.

ALEXIS.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin,
Delicias domini; nec, quid speraret, habebat.
Tantum inter densas umbrosa cacumina fagos
Assidue veniebat; ibi haec incondita solus
Montibus et silvis studio jactabat inani:

O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
Nil nostri miserere? Mori me denique coges!
Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant;
Nunc virides etiam occultant spineta lacertos;
Thestylis et rapido fessis messoribus aestu
Allia serpyllumque herbas contundit olentes.
At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
Nonne fuit satius, tristes Amaryllidos iras
Atque superba pati fastidia? nonne Menalcan,
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses?
O formose puer, nimium ne crede colori!
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Despectus tibi sum, nec, qui sim, quaeris, Alexi:
Quam dives pecoris nivei, quam lactis abundans.
Mille meae Siculis errant in montibus agnae!
Lac mihi non aestate novum, non frigore defit!

Canto, quae solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho!
Nec sum adeo informis; nuper me in littore vidi,
Quum placidum ventis staret mare. Non ego Daphnin,
Judice te, metuam; si numquam fallit imago!
O tantum libeat mecum tibi sordida rura
Atque humiles habitare casas et figere cervos,
Haedorumque gregem viridi compellere hibisco!
Mecum una in silvis imitabere Pana canendo!
Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit; Pan curat oves oviumque magistros:
Nec te poeniteat, calamo trivisse labellum!
Haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?
Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens: Te nunc habet ista secundum!
Dixit Damoetas; invidit stultus Amyntas.
Praeterea duo nec tuta mihi valle reperti
Capreoli; sparsis etiam nunc pellibus albo
Bina die siccant ovis ubera; quos tibi servo.
Jam pridem a me illos abducere Thestylis orat;
Et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra!
Huc ades, o formose puer! tibi lilia plenis,
Ecce, ferunt Nymphae calathis; tibi candida Naïs,
Pallentes violàs et summa papavera carpens,
Narcissum et florem jungit bene olentis anethi;
Tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala

Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat;
Addam cerea pruna; honos erit huic quoque pomo!
Et vos, o lauri, carpam, et te, proxima myrte:
Sic positae quoniam suaves miscetis odores.

Rusticus es, Corydon, nec munera curat Alexis;
Nec, si muneribus certes, concedat Iolas.
Heu, heu! quid volui misero mihi? Floribus austrum,
Perditus, et liquidis immisi fontibus apros!
Quem fugis, ah demens? habitarunt dî quoque silvas
Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit, arces
Ipsa colat; nobis placeant ante omnia silvae!
Torva leaena lupum sequitur; lupus ipse capellam;
Florentem cytisum sequitur lasciva capella;
Te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas.
Adspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci,
Et sol crescentes decedens duplicat umbras.
Me tamen urit amor! quis enim modus adsit amori?
Ah Corydon, Corydon! quae te dementia cepit!
Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est!
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere junco?
Invenies alium, si te hic fastidit, Alexin!

ECLOGA II. EXPLICATA.

ARGUMENTI NARRATIO.

AB U. C. DCCXI.

C. Vibio Pansa A. Hirtio Coss.

VERNO TEMPORE.

Virgilius annum agens 26—27.

Haec Ecloga, non dubium est, quin earum, quae exstant, decem antiquissima sit. Ejus enim nominatim in quintae, anno DCCXII conscriptae, versu 86 una cum tertia et ante hanc mentio fit, et in ipsius tertiae, quae veris est anni DCCXII, versu 84 *rusticam* Pollio quum amare dicatur Virgilii *Musam;* non alia ita nisi eadem haec significatur, quam traditam accepimus, Ecloga, praeter leviora quaedam, quae juvenili studio poëta meditatus fuerat. Certe igitur ante annum DCCXII scripta est, et, quae operis est maturitas, proximo superiori anno: dum bellum terminis continebatur agri Mutinensis Galliae cisalpinae, quibus Antonius D. Brutum obsessum tenebat, neque terrores aliquis praesagire poterat triumviratus, qui instabat.

Poëta viginti sex annorum, neque Asinio Pollioni is, qui sub ipsum finem hujus anni legatus Antonii factus est, neque potentiorum alicui Romae notus,

quum pluribus quasi prolusisset, quae post rejecit, tenuitatis rusticae in otio vici patrii argumentum commentabatur, quo cum Theocrito spreti amoris adumbratione contenderet: et, quum exemplare suo adductus esset, ut pastorem Siculum sibi eligeret, Grammaticorum sedulitas, temporum rationis ignara, veros homines sub ficto nomine odorari sustinuit.

Anno DCCXI eclogam contendo scriptam esse, limatam vero anno DCCXII, Pollionis postquam Virgilius in amicitiam intraverat. Hujus rei testes habemus versus 5 et 11, quibus Cirin nostrum imitatum esse apparet, Galli poëma anni DCCXI VI, 74. Galli enim efflorescentis poëma novissimum Asinius Pollio, ipsius amicus, omittere non potuerat, quin, admiratus animo, poëtae nostro communicaret, cujus hic, quum ex Pollionis judicio eclogam suam retractaret, flores aliquos inserere voluit, ut ingenium commendaret ab invidia alienum et idem cum Gallo sentiens. Quae gratia, Pollionis exhibita amico minori natu, quum legato non displicuisset; ita etiam reliquis, quibus Pollionem alloquebatur, quartae et octavae, eclogis, Virgilius adductus est, ut Galli aliquos versus aspergeret.

Caeterum tamquam κωμῳ aliquo Corydon delicias suas alloquitur, similique eas studio prosequitur, atque apud Theocritum id. III silvestrem Amaryllida, puellam pastoriciam, pastor caprarius; juvenis Cyclops id. XI Galateam prosequutus est. Tempore enim meridiano, dum messis est, Corydon, praefectus pastorum, gregem relinquit saltibus quiescentem, et per maritatas ulmos agrorum ad nemus fageum

prope villam pergit, qua formosus eum forte Alexis auditurus sit. Hic usque ad vesperam desipiens commotiones animi carptim loquitur; quas ejus affectiones ad perpetuitatem quamdam struit Virgilius.

Annotata.

1—5. ***Corydon***, praefectus pastorum Siculi pecoris v. 21, formosum Alexin amabat, quem in deliciis habebat puerum dominus Iolas v. 57. Quae inter Italos, eadem fere inter Siculos ex Ciceronis orationibus adversus Verrem fuisse intelligimus rei rusticae instituta. Praediorum domini, et Graeci et multi Romani, in aedibus rusticis, *villis*, frequentes servos, *familias*, agricolarum, vinitorum et pastorum habebant, qui etiam in catenis a crudelioribus servabantur, et sub *magistris* erant: qui, rei rusticae nisi dominus curam habebat, procuratoribus ipsi aliquibus, *villicis*, parebant. Hos, quorum mores Theocritus tam suaves cecinit, agricolas, valde credibile est, Graeca eruditione magis etiam excultos fuisse, quam in plurimis Italiae, praeterquam magnae Graeciae, praediis. Romae dominatricis quam late regnaret oratio, nihil poëta curabat; nam etiam in Pindo Ecl. VIII et in Arcadiae montibus Ecl. X Latine dicentes audiit. Simili modo Theocritus id. XXIII orditur:

Difficilem puerum flammis ardebat iniquis
Vir, tristem obsequio, pariter non corpore tristem.

Nec habebat, (*propter*) *quid speraret:* pervetustum pro *quod;* nam *quis*, *quid* relativum erat antiquis. Quum nihil aliud prospiceret, quo puerum sibi conciliaret, omnem spem *tantum* in studio ponebat, quo nemus fageum propter villam assidue adibat. *Veniebat* venire solebat, continuato tempore; *venit* semel aderat X, 10. Villa commendabatur aëris temperati causa in medio colle *silvestri* posita, ubi frigus esset et fontes amplaeque pastiones Varr. I, 12. Col. I, 4. 5. *Haec incondita jactabat*, haec quasi incomta pectoris sensa, quaeque venerunt in mentem, sine delectu praedicabat. *Montibus et silvis*, ut saltus resonarent, qui circum erant X, 8. Imitatus autem locus est versum 208 Ciris poëmatis, ubi inutiles excubias regis custodia in foribus *studio jactabat inani*, irrito studio projiciebat, perdebat.

6—13. Jam saepius Corydon amatorios in hoc nemore cantus ceciner, et nulla ab amico gratia significata fuerat. Postremum caedem crudeli suam minatur, quemadmodum puellae Theocriti caprarius III, 7, quum saltando effingeret dolorem suum:

— — — Despicis, heu, me!
Naribus an tibi sum simis, barbaque videri
Horridus? invidia coges me frangere guttur.

Cogis eorum esse videtur, qui continuatum eadem oratione *nil curas; nil miserere; denique cogis!* desiderabant; Ascensius quidem in hunc modum interpretatus est. Omnia quiescunt hoc sole meridiano; ego tantum huc ab ovibus, ut nemore te forte fageo reperiam, per apricas ulmos perrexi. Aestate, tempore meridiano, dum defervesceret aestus, sub arbori-

bus umbrosis et rupibus quiescere jubebantur *oves* Lb. III, 331; et tum dies erant messis longissimi. *Captare frigora*, quasi inhiare frigori. *Viridis lacertus*, cujus natura caloris amans est, latet tamen prae immani aestu. Theocritus eodem modo meridianum aestum adumbravit VII, 22:

Nunc etiam somnos praebent dumeta lacertis.

Ubi ἐφ' αἱμασιαῖσι in *dumosis*, indeque umbrosis, maceriis est, cujus generis subulcus Odyss. XIV, 10 septum habebat. *Spineta* aeque atque *dumi* Lb. IV, 130 de *sepibus spinosis* forte dicta sunt, quas Corydon in itinere repererat; simili modo I, 54 *salictum*, *septum* est *salicum*. *Lacerti* virili genere in Virgilii sunt Lb. IV, 13. Hafniensis liber *B* exhibet: *Nunc etiam occultant virides spineta lacertas*. *Messores* quoque, qui inter ulmorum ordines fruges metebant, meridianam quietem capiunt, seseque reficiunt. Theocrit. X, 50:

Principium messis sit alauda cubile relinquens,
Finis erit recubans; paulum cessate calore.

Thestylis, juvenis conserva v. 43, mortario confecit *moretum*, *alliatum*; dum *allium* cum aliis herbis acribus, recenti caseo, oleo et sale mortario contundebat. Hoc obsonium, quo uti solebant Romani rustici, milites et nautae, valetudini conducere et venenis obesse putabatur; quo non tantum pauper Simulus *moret.* 86—118 se reficiebat, sed fastidiosus ipse Maecenas, accuratius nimirum id temperatum, sumebat, quod aegre tulit conviva ejus Horatius Epod. III. *Serpyllum*, *Thymus Serpyllum L.* *Rapidus aestus*,

vehemens. Quod Clericus non inepte quidem, sed nulla necessitate coactus corrigebat, *rabido* aestu, *insano aestu*, in Hafniensi libro MS. *C* legitur. Versu 11 versum 370 ex carmine Ciris poëtae Galli imitatus est: *Narcissum casiamque, herbas incendit olentes;* v. argumenti narrationem. Ego vero, nihilo segnior propter calorem, huc, ad te investigandum, per agros, parum arbustis opacos, pergo h. e. perrexi. Poëtice id mutatum: Circum me, dum te sequor, arbusta sub ardente sole argutis cicadis resonant. *Mecum*, apud me, circum me, prope me; ut Aen. I, 576. IV, 115; tecum V, 716. et in Plautina formula *oro tecum*, nec non in magis communi ista: *queri cum aliquo* pro *apud*. Ita in Sophoclis Oed. T. 632 μεθ' ἧς, coram qua. Inepta est Ascensii interpretatio, quam Heinsius recepit: arbusta resonant *me* (ut Amaryllida) *cum cicadis* i. e. meum nomen sive meo nomine et cicadis; et Burmanni interpretatio minus etiam verisimilis est: resonant cicadis *mecum*, per me et cicadas resonant, nihilo melior illa explicatio quam haec: arbusta una mecum resonant, id est, aures mihi tintinant. Nimirum non in aprico itinere per arbusta Corydonis cantus resonat, ubi praeter messores deridentes nemo eum auditurus erat; sed ipso in nemore fageo v. 4, quod inde a grege adiit, ut puerum amatum in frigore ejus ambulantem reperiret. *Cicadae* et cicadae surculariae V, 77 inter raras et apricas arbores vel frutices esse solent, et per aestatem, tempore imprimis meridiano, canunt.

14—18. Hic et ubi deinceps distinguemus novum quoddam canendi exordium est, quod Corydon commentatus fuerat, dum fistula expleverat intervallum,

quod inter horum inventionem et proxima intererat, sicuti interesse solebat VIII, 21. Ex affectionibus similiter distinctis graviter commoti animi cantus quoque apud Theocritum est caprarii et Cyclopis. Quantum, o crudelis! praestabat, Amaryllidis superbiae et muliebri impotentiae obtemperare, sive Menalcae, qui, quamquam sole adustus, nihilominus tamen amabilis est. Puella et puer eidem domino rusticis operibus serviebant, et diversi sunt ab aliis hujus nominis. *Nonne fuit* pro *fuisset*. Hafniensis liber *B* habet *melius* ex sermone quotidianae consuetudinis. *Tristis*, austerus, difficilis, gravis. Color niger, quod unum Menalcae obesset, quam leve erat vitium ad ejus comitatem! *Nigri* flores maxime saepe laudantur. Hac sententia et in hoc loco et X, 38 Theocritum X, 26 Virgilius imitatus est:

Te, Bombyca, Syram compellant, blanda puella,
Sole ustam, tenuem; flavens mihi cera videris;
Nigrae sunt violae, scriptus niger est hyacinthus,
Et tamen hi primum flores ad serta leguntur.

Virgilii *ligustrum* esse videtur *Ligustrum vulgare L.*, quem fruticem Itali antiquo nomine, Franco-Galli *troëne*, Angli *privet*, Germani *Hartriegel*, *Rainweide* et aliis vocabulis nuncupant. Albus flos, in oblongis et racemosis paniculis inclusus, suaviter olet et apibus gratus est: sed ad *coronas* non adhibebant eum Romani, nisi quum pulchriora deessent. Tamen Columella X, 300 calathum *niveo ligustro* ornat, ita enim pro *nigro* ex Ovidii Met. XIII, 789 legendum erit. Plinius putabat, ligustrum Italicum eamdem esse arborem, quae *cyprus* Aegyptia, quae inter Arabes

Alhenna dicitur, *Lawsonia inermis L.* Hoc recentiores negant; tamen Pinedae glossarium *Alhenna* Hispanum vocabulo *privet* interpretatur. Hunc fruticem quod Plinii *convolvulum* aliqui esse dicebant, id candore tantum floris et *a ligando* origine, unde inepte aliqui hoc verbum natum esse putabant, niti videtur. *Vaccinium*, Dioscorides refert, appellavisse Romanos minorem speciem *Delphinii*, quae *simul* Graecis aliquibus hyacinthus nominabatur: quoniam hujus, quemadmodum hyacinthi proprie dicti, internum folium, cujus candor caeruleis lineis distinguitur, habet AI literas, sed jejunis ductibus antiquitatis scriptas, sive A nulla linea disjunctum, vel V inversum, quod *Hyacinthi* principium sit. Plinius autem *vaccinii* esse dicit, quae bulbacei *hyacinthi* sunt, quo nomine Graecus caeruleum gladiolum *Iris Germanica L.* et iridis species huic similes appellat, quae varietate colorum cum arcu coelesti contendunt III, 106. Lb. IV, 137. 183. *Vaccinium*, credibile est, ex *hyacintho* corruptum esse.

19—27. Quid tandem est, cur me despicias, Alexi? Vere praefectus ego nobilis et dives pastorum sum 19—22, cantus etiam, quam qui maxime, peritus 23—24, et minime deformis praeterea 25—27. *Qui*, pervetustum, pro tritiore *quis* etiam librorum Hafniensium. Tarditas singularum longitudinum unius syllabae *nec qui sim* gloriationem auget sententiae. Divitias, quas dominus ei commiserat, suas magister pecoris more servientium ducit, quod aliquid tamen *peculii*, quod suum fecerat industria, iis intererat v. 30. Praeterquam in iis re-

gionibus, ubi pullae, flavae, rutilae et nigrae oves nasci solebant, et nativo colore commendabantur, in caeteris *candidae* procreabantur singulari artificio Lb. III, 387: quoniam hic color ad pleraque sacra et ad quotidianas vestes Romanorum erat utilis, et quolibet alio facile mutabatur. Quare, si *nivei* verbum ad *pecoris* referre malumus, fit id non sine gravitate aliqua; ad *lactis* speciose tantum, itaque, ut ante *quam* praepositum sit insigniore, quam quem mereret, loco. Singulorum *millium* majores greges ovillos fuisse Varro dicit, quantum hujus numerum fuisse laeta foetura significat jam submissorum agnorum auctumnalium, qui *foeminei* plerumque sexus erant Lb. III, 63. 386. Quare Theocritus XVI, 90:

— — — — balent
Multa, precor, pecoris per campos gramine opimi
Millia.

Nimirum plenus numerus paulo vel imminui vel augeri poterat; impar quoque semper esse debebat VIII, 75. Centenis singuli servi tribuebantur; ita ut Corydon, pariter atque Eumaeus Homericus, splendidus esset virorum dux. Agnos auctumnales multi praeferebant vernis agnis, quod ad rem pertineret, ut ante aestivum magis quam hibernum solstitium convalescerent. Igitur, CL diebus quum ovis praegnans sit, ad admissuram tempus deligebant, quod est ab Arcturi occasu (a. d. III. Id. Mai.) ad Aquilae occasum (a. d. X. Cal. Sextil. *), ut ab extremo

*) Varro de re rustica II, 2, 13 cf. Plin. h. n. VIII, 47, 72 ibique Harduin.

Octobri ad Decembrem extremum agni parerentur, quum modice aër temperatus esset, et recens herba auctumno oriretur, imbribus suscitata. Post quatuor menses depulsi VII, 15, primum secreti pascebantur; matrum simulatque obliti erant, ovium in gregem compellebantur. Quidam tamen, Palladius *) inquit, sine ullo temporis discrimine oves coire permittebant, ut per totum annum foeturam haberent. Igitur *novum lac* ovium est, quae post partum denuo mulgentur; non illico tamen *colostrum* sive *colostra*, primum lac post partum, quale fastidiosus Romanus diligebat: quamquam, quod Servio Martynus negavit, hoc quoque per totum annum esse poterat. Idem de se gloriatur Polyphemus Theocriti XI, 34:

Hic tamen ille ego pecoris mea millia pasco,
Et melius mulgens labris exhaurio lactis;
Est aestate mihi, est auctumno caseus; acri
Non deficit bruma: calathi sed semper onusti.

Ubi recens caseus intelligitur, quem Varro salubriorem esse et melius alere dicit. Nam etiam apud Calpurnium II, 70 mille ovium Graecarum dominus totidemque agnorum lactentium hoc nomine se jactat, quod per totum annum niveus ei caseus prematur. Lengnicii liber et Hafniensis *C* habent *nec frigore*, quod lente dicitur. Heinsius et Burmannus pone *aestate* distinguunt, ut lac tantum ad aestatem, novum ad hiemem pertineat. Vetus Virgiliomastix ad hanc etiam insaniam rem adegit:

Lac mihi non aestate novum, non frigore: defit.

*) VIII, 4 in fine.

Num ambiguitatis crimen inesse iis dicamus, quae vel ab negligentia vel a scurrilitate perverti possint? cf. X, 46.

23—24. *Canto* aeque perite atque Thebanus *Amphion*, quando armenta vocare solebat. *Cantus* misceri solebat fistulis et fidibus. Polyphemus in Theocriti XI, 38 post memorata ita pergit:

Doctus et ut nullus calamos inflare Cyclopum,
Te, melimela, cano; laudo ipsum carmine saepe
Me simul in noctis caligine.

Crepusculo Columella *) buccina pastorem receptui canere dicit, quam buccinam, Plinio **) si fidem habemus, magis sonantem pastor efficere putabat, si fieret e sambuco, quae galli gallinacei cantum non exaudisset: cujus sono e saltibus ad septa facile redeuntes boves recognoscuntur et numerantur I, 79. Lb. III, 224. Pari modo praecedentis pastoris voci et sibilo parebant oves in Evangelio Joh. X, 4, et in Apollonii I, 575:

Haud secus ac pecoris bene pasti mille sequuntur
Upilionis iter, mansurus quando ad ovile
Vertitur; inflatis calamis graditur prior ipse
Pastus suave canens carmen.

In Longi I, p. 51 ita boves syringa sequi consueverunt, ut, ab ora allectatae, e nave praedatoria mugitu in mare insiliant et retro nent. Quare Euripides Hel. 1498 senioris gruis in primo agmine clamorem syringa pastoritiam vocat. Ipsos porcorum

---

*) Col. VI, 23, 2—3.
**) Plin. h. n. XVI, 37, 71.

greges, qui agebantur in Graecia, in Italia fistulam pastoris sequi consuevisse Polybius XII, 2 refert, et ex globo confertissimo se separare. Hoc loco Corydon certum intelligit et fama celebratum carmen, quo cantor *Amphion*, quod ex Euripide Probus retulit, vagas ad se boves, sicubi libebat, convocavit: quod idem in saltibus Corsicis in capris et bobus pastores efficere solitos esse Polybius narrat. *Amphion* et Zethus, Jovis filii ex Antiopa nati, heroes erant aetatis vitae pastoralis Graecorum, qui Thebas muniebant, dum cantu et lyra rupes ille de Cithaerone alliciebat. Fons *Dirce* in campo Thebano est, per quem Asopus penetrant et Ismenus fluvii. *Aracynthus* saltus medius erat inter Boeotiam et *Atticam* sive *Acten*, terram in littore. Pascuorum Aracynthi hujus Boeoti expertes esse non poterant. Aracynthus Acarnaniae huc non pertinet. *Aracynthi* nomen, ut omnia locorum, vocabulum erat antiquitus, ex *cyntho*, nutritus, altus, et, quod intenderet vim, *ara*, valde, compositum; *Cynthus* per se mons quoque nominabatur Deliacus. Pedem Ionicum si in exitu habent versus hexametri, Graeca verba addere ei Romani solent et Graeco usu metienda VI, 53. VIII, 44. IX, 12. Lb. IV, 137; quae tamen causa esse non potest, cur illico conversos inde hos versus putemus. Corydonis etiam scientia ne nos moveat. Quae doctrinae nobis aliquam speciem praebent, usu tum temporis maxime trita esse poterant, et praefecti pastorum institutione aliqua puerili instructi erant. Praefectum pastorum, quae ad valetudinem pertineant hominum ac pecoris, ut sine medico curari possint, Varro

scripta habere praecipit; nam sine literis eum non esse idoneum, quod rationes domini de re pecuaria recte conficere non possit.

25—27. Tamen non ita ego *informis* sum, ut dignus sim tuo fastidio. Modice se laudat. Polyphemus Theocriti, quamquam suam et ipse faciem non audet venustam dicere XI, 31, postquam diligentius se maris in aequore conspexerat, multum tamen aucta censet, quae loquerentur homines de deformitate sua VI, 34:

Informisque mihi non, ut reprehenditur, est frons.
In mare despexi placidum quum staret ab imbre,
Pulchrae et erant malae, simplex et luminis orbis
Pulcher erat visu, me judice; clarius ipso
Marmore vel Pario dentes candore nitebant.

Scaliger, quamquam alias multo Virgilium suum Graecis superiorem putat, maris tamen in aequore Cyclopa aptius imaginem suam lustrare dicit (Poët. V, 5,) quam Corydonem pastorem, qui melius se in *fonte* aliquo circumspexisset. Quid ita? Num mare refert imagine immanes tantum hominum naturas? num numquam Corydon, etiamsi domini praedium maris in littore situm esset, in magno aequore imaginem suam potuerat cognoscere? At mores pastorum Arcadum hoc factum esse vetant! Recentiorum scilicet, quos neque Theocritus novit, neque Virgilius, neque ipsa veritas. At mare, clamant alii, nihil omnino imagine refert; ne stare id quidem, dicit Seneca, quin leniter fluctuet. Itaque cum utroque Bucolicorum scriptore Lucianus quoque oculis obcaecatus fuerit, cujus in Deorum dialogo aliquo candidam

formam formosam Galateam Doris contemplari jubet, de rupe supra mare quiescens vergentem. Sinus certe quieti maris fluctuantis erunt, quorum levigata planities imaginem reddat. Quod Plinius questus est, veteris disciplinae pro *speculis*, stanno illito Brundisii temperatis (vitrea quoque Sidone fiebant), nunc argenteis etiam ancillas uti velle, id ad Romam tantum pertinere videtur *). Haec observatio de forma sua ita Corydonis animum tutum reddiderat, ut nihil dubitaret, quin cum pulcherrimo homine agri pascui, cum *Daphnide* aliquo, se compararet, Alexin ipsum judicem constitueret; *si* speculo reddita imago numquam fallit. *Daphnis* in fabulis erat Siculorum pastorum Mercurii filius et Nymphae, qui ob pulchritudinem ab aliqua Nympha amabatur et a regia filia. *Si* quasi dubitaret, pro *quod;* quemadmodum Nestor Odyss. III, 122 Telemachum alloquitur:

— — — — Pater tuus; illius at si
Tu soboles vera es; specto mirans ego natum.

Fallit igitur, quod cum Servio multi habent, Hafniensis quoque C. *Si fallat* vere dubitantis esset: *si numquam falleret, numquam ego metuerem.*

28—34. *Mecum*, qui dives sum, artis intelligens et eruditus, liceret tibi felici esse. Nimirum per campos vagari taedet te, habitare humilibus casis? Habet etiam haec vitae ratio suam suavitatem: venatio, pastio, cantus silvester; omnia ab ea parte, qua maxime grata sint, commendantur. — Ad *sordida*, *tibi* animo repetatur: *humiles* quoque, ju-

*) Plin. h. n. XXXIV, 48.

dicii Alexidis, contemptim dictum est. *Casae* et proxime villam parva ipsius domus, et casae silvestres, quae ad necessitatem minores pastionis aestivae fiebant I, 79. Seneca auctore *ep.* 90 casae, quales majorum fuisse tradit, ex furcis erigebantur, quae declive tectum sustinebant, quod erat ex ramis, e culmis et stipula, dum parietes, virgea crate texti, luto oblinebantur. *Venatio* supervacanei operis solebat pastorum esse Lb. III, 404; cujus ad usum III, 12 formosus Daphnis arcu donabatur, et apud Theocritum V, 106 Lacon canit:

Quique lupos angat, canis est pecoris mihi custos,
Quem puero dono, ut vexet genus omne ferarum.

Tantum in Sicilia post bellum servile anni DCL nemini servo aliquamdiu licuit telum gerere; et Cicero refert, pastorem, quum aprum venabulo percussisset, pro praemio, quod speraverat, jussu praetoris in crucem sublatum esse. *Cervos* tamquam speciosissimas nominat ferarum nullum periculum minantium. *Figere cervos*, cervos telo transfodere Lb. I, 308. Aen. VI, 803. Quoniam *cervi* valli in bello sunt furcarum similitudine Varr. L. L. IV, p. 29 et p. 34; Servius mavult quidem cervos proprie dictos, sed tamen nihil recusat, quin furcas hic illas intelligamus ad casas agrestes defixas. Sed haec opinio vel nullo argumento levis est, vel temeraria potius; nam *et*, quod post *habitare casas* habemus, ut opus exspectemus, causa est, quod prius illud sequatur; atque pro oblectamento aliquo, quod recte observavit Servius, inepte sponderetur opera. Domini in pecore *pascendo* non vult puerum loborare; tantum peculiares Corydonis *haedos*,

peculium, oblectamenti causa, ut ad *hibisci* campos agat, suadet. Ita apud Euripidem Cycl. 27 a juvenibus Satyris agni in collium clivis pascuntur. Capellis, Columella *) et Palladius **) praecipiunt, ut praeter lactis largam copiam flores ulmei (*samera*) dentur, cytisus, hedera, cacumina ramorum arbuti et lentisci, et alia tenera frons. *Hibiscum*, Dioscoridi si fidem habemus, *Althaea* est, quae apud nos quoque in salso solo et humido nascitur, et propter virus, vulnera discutiens et maturans, internae curationi corporis et externae a medicis adhibetur. Ex crassa radice, intus alba, obductus canitie truncus ad duorum pedum altitudinem erigitur, in alternos ramos dispergitur, et folia ovata et lanuginosa habet et e rubro pallentes florum corollas. Aliqua ejus genera vel celsioris habitus vel humilioris flores habent et sanguinei et rosei (*carnei*) ruboris et candidos. Apud Calpurnium *hibiscum* planta est, qua vel homines, ubi opus sit, ali possint; tamen Plinius cibum ex eo damnat. *Compellere viridi hibisco*, viride, recens et tenerum hibiscum versus adigere, pro *ad hibiscum*, quod genus *it clamor coelo* Aen. V, 451, *rivo fluenti jace* VIII, 101. *Virent*, *recentes* sunt, Columella de cultu hortorum 315 cum de aliis stirpibus, tum de floribus papaverum dicit. Virga hibisci fruticis propellere, quemadmodum erant qui interpretarentur, id refutatur *compellendi* verbo, quod non tantum *agere*, *ducere* est, sed perducere ad aliquid, adigere. Quodsi

*) Col. VII, 6, 7.

**) Pallad. XII, 13, 8.

te comitem habebo per *silvam pascuam* montium (qui cum campis hibisci oratione comparantur) una cantu utemur et fistula, *Panis* divina arte. *Pan* inter deos rusticos Arcadiae erat, a Jove, quod Epimenides *) dicit, ex Callisto geminus Arcadis; a Mercurio, quod alii dicunt, ex Nympha aliqua aut ex Penelopa genitus; simus, bicornis, auribus acutis, cauda hirsutus et pedibus caprinis, fistulam tenere solebat et pedum. *Παν*, pastioni in saltibus quum praeesset, nominabatur, tamquam *παων*, *pascens*, quemadmodum Jupiter in Peloponneso *Ζαν*, vivens, appellatus est; etiam Theocriti aetate VII, 106 pro hominum silvestrium immani feritate Arcades cum eo agebant. Caeteri Graeci primam post Hesiodi tempora per Epimenidem ejus notitiam acceperunt; Athenienses, quod majus est, brevi ante pugnam Marathoniam, quo ipso tempore philosophi et sacerdotes coacti sunt, ut rudes mutarent antiquitatis deos notasque eos esse rerum naturalium interpretarentur. Tum non solum ex nomine, sed etiam ex forma ejus, ut significationem *rerum universitatis* haberet, ridicula solertia exprimebatur, etiam fistulae septem calami novam doctrinam de septem stellarum errantium concentu declarare debebant *Ep. Myth.* I, 13. *Syringa* Naida proterve aliquando quum ad fluvium Ladonem sequeretur, de pudicitia desperans haec arundinea a sororibus facta est. Amatae ad memoriam amator culmos aliquos scidit, inflavit eos, et *multiplicem fistulam* sive *syringem* invenit. Artificium ejus, quod Ὁμηρίδης *H.* in *Pana*

*) Schol. Theocr. I, 3.

16 lusciniae cantui praefert, fertiles ex vetere epigrammate greges reddebat:

O Pan, jam pecori sacras exprome loquelas,
Et calamorum auro junge, precor, labium;
Lactis ut assidue nivei de rure gravatis
Uberibus pecudes dona ferant Clymeno.

Usum fistulae Pana invenisse Melpeiae in monte Nomio Arcades confirmabant. Tamen fistula etiam Homero Il. X, 13 nota erat et Hesiodo *scut.* 278, priusquam de Pane Arcadio fama exierat; nisi unius calami istam intelligere malis, qualem Mercurius, uti Euphorion apud Athenaeum IV p. 184 auctor est, invenit; quo facto plures calamos Silenus, Marsyas cera conjunctos addidit. Pro *conjungere* Hafniensis *A* habet *componere*. *Magistri* praefecti pastorum v. 1. appellabantur. *Te* quoque ne taedeat usus artis rusticae, quam deus invenit. *Poenitet* X, 16. In *labris* fistula huc illuc pellebatur.

35—39. Cujus divinae artis summus magister et princeps nunc ego sum, et eximiam fistulam teneo non sine invidia; quam simul cum artificio ut a me impetres, in te uno positum erit. — *Amyntas*, notus illic in fistula artifex, quanta opera exercitationem meam sequebatur! Sed frustra. Infelicem in fistula aemulum Amyntam fuisse, Ascensius dicit et Cerda recte, quod sequentia probant; alii cum Servio delicatum puerum intelligunt, cujus exemplo obsequium etiam Alexidis excitaretur. *Quid non* i. e. *omnia; faciebat*, facere solebat v. 4. Moriens ipse *Damoetas*, laudatissimus musicus, *septem calamorum fistulam*, quod victrix ejus studium fuerat,

mihi legavit, quippe dignissimo, qui id exciperem, quod aegre ferebat Amyntas arrogans. *Syrinx*, sive, quod Tibullus II, 5, 31 cecinit:

Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo;
Nam calamus cera jungitur usque minor:

etiam serioribus temporibus inter communem supellèctilem pastorum erat Graeciae et Latii, disparibus et crassitudine et longitudine calamis, qui ex cicuta saepe, aut, quod apud Calpurnium IV, 74 est, e buxo fiebant. Ad simplicissimum cantum silvestrem lino et cera Pollux calamos junctos fuisse tradit; ars aucta, uti Lyrae fides, ita fistulae cannas auxit, quae fabricatae diligentius et vinculorum circulis constrictae, aequales supra, inaequales infra erant, alae instar. Ad simpliciorem illam haec Martialis XIV, 63 pertinent:

Quid me compactam ceris et arundine rides?
Quae primum structa est fistula, talis erat.

Ejusmodi aliquam trium arundinum, *τους τρισσους δονακας*, Daphnidi Theocritus tribuit Epigr. II, 3., ubi *τρητους* emendatio Salmasii audacior est. Si ex *cicuta septem calami* fiebant, etiam inter artificiosiores numeratas videmus. Theocriti quidem in VIII, 18 par aemulorum cantu contèndentium de *novies voculi* arundinea fistula gloriatur:

Fistula, quam novies vocalem feci ego pulchram;
Candida cera supra simul est, simul addita et infra.

Nummus Syracusanus Landolinae, Viri Gravissimi, cujus Munterus mihi [amicus] descriptionem pictam communicavit (exstat quoque in Biblioth. literarum veterum et artis 9 fasc.), in altera parte Panos fert

caput cornutum hoc titulo *ΣΥΡΑΚΟΣΙ*, in altera intra coronam frondeam hanc fistulam novem tuborum, quos infra supraque vinculum cingit, longitudine aequalium. Exitu igitur inaequali solertia Siculorum pastorum necesse est sonorum aliquos gradus effecerit; nam pro rudibus ex arundine calamis (*καλαμοι*), Pollux auctor est, artificiosiorem fistulam fictis e tubis (*αὐλοι*) compositam fuisse; et Theocriti in I. id. v. 129 Daphnis fistulam habet cera junctam, *περι χειλος ἑλικταν*, quae circa labium inflectitur. Alii fistulas sibi efficiebant decem, alii undecim, quindecim vel unius et viginti cannarum, quarum numerum, erant interpretes, qui ut minuerent temere studebant (*Wernsd. poët. min.* II, p. 384); Polyphemus Ovidii *Met.* XIII, 784 etiam centum arundinibus montes et undas percrepabat. Interamnae ad Narem (Terni) Stollbergius Comes fistulam audiebat sex et viginti calamorum, qui, a sexies fere digiti pollicis vix ad unius longitudinem decrescentes, nulla cera, filis aptati erant, et ad ictus citharae novitiae Italorum (Mandoline) inflati, non injucunde ad ejus, qui procul erat, aures sonabant, aliquanto argutius, si prope accedebas. Hoc symphoniacum silvestre, quod dicta artis varietate auctum erat, ut elegans taleque efficerent, ut recte et simpliciter sonaret, idque ut suaviter inflarent: haec res exercitationem requirebat et facultatem, quam non cuilibet pastores Theocriti facile concedebant. Manilio Astrologo auctore dulcissime id inflat pastor, qui sub haedis nascebatur. Moschus III, 83 laudat Biona, qui pastor fistulas struxerit. Et in Bionis reliquiis vituperatur aliquis, quod

ipse non fistulam aptet, sed assidue ad opificem meet. *Moriens* demum Damoetas laudis sociam digno haereditate dedit. *Te nunc secundum habet:* a te tractata priorem possessorem non desiderabit. Eximiae supellectili sensus tribuuntur. In Hafniensi libro *D*, qui a v. 29 orditur, *habeat* legitur. *Damoetas dixit*, quod iteratum est, pondus aliquod personae loquentis conciliat. *Amyntas* quum *stulte* speraret haereditate fistulam accipere, artificis morientis ad lectum convenerat.

40—44. Etiam donum *capreolorum juvenum* multum commendationis habet. Capturae, quod primum est, difficultatem, qua venans Corydon, quum in praerupta *ex rupibus valle* ex matris eos cubili peteret, lapsu deferri periculum subiit. Alii periculum intelligunt a feris bestiis et a praedonibus, quod tamen metuere venatorem armatum parum virile sit. Pastor Calpurnii III, 77 parvum lepusculum puellae in sinum infert, quem matri surripuerat; alius VI, 33 cervum captivum domuit. Altera pars commendationis est: *album macularum* nondum obscuratur, quippe quod infuscari Servius adolescentibus dicit. *Etiam nunc* cum *siccant* aut cum *servo* conjungere, collocatione vetamur. Heinsius *etiamnum* reperit, quod saepe is in Ovidio et Lb. IV, 135 praeferebat; eodem modo Hafniensis *B;* utrumque autem antiquum est. *Ambo*, sunt, qui legant; Hafnienses quoque *C* et *D*, vel id ad proxima superiora, vel ad proxima inferiora pertrahentes. Utrobique otiosum est, *albo*, necessarium, ut qui color macularum fuerit, indicetur, cujus rationis Lb. III, 56. Ter-

tium est, quo donum commendetur, vegetus catulorum vigor, quum singuli quotidie duarum lac ovium sugant. *Siccandi* verbo de mulgendis utuntur Horat. Epod. II, 46; Ovid. *am.* III, 5, 14; Calpurnius III, 66. Postremum commendationis desiderium est blandae Thestylidis, quae gratas bestiolas dono accipere vellet; quonam pretio, facili opera divinare licet. Pinguius immanis Theocriti XI, 40 Polyphemus deliciis suis donum offert:

Hinnuleosque tibi cinctosque monilibus omnes
Undenos servo, catulos et quatuor ursae.

Lenis facetiarum umbra, quae suspicionis aliquid ingenio Graecorum relinquit, acriore lumine ab Ovidio Metam. XIII, 831 illustratur. Non leves lusus aut vulgares gratias Cyclops puellae destinat, quales damae sunt, lepores, caprae, par columbarum aut nidus volucrum, sed:

Inveni geminos, qui tecum ludere possint,
Inter se similes, vix ut dignoscere possis,
Villosae catulos in summis montibus ursae:
Inveni et dixi: dominae servabimus istos.

Et faciet; minatio Theocritea III, 34:

Partu cum gemino capram niveam tibi servo,
Quam Mermnonis Erithacis a me, fusca puella,
Percupit: accipiet, fastidis quod me Amaryllis.

Munera, studium Lb. IV, 520; *nostra*, hominum nostri generis.

45—50. Aspirans repente majores spiritus orationi, fiscellas in coronamenta pollicetur *florum aestivorum* eleganti structura et *frondis* repletas. Calathi florum et coronae suaves colorum varietate,

odoribus, frondis specie et nexu dona haud contemta erant iis in terris, quae sedes essent venustatis et laetitiae, quibus coronae pastorum, victorum, adorantium, deorum festi ornatus erant. Columella de cultu hortorum v. 294 agricolas jubet flores, in frigore vel matutini vel vespertini temporis decerptos, et vino, ut odorem integrum servarent, conspersos corbibus venales in urbem vel vimineis vel sirpeis ad Vertumni statuam deferre, unde crapula gerulus et sinu pecunia completo demum redeat. Corydon sui id horti donum paciscitur, *fonte*, solemni more Lb. IV, 115. 120 irrigui. *Nymphae* appellabantur quaeque deae lymphae altricis, quae ex Oceani ambitu vel aperto introitu vel venis subterraneis inferretur Lb. IV, 344. 357; *Najades* Nymphae aquarum imprimis terrestrium, interdum etiam maris interni, vel Nereïdes, quae a filiabus Oceani ita distinguerentur. Suavis opinio, flores propter aquas nascentes a Nymphis non tantum ali, quod est apud Catullum LXI, 23 et Calpurnium IX, 22, sed ab iisdem etiam *calathis ferri*, assidua consuetudine etiam ad humilioris spiritus poësin transierat; ut saltatrix (Coppa) Virgilii v. 15 viatori laudare potuerit:

Et quae virgineo libata Achelois ab amne
Lilia vimineis attulit in calathis.

Inde ab hac Ecloga Columella eam v. 299 de cultu hortorum mutuatus est. Plinio *) auctore ejusmodi *calathi* lilii dehiscentis similitudinem habebant, calicis instar: quales eos Spanhemius ad Callimachi *Cer.* I.

*) Plin. XXI, 5. s. 11.

expressit. Album *lilium*, κρινον sive λειριον, flore ab angustiis in latitudinem sese laxante, stantibus in medio crocis, quale nobis vulgare est, una cum narcisso trans maria primo vere Plinius *) florere dicit, non multo post violas X, 25; in Italia post rosam. Seriorem aliquam speciem Virgilius significare videtur, quae in Sicilia quoque circa solstitium floret. *Viola*, ἴον, propter odorum similitudinem a Graecis et Romanis par florum appellabatur genere dissimile. *Nigra viola*, μελανιον, eximie ἴον, *viola silvestris*, quae Martii mensis est, et humi pullulat; *candida viola* sive λευκοϊον, *viola sativa*, cujus flores e fruticoso caule surgunt, a foliis cana lanugine obductis nominabatur; quemadmodum aliae quoque plantae v. g. hedera Lb. IV, 124 nigra fronde et candida distinguebantur. Ad violam sativam, quae defloruerat, Ovidii *artis am.* haec pertinent III, 67:

Hos ego, qui canent, frutices violaria vidi.

Haec viola sativa, quae peculiaribus seminariis (*violariis* Hor. II. Od. 15, 5) colebatur, etiam ante violas istas silvestres, quae ex purpureo in coeruleum colorem inclinant, florebat, sed diuturniore constantia, floribus albis, purpureis et luteis; lutea, cujus species aliqua auctumno florebat, apud medicos quidem imprimis in honore erat. *Pallentem violam*, mihi opinio est, λευκοιον universum genus complecti, non diligenti inter colores florum discrimine facto, minimeque id obstare, quod fuscae faciei pallorem aliquando Horatius cum lutea viola, ut quae vulgatior

*) Plin. h. n. XXI, 11 s. 38.

species sit, contulerit. Luteum Leucoium sive lutea viola, *Cheiranthus Cheiri L.*, cujus est *la giroflée jaune*, *le violier jaune*, *le bâton d'or*, *Goldlack*, inter Anglos et Germanos inde quoque nomen *Mauerblume*, *wall-flower* duxit, quod sua sponte in maceriis nascitur earum regionum, quae sub Austro vento sitae sunt; alba et purpurea viola et quot ejus varietates sunt, *Cheiranthus incanus L.*, etiam *fruticosae violae*, *stock-gilliflower*, nomen habent *). *Papaver* aut amplioris formae species est, quae, apibus utilis, decoris gratia etiam in hortis florebat, *Papaver somniferum L.*, aut papaver erraticum, rhoea exculta studio, *Papaver Rhoeas L.* Columella de cultu hortorum v. 314 suadet agricolis, ut messe circa solstitium recentis *papaveris* et *anethi* manipulos venales deferant **). *Narcissi*, quem florem lilii quoque λείριον, nomine Graeci appellabant, tria genera, triplicem arationem indicantia, vere, aestate et circa aequinoctium auctumnale florebant; narcissis auctumnalibus purpureum et herbaceum calycem (*nectarium*) Plinius tribuit, quum aliis luteus sit Lb. IV, 123 ***). *Anethi* (*Anethum graveolens L.*) florum luteorum et bene olentium muscaria circa diem solstitialem coronis adhibebantur. Ipse Alcaeus *Athen.* XV, 5 coronas se-

*) Cf. index rerum et verborum ad Theophrastum Schneideri s. v. ἴον; K. Sprengel ad: *Theophrast's Naturgeschichte der Gewächse* VI, 8.

**) Cf. Plin. h. n. XIX, 53. XX, 76. 77.

***) Plin. XXI, 12.

micirculorum anethi poscebat; ejusdem anethi Sappho quoque coronas carmine laudabat, quod σχοιλιαστης affirmat Theocriti VII, 63, cujus pastor anetho sibi caput ornat:

Laeta dies simulac egresso illuxit ad oram,
Cinctus ego viola pallente comas et anetho
Atque rosa fundam large Pteleatica vina.

Casia ab Hygino appellata, *cneoron* et *thymelaea* Graecorum est, quae *grana cnidia* fert medicis, *Daphne L.* Duas ejus species facit cum Theophrasto Plinius, cneorum nigrum atque candidum, quarum utraque post aequinoctium auctumnale floret, candida floribus magis olentibus. *Daphne Gnidium L.* propter baccarum acriorem saporem esse putatur, qui frutex bis quotannis floret; tamen plura ejus genera sua sponte in Italia nascuntur Lb. II, 213. Pulchra et oleagineae haud dissimilis, quamvis minor, *frons*, Plinio auctore XXI, 9 s. 29, ad serta adhibebatur: quemadmodum plurium herbarum bene olentium, apiastri, thymi, serpylli, *trifolii*, loti, roris marini, apii. *Vaccinia* v. 18. *Hyacinthus*, Ovidio quidem si fidem habemus, Martio extremo *Metam.* X, 165 et mense Aprili *Fast.* IV, 439 floret: tamen diutissime eum cum viola alba durare Plinius dicit, aestate quoque *gladiolum* (*irin*) *) florere, quem et ipsum Palladius **) hyacinthum esse existimat, Nicander vero Athen. XV, p. 683 cum hyacintho Ajacis eodem ordine nominat. *Caltham* Romanorum, quam luteam

*) Plin. XXI, 38. 39.

**) Pallad. I, 37, 2.

gravisque odoris Plinius, Columella de cultu hortorum 97 flaventium luminum facit, *Calendulam L.* esse, opinio est; quem florem *Ringelblume* sive *Goldblume* nostri homines, Francogalli *souci* appellant, quod ex *solsequio*, quia solem sequatur, factum est. Ovidius (Pont. II, 4, 28) in conversionibus naturae futuris ponit:

Calthaque Paestanas vincet odore rosas.

Alii *chrysanthemum* intelligunt, quod *chalcas* etiam secundum Dioscoridem *) et *buphthalmus* dicitur propter luteos, acriter lucentes et oculorum instar in orbem contortos flores. *Misceri* Plinius multa varietate flores dicit **), ut odores coloresque invicem accendant. Profecit hoc artificium Pausiae opera, pictoris Sicyonii, quem amata Glycera coronaria, quae nectendo e natura petierat exempla, ad penicillo imitanda provocavit: unam imprimis Pausiae picturam Plinius ***) laudat, qua ipsam puellam serta texentem fecerat. *Pingere*, discrimine colorum facto distinguere, discernere *Cul.* 142.

51—55. Canistra mitibus *pomis* et odorata *fronde* eo adjiciam. *Mala cotonea*, qui fructus erant *Pyri Cydoniae L.*, ex Cydone, urbe Cretensi, oriunda erant III, 70: *mala cotonea minora* †), quae hic intelliguntur, propter *odorem* imprimis grata erant, et in nocturnis cubiculis capi-

*) Dioscor. IV, 58.

**) Plin. XXI, 2 s. 3.

***) Plin. h. n. XXXV, 40.

†) Bauh. pin. 434. Plin. h. n. XV, 10.

tibus imaginum, quae una ibi cum Laribus erant, imponebantur; crudo uno tantum genere, reliquis vel coctis vel conditis vescebantur. *Castaneae*, *nuces* Heracleoticae alias et Sardianae glandes vel Iovis et apud Ovidium art. am. III, 183 glandes Amaryllidis, Virgilianae hujus, appellatae, una cum cerinis prunis, quae maturuerant, a saltatrice quoque Virgilii v. 19 offeruntur: reconditae nimirum, nam Octobri primum maturescunt I, 81. *Cerina pruna* cum purpureis inter laudata Plinius habet; quod probe novit Polyphemus Ovidii, quum Met. XIII, 817 inter corna, arbuta et reliquos fructus silvestres ea recenseat:

Prunaque non solum nigro liventia succo,
Verum etiam generosa novasque imitantia ceras.

Formosae Amaryllidis judicio castaneae *honorata poma* (*pomum* I, 37) factae sunt: tuo judicio pruna id erunt non minus delicata. In *pruna — honos a* non coalescit; quemadmodum id saepius negligitur, etiamsi nullum *h* sequatur, quod genus III, 6. 63. VII, 53. Suaves animi, Hafn. quoque *D*, interponentes *et* mederi sibi videbantur. Coronas quidem Hipponax apud Athenaeum II, 10 prunorum et menthae habebat; quernam cum fructu splendere Plinius, lauream Sophocles (Oed. T. 83), et, quae apud Theocritum II, 120 Philetae Coi elegiarum reliquiae sunt, ipsam Venerem asseverant mala Hesperia sive citrea in fronte gerere, de quibus Hippomeni dederit:

Temporibus Cypris quae mala ferebat Iacchi,
Demsit et Hippomenem jussit habere sinu:

hic vero *calathi* sunt plures florum, frondis, fructuum blanda structura compositi, ut nares, oculi, gustus de-

lectentur; ad similitudinem *lancis saturae*, qua primitiae diis rusticis ferebantur, et ad ejus similitudinem, qua nunc in Servatoris natalitiis dona liberis nostris dare solemus. Munera ejusmodi frugum et fructuum, raro turdos et coronas canistro puellae mittit Ovidius art. II, 263, cujus interpres quidam, Martialis III, 47 et XIII, 51, quod credibile est, exemplo in eum errorem inductus, vel turdos sibi in corona suspensos fingebat opinione. Talem missionem, *pompam*, Propertius quoque III, 11, 27 inter rusticos mores antiquitatis narrat:

Illis pompa fuit decussa Cydonia ramo,
  Et dare puniceis plena canistra rubis:
Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre
  Lilia virgineos lucida per calathos:
Et portare suis vestitas frondibus uvas,
  Aut variam plumae versicoloris avem.

Lauri tria genera in hortis colebantur: delphica triumphalis fronde ampla et subviridi; cypria, quae folio brevi et nigro erat: silvestris, Tinus (*Viburnum Tinus L.*) appellata. *Myrti* vel sativae erant nigris, vel silvestres baccis sanguineis; utraeque et ipsae frondis amplitudine variae. Lauros et myrtos inter coronamenta Cato commendat agricolis, ut quae, urbe propinqua, facile veneant. Luxuriosorum in hortis instructissimis plena omnia platani caelibis, violariorum, myrtorum et spissae lauri Horatius Od. II, 15 reperit. Propter odorem lauri et myrti Corydonis in hortis vicinae satae erant. Solae illae III, 63, hae VII, 6 in hortis pastoralibus memorantur.

56—59. Me miserum! nam splendidissima quaeque dona, quae promere valeo, rusticae me paupertatis arguunt! Quanto meliora Iolas feret puero! Quid? quod hanc ipsam comparationem damno meo attuli! —. *Rusticus*, qui ruri degit, sed cum significatione stultitiae, qua inepte his donis confidat. *Concedat* et auctoritate probatur meliorum, qui manu scripti sunt, et sententia, quae haec fere est ad verbum expressa: Nec, etiamsi tu contenderes, Iolam concedere umquam credibile est. Tamen *concedet*, quod Hafnienses quoque *A. D.* habent, raritate dictionis IV, 59. VI, 10. X, 33 defendi liceret. Pro *Heu*, *heu!* Hafniens. *C* falso habet *Eheu*, quo jambo senarium Terentius conclusit; in eodem libro *aprum* est pro *apros*. Sententiam, mihi ipse detrimento fui, munerum mentione imprudenter facta, Corydon duobus proverbiis rusticis exponit: Flores austro, fontes, nullo sepimento, apris volutantibus commisi. *Auster*, qui a meridie flat, Graece *Notus*, noxius a Plinio II, 48 dicitur, magis etiam si siccus; *Scirocco* nomine nunc infamis est, cui Aristoteles quoque 1 *probl.* 23 febres ardentes tribuit. Nocens corporibus, plumbeus, letifer ab Horatio; aestibus spirans ab Ovidio nominatur; Statius perire eo germina rosarum dicit, et flatum ejus obesse vinearum valetudini. Quare monet Plinius XVIII, 76, ne ad ejus plagam Italia neque arbores nec vites convertat; docetque XVI, 46, piros et amygdalas flores amittere et foetus fructuum, si Austro coelum, etiam nulla pluvia, obumbretur. Etiam ad olera erant Geop. XII, 5, qui quum fontes iis deessent irrigui, hortos

haberent, quos pluvia madefaceret, hiemales ad meridiem; ad septemtriones hortos aestivos, ut umbra esset. *Flores* igitur hic sunt, qui vel *fructus* praeparant vel *odores*. *Perditus*, libidine quasi periens, amens Prop. I, 13, 7: eodem modo Ecl. VIII, 88 de vacca pruriente, Varius de fervore canis venatici. *Fontes* in terris calidioribus ab iis imprimis, qui in saltibus pascunt, tanti aestimantur, ut, *septis* et umbra tuti, religione et carminum popularium fabulis consecrentur; quod mirum sit interdum iis, qui ab humidis septemtrionibus peregrinantes has terras adeunt. Homeri Odyss. XVII, 204:

Quumque viatorum par concedebat ad urbem,
Ingrediens salebris, dulci stabatque propinquum
Fontis aquae, cives latices quo fonte petebant,
Quem struxere Ithacus, tum Neritus atque Polyctor;
Circa populeum sed aquis aderat nemus altum,
Orbe satum hinc atque hinc, frigus saliebat et undae
Rupibus e superis, nympharum et structa erat ara,
Qua donis suevit numen placare viator.

Apri, qui cum cognatione mansuefacta, in luto libenter volutantur Lb. III, 411, fontem liquidissimum, nisi septis arcebantur, inquinabant. *Fontes*, puteus, qui pluribus ex venis confluit V, 40. VII, 45.

60—65. Quamquam quid loquor? Ipse agricola haud contemnendus, imo prae urbanis hominibus beatus est. Mecum tu beatus sis, qui tam suaviter te amem! — Quemnam, demens, fugis? mene agricolam? Ipsi Dii atque Heroës vitam in saltibus pastoralem degebant! Eamdem rem juvenis Theocriti bubulcus XX, 33 puellam urbanam et fastidiosam Bacchi

exemplo docet, Adonidis, Endymionis, Atyos, Ganymedis, qui omnes pastores erant et a deabus amati. Ipse Apollo pascebat Admeto serviens Lb. III, 2. *Paris*, filius Priami e gente Dardani Lb. III, 35. *Urbes* invidiose tamquam arces esse dicuntur conclusae et contra hostes *munitae*, secus atque silvae, quae pateant. *Pallas* Ἀθήνη, arguta dea inventrix artificiorum belli et pacis, prima domus struere, urbes munire docuit; quare praefectam urbibus (πολιοῦχον,) portis (πυλαίαν,) praesertim arcibus, quae in ascensu urbium erant (ἀκραίαν,) omnes Graeciae gentes, non solum Athenae, quam urbem carissimam habebat, colebant. Has res, quae nunc doctrinae aliquam speciem prae se ferunt, tum etiam servi inertissimi, nedum praefecti pastorum, qui literas callebant, quotidiano usu novisse poterant. *Condidit* arces, condere docuit; qua ratione Lb. I, 122 Jupiter agrum colit. Hafn. *C* habet *colit*. *Nostrum* utrique, amore conjunctis, silva delectationem ferat, qualis nusquam est alias! Tantus in te meus amor est, tam constans naturae appetitio, quam quibusque animantibus innata sua indoles. Haec similitudinibus proverbiorum pastoralium Theocriti exemplo X, 30:

Et caprae cytisum lupus insequiturque capellas,
Vomeris estque comes grus; ipse tui furo amore.

Leones non erant quidem in Sicilia, sed prope aberant in Africa, unde etiam Thyrsis Theocriti eos sumebat I, 72. Quod Philargyrius tradit, *foeminam leonem* Plautus, Varro (et Lucretius) *leam* dixere, Cicero *leaenam* non sine peregrinitatis offensione. Audacius dictum *leaena* sensim in com-

munem consuetudinem veniebat, poëtarum ad usum *lea* obsoletum redibat. *Cytisus* I, 78.

66—68. Dum has et similes e pectore querulas voces exprimit et fistulae modos miscet, vesper surrepebat, et prope fagos aratores villae ab opere rustico redibant. Circa solstitium, quum narcissi v. 48 denuo florerent, iterum arabatur sive *iterabatur*, *offringebatur* Lb. I, 47. Eodem modo apud Theocritum XVI, 94 diebus solstitialibus, quum cicadae strepunt, ager vere proscissus, rescinditur, ut auctumno seratur:

Apta, precor, segeti sint rura novalia, quando
Arbore de summa resonans sub sole cicada
Pastorem observat.

Quo tempore boves ab opere disjungebantur, βουλυτος, aratrum *suspensum* sive inversum et furcillata traha portatum jugo retrahebant. Etiam foenerator Horatii gaudet Epod. II, 63:

Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido.

Circa solstitium homines rusticos, Palladius auctor est, qui metientes umbram suam de tempore judicabant Lb. III, 327, decima hora diei naturalis duodecim pedes, viginti duos undecima aequasse; ut *crescens umbra* brevi *duplicata* sit. Nec, nisi *duplicandi* verbum proprie accipitur, ullus *crescentis* usus est, praeter hunc, ut rima expleatur. Simili modo in *Culicis* v. 203 vesperi

Cum grege compulso pastor duplicantibus umbris
Vadit.

Sed quamquam frigus est diei vergentis, me tamen *urit immodicus* amor. Undique libido similitudines colligit, quemadmodum Theocriti venefica II, 38:

Aequoris, ecce, silent fluctus et flamina venti,
Vecordis siluit nondum sed pectoris aestus.

69—73. Optata non impetrans, Corydon irascitur, et irato animo stultitiae se damnat, quemadmodum Polyphemus Theocriti XI, 72:

O Cyclops, Cyclops, quo mens effugit amore?
Texere si malles calathos, frondemque referre
Decerptam pecori, multo prudentior esses.
Praesens est mulgenda, sequeris quid fugientem?
Invenietur enim Galatea venustior ultro.

Probrum insaniae rustico proverbio dilatatur: De vino bibisti semiputatae vitis in intonsa ulmo. Recidebantur sive *putabantur* palmites vitis veteres, retorridi et inutiles, unaque ulmi maritatae stolones supervacui extremo auctumno et vere usque ad aequinoctium, priusquam ignominiosus cantus cuculi audiretur. Romani quoniam pigri circa pericula in altis arbustis, quae in Italia regnabant, adeunda erant: Numa lege lata eos coëgit, ut de imputata non libarent. Inde, quicunque de leviter putata sive *semiputata* vite, quae luxuriante *fronde ulmea* obumbraretur, vel libasset vel bibisset, amentia corripi, commoda superstitio nata est Lb. II, 403. Ulmorum enim, praeterquam, quod recidebatur, uti diximus, sive putabatur fera et inutilis fruticatio, cacumina quoque post solstitium virgultorum tenuium (*barba* Plin. XVII, 23 s. 35, 22), ne obumbrarent, *tondebantur* sive *frondabantur*, et ad pabulum adhibebantur L. II,

400. 446. Ipsius vitis in arbustis frondatio (*pampinatio*) locum non habebat. Utinam de multis rei familiaris necessariis operibus aliquid *saltem* tractare malles, quam stulte vagari, texendis v. c. e lentis *viminibus* et *juncis*, fiscellis, cribris, formis casei, majoribus cistis (*Ov. Met.* II, 554), cratibus ad chortes et stragula. Haec studia otii pastorum in agris erant X, 71. Hafniensis *C para* habet, quod ex *paras* mutatum est; *Alexis* omnes quatuor, quod jejune dictum est. Alium *Alexin*, puerum aeque speciosum, sed majoris obsequii, invenies. Ita Theocritus nomine Galateae tamquam appellativo, ipseque Virgilius VII, 70 altero Corydon usus est.

ECLOGA TERTIA.

PALAEMON.

Menalcas. Dic mihi, Damoeta, cujum pecus? an Meliboei?
Damoetas. Non, verum Aegonis; nuper mihi tradidit Aegon.
M. Infelix o semper, oves, pecus! ipse Neaeram
Dum fovet, ac, ne me sibi praeferat illa, veretur;
Hic alienus oves custos bis mulget in hora:
Et succus pecori, et lac subducitur agnis.
D. Parcius ista viris tamen objicienda memento!
Novimus et, qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo (sed faciles Nymphae risere) sacello.
M. Tum, credo, quum me arbustum videre Myconis,
Atque mala vites incidere falce novellas!
D. Aut hic ad veteres fagos, quum Daphnidos arcum
Fregisti et calamos. Quae tu, perverse Menalca,
Et, quum vidisti puero donata, dolebas;
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses!

M. Quid domini faciant, audent quum talia fures!
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca,
Et quum clamarem: Quo nunc se proripit ille?
Tityre, coge pecus! tu post carecta latebas.

D. An mihi, cantando victus, non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula, caprum?
Si nescis: meus ille caper fuit! et mihi Damon
Ipse fatebatur; sed reddere posse negabat.

M. Cantando tu illum? aut umquam tibi fistula cera
Juncta fuit? Non tu in triviis, indocte, solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

D. Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim
Experiamur. Ego hanc vitulam (ne forte recuses:
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere foetus!)
Depono; tu dic, mecum quo pignore certes.

M. De grege non ausim quidquam deponere tecum:
Est mihi namque domi pater, est injusta noverca;
Bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.
Verum, id quod multo tute ipse fatebere majus,
(Insanire libet quoniam tibi!) pocula ponam
Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos edera vestit pallente corymbos.

In medio duo signa, Conon, et quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem,
Tempora quae messor, quae curvus arator haberet.
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
D. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit:
Et molli circum est ansas amplexus acantho;
Orpheaque in medio posuit, silvasque sequentes.
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
Si ad vitulam spectes, nihil est, quod pocula laudes.
M. Numquam hodie effugies; veniam, quocumque vocaris!
Audiat haec tantum . . . vel qui venit, ecce Palaemon.
Efficiam, posthac ne quemquam voce lacessas!
D. Quin age, si quid habes! in me mora non erit ulla!
Nec quemquam fugio! Tantum, vicine Palaemon,
Sensibus haec imis (res est non parva!) reponas!

P a l a e m o n.

Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba,
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent silvae, nunc formosissimus annus.
Incipe, Damoeta; tu deinde sequere, Menalca.
Alternis dicetis; amant alterna Camoenae.
D. Ab Jove principium, Musae: Jovis omnia plena;

Ille colit terras, illi mea carmina curae.
M. Et me Phoebus amat; Phoebo sua semper apud me
Munera sunt, lauri et suave rubens hyacinthus.
D. Malo me Galatea petit, lasciva puella;
Et fugit ad salices, et se cupit ante videri.
M. At mihi sese offert ultro meus ignis, Amyntas;
Notior ut jam sit canibus non Delia nostris.
D. Parta meae veneri sunt munera: namque notavi
Ipse locum, aëriae quo congessere palumbes.
M. Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta,
Aurea mala decim misi; cras altera mittam.
D. O quotiens, et quae nobis Galatea locuta est!
Partem aliquam, venti, divom referatis ad aures.
M. Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta;
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo?
D. Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola,
Quom faciam vitula pro frugibus, ipse venito.
M. Phyllida amo ante alias; nam me discedere flevit!
Et, Longum formose, vale, vale! inquit, Iola.
D. Triste lupus stabulis, maturis frugibus imber,
Arboribus venti; nobis Amaryllidos irae.

M. Dulce satis humor, depulsis arbutus haedis,
Lenta salix foeto pecori; mihi solus Amyntas.
D. Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:
Pierides, vitulam lectori pascite vestro!
M. Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
Jam cornu petat et pedibus qui spargat arenam!
D. Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet;
Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum!
M. Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi!
Atque idem jungat vulpes et mulgeat hircos!
D. Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc! latet anguis in herba!
M. Parcite, oves, nimium procedere! non bene ripae
Creditur! ipse aries etiam nunc vellera siccat!
D. Tityre, pascentes a flumine reice capellas!
Ipse, ubi tempus erit, omnes in fonte lavabo.
M. Cogite oves, pueri! si lac praeceperit aestus,
Ut nuper; frustra pressabimus ubera palmis.
D. Heu, heu! quam pingui macer est mihi taurus in ervo!
Idem amor exitium pecori, pecorisque magistro!
M. His certe neque amor causa est; vix ossibus haerent!

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos!
D. Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tris pateat caeli spatium non amplius ulnas.
M. Dic, quibus in terris, inscripti nomina regum,
Nascantur flores; et Phyllida solus habeto.

Palaemon.

Non nostrum, inter vos tantas componere lites.
Et vitula tu dignus, et hic. At quisquis amores
Aut metuat dulces, aut experietur amaros!
Claudite jam rivos, pueri; sat prata biberunt.

ECLOGA III. EXPLICATA.

ARGUMENTI NARRATIO.

AB U. C. DCCXII.

M. Aemilio Lepido L. Munatio Planco Coss.

VERNO TEMPORE.

Virgilius annum agens 27—28.

Hujus eclogae annus certe definiri potest. Ejus enim quum in quinta, quae hiemis est anni DCCXII et DCCXIII, proximo loco post secundam v. 87 mentio facta sit: hac, quam quintam habemus, antiquior, ipsa jam Asinii Pollionis laudat v. 84 benevolum animum. Hic vero, fieri non potuit, ut ante exitum anni DCCXI legatus Antonii in Venetia esset, quum pactio Mutinensis, qua Galliam citeriorem Antonius in potestatem suscepit, extremo Novembri a triumviris inita sit. Num igitur credibile est, in ipsa trepidatione pudorem Virgilii, quum primum res constituerentur, Corydone, Culice aliisque, quibus se ad majora praeparaverat, interpellavisse legatum; an licebat ei, quum paene inviti ita voluntatem expugnavisset, inter ipsa triumviratus principia, plena terro-

6 *

ris, novum ei et hujus argumenti carmen aliquod offerre?

Verisimilior haec hujus rei erit ratio. Inter agros, qui distribuendi a triumviris propositi fuerant, quum ager quoque Cremonensis esset; haec juveni Andino causa erat, cur ingeniosi legati, cujus de sermonibus et scriptis fama provinciam peragraverat, quum primum deceret, benevolentiam sibi conciliare vellet. Neque Pollionis deerat pudori juvenili cohortatio; itaque Virgilius verno tempore, vel Martio mense vel Aprili, hanc eclogam componebat, quae, laeti ruris securitatem adumbrans, et indulgentiam praefecti et insigne ejus Musarum studium laudaret. Imo Pollionis aliquae fabulae in theatris provincialibus spectatae esse debebant, quum tragicos ejus spiritus pastores Andinos v. 86—89 poëta celebrantes faciat.

Obvii autem ineunte Aprili in publico pascuo, quod declive ad Mincium vergebat, Menalcas et Damoetas, quos pastores Andinos poëta finxit, primum tela jaciunt rusticae dicacitatis, quae tantum abest, ut vel urbanitatis vel aulae facetiis, minime vero mala doctorum novae Arcadiae affectatione limata sit, ut, quae esse debebat, solida sit et simplex dicacitas aculeis interdum rustice pungentibus: postremum, ut carmine certent, se provocant, et Palaemon vicinus fit arbiter. Exordium et alios locos ex quarto et quinto Theocriti idyllio nostrum quis contendat derivasse? sed ingeniose imitatus est, quemadmodum in cantu aemulus imitando propositum exemplar superare vult.

Annotata.

1—6. Res verno tempore v. 6. 55 in publico pascuo *colonorum* agitur, qui agricolae minores fundos conductos habebant, prope ripas Mincii VII, 1—13, quarum ad herbam greges, priusquam pastionis aestivae in saltibus, Vergiliis circiter Calendas Majas exortis, initium fiebat, cum agnis auctumnalibus et capellis et vernis vitulis compellebant I, 49—58. Prope pratum separatum aberat domini ditioris, cujus Palaemon villicus cum aliquibus servis id agebat, ut aperiendis rivis, qui in radice montis obstructi erant, id irrigaret, v. 111. In hoc campo, herbarum utilium et fruticum pleno, quem socii equestres, *publicani pecuarii*, singulis pastoribus locaverant, *Menalcas*, juvenis pastor caprarius, reperit *Damoetam* bubulcum cum ovibus ad tempus ei commissis; quod pecus quum Aegonis esse audiret, quocum ipse de formosa Neaera contenderat, stimulos Damoetae admovet acerbi animi, quos respondens hic ei regerit. Cum bubus Damoetas est v. 29; Aegonis oves ultro pascit, quemadmodum Tityrus V, 12. IX, 23 et apud Theocritum III, 3 capras amici, dum ille apud puellam moratur. Nam in quarto Theocriti idyllio Corydon, ex quo quaeritur, profecto mercenarius est, qui seni paret, dum Aegon peregrinatus abest:

Battus. Ecce boves, Corydon, dic, cujus? suntne Philondae?
Corydon. Non, verum Aegonis; pascendas tradidit ille
B. Annon tu furtim mulges sub vespere cunctas?
C. Imo senex vitulos submittit, meque refrenat.

Battus, humilioris animi, jocatur mera petulantia; amans aemulatione Menalcas. Corydon mercenarius de furti

probro non irascitur; Damoetas injuriae indignitatem ulciscitur notam loquuto inurens summae turpitudinis. An carminis pastoritii sit, hos mores exprimere? Theocritus quidem et Virgilius ajunt; novi scriptores artium fastidiunt. Quamquam, Anglus, iter in Hispania faciens, rectores mularum in itinere inter se jocantes audiit, et eximio sale delectatus est, quo facile ingenium hominum coeli tepidioris lepores suos condiebat. Faciamus, eum voluptatem, quam perceperat, nobis probare voluisse, quomodo id ei instituendum fuerit? Rectores mularum, exutos propria indole, ignavos aliquos novae Arcadiae homines mutando facere? Contra est. Argumentum, quod plurimas similitudines humilis solertiae praebuisset, eligendum fuerit, quidquid eximii eorum ingenium habuerit, brevi, sed efficaci descriptione colligendum, neglectis ne acerrimis quidem cavillationibus ejus, qui princeps erat hujus scurrilis dicacitatis; denique — Theocriti aliquod idyllium fuerit efficiendum. *Cujus*, *a*, *um* Plautinum, quoniam, ruri tantum relictum (quale in vetere precatione apud Catonem 139 legitur: *Si deus*, *si dea es*, *quoium illud sacrum est*), in sermone urbanae consuetudinis obsoleverat: idcirco Virgiliomastix infamis *cujum pecus* reprehendebat tamquam parum Latine dictum; eodem modo, quo nostri dicendi artifices condemnant, quidquid nunc Saxoniae auctoritate minus defenditur; cf. v. 90. *Nuper*, paulo ante, pro *modo* Hor. III, Od. 27, 29. Modo traditum quoniam pecus dicebatur, Menalcas factam inde congressionem suspicatur, de qua irascitur. *Oves*, medium, quippe appositum, I, 74. Lb. IV, 168. Vetere fortasse scribendi ratione

pro *oves* Hafnienses *A. B. D.* habent *ovis*, quod Ascensius vocativum singularis, Cerda genitivum esse censet. *Semper infelix* et domini causa, qui libidini tantum servit, et perfida curatione alieni hominis. Eodem modo Battus dolet apud Theocritum IV, 13:

Scilicet hae miserae! segnem invenere bubulcum.

Fovere, proprie alere; tum colere et observare, amare, amplexari; denique sanare, calefacere, habitare Lb. II, 135. *At* pro *ac* Hafn. *A. Oves* usque ad quartum mensem, quo agni, qui extremo auctumno editi fuerant, a lacte depellebantur, plane non mulgebantur. *Agnis* adhuc teneris intra septa mane et vesperi lac praebebatur; firmiores facti meridiano tempore propinquis in pratis aut novalibus una cum matribus pascebantur. Nunc igitur tempus erat *ante* exortum Vergiliarum, *post* quas exortas in eodem publico pascuo VII, 13—15 agni jam depulsi secretis gregibus habebantur, suavi fere tempore circiter Aprilem ineuntem. Sed perfidi pastores, praesertim mercenarii, clam mulgebant et lac vendebant; quod ne fiat, imperator Justinianus verberibus et mercede adimenda cavet. Ejusmodi *mercenarium* cavillans dicit officiosum Damoetam, et crimen auget adjiciens, *bis in hora*. Hafn. *A* habet *ovis custos*, et *C* manu posteriore *lac et* inepta fuga hiatus. *Succus* a *sugere*, originem quidem verbi si sequamur, *sucus* scribendum erat; ei vero si arbitrium permittimus, etiam *sucinum* et similia tantum non omnem scripturam usitatam expellent.

7—9. Neuter injuriam repellit, sed uterque injuria injurias compensat. Damoetas, perfidiae accusatus in pastione, contumeliam rejicit in vitam caprariorum, qui *delicatae luxuriae* non minus saepe, quam nunc ornati viri, qui vestes suunt, formidinis probro, petebantur. Daphnin amore pereuntem Priapus apud Theocritum I, 86 alloquitur:

> Pastor diceris, modo quem dixere bubulcum.
> Pastor quum vidit capros adamare capellas,
> Tristes sunt oculi, pastor vult vir gregis esse.

Ego quum bubulcus sim, Damoetas significat, inter *viros* certe habendus sum, coram quibus iste tu verecunde loquaris oportet! Inepte Servius explicat: Noli valde haec objicere! tamen scias, viris fortibus objiciendas rapinas. Tamquam si fortitudine virili opus sit ad suppilandum lac. Ipse Virgilius si nunc inter nostros homines viveret, castum ejus animum, credibile est, modestius loquutum; sed in Romana lingua licebat turpitudinem, ut adversarius erubesceret, liberioribus verbis detestari. Peregrinantes observavere, in terris tepidioribus etiam nunc viros graves ipsasque matronas pudicas sermone saepe uti, qui majori nostratium, si non virtuti, tamen timori vel admirationem moveat vel fastidium. Omnino iis, quicumque alia sacra habent, praviores mores injungere, lege vetamur nostrae disciplinae: Veritas esto et caritas! Quantumvis philosophi virtutem, viri religiosi vitae sanctitatem et religionem praecipiant: et hic et illic varia civitas impuram faecem supra et subter expellet: hic et illic homines libidinosi in regiis erunt et in latibulis montium, in navibus et in

aediculis, qui, molles atque inculti, prodigiosa libidine infames sint, sed inter meliores. *Qui* pro *quis*, qui te — abusus sit. *Transversa* pro *transverse*. Jocosa invidia *haedorum*, limis oculis tuentium, quae in loco Plinii, a Servio tradito, vel ad impetum faciendum interdum eos excitare dicitur, effoeminatum caprarium cum capra comparat. *Sacellum* Festo locus Deo sacratus sine tecto est; saepe parva aedicula cum signis deorum; hoc loco esse videtur sacrum antrum cum imaginibus infabre sculptis *Nympharum* circa dejectum fontis, ante quem greges meridie quiescunt. In Aeneidis I, 168 antrum, ubi aquae dulces et vivo sedilia saxo, *Nympharum domus* dicitur. Turnebus adv. XXIX, 29 Donatum nemus dicit intelligere, nimirum quod circa antrum erat; intima nemora *sacraria* quoque appellabantur Calp. I, 15. Ipsum *templum* regio tantum sacrata primum dicebatur, τεμενος. Ita Lucretius V, 946 *silvestria templa Nympharum* rupes appellat, quarum ex antris fontes emanant.

10—11. Tum enim risisse videntur, cavillatur pastor caprarum, quum *ego* (sed alterum intelligit) in agris Myconis *maritatas ulmos* ejus, *arbustum* I, 39, et, quod majus erat, etiam seminarium, *vitiarium* Lb. II, 265, dolo malo inciderem. Nam verum illud non magis est, quam quod hoc effecerim. Arbores, imprimis vites, ne ultro laederentur, leges XII tabularum noxiae aestimatione, seriores legislatores eadem, quam latrociniis imponebant, manus praecidendae poena caverant. *Nocente* falce; malitia auctoris instrumento tribuitur, quemadmodum v. 38

torno facilitas manus artificis. *Malam* falcem si quis, quod Burmannus vult, de hebete, rubiginosa et obtusa, cujus incisiones magis etiam noceant, intelligat: is Horatii alicui facete dicto similiter fecisse videri possit, quo malitiosa carmina ille, quae lege vetita erant, *mala carmina* Sat. II, 1, 82, de inutilibus versibus interpretabatur. Non *amputare* sive circumcidere, sed, ut perirent, *incidere* plantas volebat pastor, idque celerrime acuta falce effici poterat.

12—15. Damoetas ita *Me* accipere simulat, quo ipsi illusum fuerat, tamquam si id serio dictum putaret. Vere enim tum risisse videntur, quum vites incideres, *aut*, quod non minus credibile est, etiam tum, quum illic (veteres fagos demonstrat), *caprarie perverse*, id est muliebriter irascens, Daphnidi puero calamos insana invidia frangeres, quos ei amator aliquis donaverat. Ita praeter exprobratam mollitiam etiam fraudulentiae crimen in eum rejicit. *Veteres fagi* regionis Andinae sunt; aliquae quoque earum agri Virgiliani ad lacum Mincium IX, 9 limites notabant. *Daphnidos*, Graeca positione, Probi Grammatica in hoc loco agnoscit. Et *arcus* atque *sagittas arundineas* X, 59 et venabula habebant, qui in saltibus pascebant, ad defendendos fures et bestias non magis, quam ad venandum; quae oblectatio Corydonis quoque deliciis II, 29 promittitur. Hafn. *B donare* habet, quod ex inepto additamento fluxit.

16—20. Iterata, qua caprarii lacessiti fuerant, irrisione Menalcas iratus, a commentitiis itaque con-

temtis ad serium probrum pergit, ad quod Damoetas quoque serio respondet. Quid exspectare licet ab ipsis dominis, quum etiam servi furaces tam audacter se dictis et factis jactent! Ita eamdem plagam et Aegoni aemulo infligit et Damoetae, in quem pro officioso ejus animo iterata et acerbiore vice nomen jacitur servi, et quidem, quod de nequissimis suspicari solebant, furacis. Se ipsum praesentem vidisse, quum ex vagantibus ille Damonis capris haedum surripuerit. Hafnienses pariter omnes *facient*, et *C servi*, cui *fures* adscriptum est. *Furum*, qui auferunt, a *fero* maledictum ita servi audire assueverant, ut etiam proprii nominis loco poneretur. Ubi centurio 'st Sanga, Thraso clamat in Terentii Eun. IV, 7, 6, et manipulus furum? *Fur*, pro servo aut milite serio dictum, non reperitur. *Lycisca*, Grammatici docent, canem esse e lupo et foemina cane natam, quales Plinius VIII, 61 Galliae communes esse dicit; canes, inquiens, e tigribus concepti primo et secundo foetu nimis feroces gigni putantur; tertio demum educantur. Eodem modo de canibus e lupis Galli instituunt; propterea, quod prima et secunda foetura, quod etiam nuper observatum est, malitiosa est neque latrat. Gratius quoque canum pugnacium e tigribus et *canibus aureis L.* mentionem facit. Tamen Columella, canes etiam, qui nullius eximii generis essent, Graecis et Latinis nominibus, quae acriter sonabant et celeritatem, ferociam, *lupam*, cervam, tigrim declarabant, vocatos esse, narrat. *Clamor* requirebatur, ut legitime fur convinceretur. *Tityrus*, servus Damonis. *Carex*

plura genera complectebatur herbarum acutarum, ad domos tegendas utilium. Ita hoc indicio, quemadmodum I, 48 junco, limosa Mincii ripa significatur, cujus in publico pascuo res gerebatur. In Calpurnii III, 73 fur deprehensus religatis brachiis, quemadmodum caprarius Homeri, in ovili suspenditur.

21—24. Damoetas confitetur quidem rapinam, sed has ejus causas affert, quamobrem ne ignobilis quidem illa appareat. Meruisse se haedum, quum cantando certaret, et ad *fistulae* calamos, cera conjunctos II, 37, carmina modularetur VIII, 21. *Tu si id parum scis*, nunc accipe. *Si* dissimulationem arguentis est. Haedum meum esse, ipse Damon fatebatur, quoties eum appellabam; sed nondum posse se simulabat dimittere amatum suum, qui utilissimus et gregi maxime necessarius sit. *Damon*, saepius victor v. 25, eximii muneris non dubitarat periculum facere; clam victum se mihi satis ingenue declarabat; palam tantum, ut dilatum praemium ipsius certaminis eventum dubium redderet, moras interposuit.

25—27. Tam honestam victoriam Menalcas adversario concedere non vult, ne fistulae quidem scientiam ei relinquit, et, quod majus est, ne modicam quidem communis culmi inflandi facultatem. Pari modo Theocriti Comatas V, 5:

Fistula qualis erat? quando tu, serve Sybartae,
Junxisti calamos? quid? non jam cum Corydone
Sufficit ut crepites simplex tibi tibia culmi?

Stridula tibia Graecorum liberorum, quam cannam Aristoteles foraminibus distinctam esse dicit et tenui cute in exitu obstructam, eadem esse videtur, in quam

nunc nostri liberi sonum incinunt. Stridentis calmi tantum Damoetae tibia relinquitur, quae e crassa, diffissa fortasse stipula, qualis post messem in agris deseri solebat, confecta erat, cujusque ope Damoetas in compitis vile carmen coram vilibus auditoribus vili modo persequitur. Inertiam artificis artificium versus imitatum est *r* et *s* confertis literis. In compitis moris erat (*trivium* sive triplex via est formae Y), ut liberi ad ludendum et otiosa plebs circa scurras suos convenirent. Scilicet Menalcas aliquid sibi esse videtur. Hafniens. *B. C. vincta* pro *juncta*.

28—31. Spretus bubulcus, provocans ad cantus certamen, respondet; ipse quidem, certus victoriae, praestantissimam vaccam gregis paciscitur, *vitulam* cum geminis, quos nutrit, quae bis tamen quotidie ad mulctram venit. Magis haec in capris et natorum et lactis ubertas erat; Theocr. I, 25.

Cum geminis dabitur tibi ter mulgenda capella,
Quae geminos pascens haedos duo mulctra replebit.

Duo mulctra quotidie *ter* mulcta; non ter bina mulctra, quod nulla capra praestare valet. *Vaccas*, intelligentes vetabant agricolae, antequam bimae factae essent, ad marem admittere, ut trimae parerent; tamen, quod Plinius narrat, ejus tempore annicularum, quod Aristoteles, etiam *vitularum* octo mensium fertilitas requirebatur Lb. III, 60. Testis quoque Plinius est, vaccas, quamquam raro, *geminos* parere. Tempus admissurae Varro a vespertino exortu Delphini (a. d. IV. Idus Jun.) per quadraginta dies facit, ut vituli post decem menses temperatissimo tempore

anni edantur; Quintilii *) cum Aristotele ipso in mensibus Aprili et Majo, ut partus Februario mense et Martio eveniat; et, ubi lacte vivatur, Plinius dicit, omni tempore anni curari ut foetae boves sint. *Vituli* secluduntur a reliquo grege, et, quum matres domum reveniunt vel quum in pastum exeunt, mammas sugunt; auctumno una cum matribus pascuntur. Vaccas, dum mammas praebent, *mulgere* a patribus traditum erat, quem morem novitii reprehendebant Lb. III, 176. *Mulctra*, *mulctrale* et *mulctrum*, vas ad mulgendum.

32—34. Caprarius quamquam tantopere se artem Damoetae despicere simulabat, tamen de grege suo par pignus certaminis in discrimen committere dubitat. Patrem enim, qui minorem fundum conduxerat, quique, ut aliis operibus rusticis vacaret, filium capras pascere jusserat, cum impia et severa noverca *bis* quotidie pecus numerare, non tantum vesperi, quum domum redeant Lb. IV, 433, sed, quod diligentes patresfamilias facere solebant, etiam mane; et alterutrum recensere minorem numerum capellarum. *Injusta*, iniqua, immitis. Versus post *domi* inciditur, quamquam sententia usque ad *pater* continuatur. Hoc rariore inconstantia accidit, quemadmodum VI, 66, qua minime efficitur, ut nostris hominibus versus componere liceat, qui spondaeos et dactylos in tertio ictu *individuos* habeant, quod genus:

Schöngemessne Bewe | gungen fodert der Vers des Apollo.

Sed recte versus adhibere liceat, qui *dividuo* ibi-

---

*) In Geoponicis sive de re rustica XVII, 5.

dem spondaeo leniorem illam incisionem recipiunt, quod genus:

Hochher schaust du, und fragst| nicht, wer ich sei, o Alexis!

Menalcae excusatio Theocriti est VIII, 15, sed magis dilatata:

Lis mihi agnus erit numquam, pater est mihi saevus,
Mater et est, pecudes pastas qui vespere censent.

Caprae rite Novembri mense concipiebant, ut Martio parerent turgescentibus virgultis, quod utile esset matribus et natis; post tertium mensem depulsae capellae singulari grege pascebantur. Hae caprae auctumno editae sunt, quales I, 14. VII, 9.

35—39. Pro vacca autem lautitiarum aliquid paciscitur, etiam quod pretiosius ei videatur: par *poculorum* artificiosi operis, quorum ipsum pretium in causa fuerat, ut nullius adhuc usus quievissent. *Poculis ligneis* non detrectabat ars signa eminentia exsculpere. Athenaeus quidem pocula Thericlea laudat, non solum, quae ex argilla ficta, sed etiam, quae ex terebintho tornata et scalptura distincta erant. Vasa quoque *fagea*, Plinius testis est, olim in pretio fuisse, etiam in cultu deorum: et Tibullus I, 10, 8 tempora majorum carmine celebrat:

Faginus adstabat quum scyphus ante dapes.

Artem illam *toreutices*, qua figuras eminentes lapide, metallo, vitro et ligno caelabant, quam Phidias aperuit, Artemon perfecit, eodem modo, quo picturam, liberis tantum et ingenuis, numquam servis, exercere licuit. *Alcimedon* verus artifex fuisse videtur, cujus viliora opera tum inter rusticos celebria essent. Pastor aliquis Theocriti V, 104 de

mulctra cupressina gloriatur et de cratera Praxitelis, recentioris, quod σχολιαστής monet, artificis scalptoris; alius I, 27. 57 poculum ligneum et altum et ansatum et cui cera illita est et scalptura onustum capra emit et amplo caseo a mercatore maritimo urbis Calydonis. De potoriis, quamquam non semper, saepe tamen *par aequale* habebant et vini et aquae, in quae urceolo (*cyatho*) infundebant et pro arbitrio temperabant. Talia *paria* Cicero nominat in Verrinis; tale aliquod fictilis operis Campani in coena solitaria Horatii I, 6, 117 in marmorea tabula *abaci*, quo vasa in conviviis exponi solebant, appositum erat; tale aliquod par aequaliter fictum et Damoetas v. 44 et ejus adversarius habere gloriantur: igitur *pocula* de pluribus, non de uno *poculo*. Pluralem enim numerum pro singulari adhibere non licet poëtae, nisi ubi plures partes sunt: πρόσωπα, ἅρματα, *hordea*, *succina*. Umbilicum utriusque poculi ut duplici argumento discerneret, *facilis*, callida manus artificis, hac parte *vitem*, altera *hederam* in depressa area *scalpro elevaverat*, quarum brachia conjunctim inter se repentia supremum ambitum cingebant. *Tornus*, proprie quo tornabant et rotunda efficiebant, quod bene observavit Ruaeus, etiam pro *caelo*, quo caelabant et sigilla gemmis, metallis, ebore eminentia exprimebant, et pro *scalpro*, quo scalpebant et figuras incidebant, dicebatur; de falce pastoritia in hoc artificio ne cogitare quidem licet. Prius, quod Servius Aen. II, 392 tradidit, *facilis vitis* poëta scripserat, vitis facili opera perfecta; verum duo ἐπίθετα quum in

Latina lingua non recte conjunguntur, nisi conjunctione addita, commutavit id *facili*, quod etiam magis poëtice dicitur. Vasa quoque argentea erant caelata hedera, *hederata*, et ejus racemis, *corymbiata*, et pampinis, *pampinata*, et herba filicis, *filicata;* erant amictus quoque cum limbis acanthinis, *acanthinae vestes: Vitis* simili modo, quo *hedera*, ita, ut arbuscula esset per se stans, saepe colebatur Lb. II, 358; quod ars imitata est. Hederae *), quae hortos et convivia ornabat, tres species erant, quae singulae et virile et foemineum genus habebant. *Candida* vel *alba*, et propter fructum et propter frondem ita appellata; deinde *nigra* vel *fusca*, fructu nigrante, et hujus ipsius singularis aliqua species paulo albidior fructu crocato, quae Bacchica appellabatur et poëtas coronabat; quamquam et hedera plane alba erat cum aureis racemis. Ex utraque specie interdum arbusculae stabant fruticoso cacumine; sed etiam, quum arbores ambiebat, fructus ferebat; Virg. *Cul.* 141:

Ipsaeque excedunt ad summa cacumina lentae,
Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos.

Tertia species, *hedera sterilis erratica, helix*, quae in candidis brachiis minorem et angulosam frondem habebat, vel herbaceam, vel albam, vel versicolorem, hedera tantum ab aliquibus putabatur minoris aetatis. Candida et nigra hedera tempore auctumni racemos florum emisit in orbem circumactos, flavescentes vel pallidos et plenos melligeni succi, e

*) Plin. h. n. XVI, 34 s. 62.

quibus baccarum parvuli racemi verno tempore fiebant, *corymbi;* cum vernis floribus servus Columellae, qui hortum curabat, hederae quoque v. 301 flavos racemos fructuum, *croceos corymbos*, venales fert. Nunc nostri βοτανικῆς studiosi tam celebratam olim fama plantam adhuc neglexisse videntur. Flavis baccis hederae, quae, cum floribus heliochrysi mixta, supremam oram ambit, Theocriti I, 27 in majore poculo tres areae argumenti copiosissimi distinguuntur:

> Altus erit cyathus, dulcis vasi illita cera est,
> Ansatus, scalpro redolens, et nunc modo fictus,
> Et suprema hedera cyathi obtexitur ora.
> Flos et helichrysi hederam variavit, et effert
> Se palmes laetus crocei fructus in amictu.

Igitur tres frutices hederae sunt superne inter se conjuncti, quorum brachia frondea et suo fructu et heliochryso ardent, qui intersertus est; nam ἕλιξ, quod in ultimo versu positum est, non nomen proprium est hederae sterilis, sed palmes est. Tum tres areae diligenter describuntur; denique v. 55:

> Undique frons calicem mollis sed oberrat acanthi.

Nempe infra et in utraque ansa, quemadmodum in poculis Damoetae v. 45. *Flavi* ibi racemi seminum et flores coloribus distinguebantur, itaque etiam folia hederae et acanthi. Simili modo hic a nigris vitium pampinis hederae *virides* palmites cum corymbis, uti videtur, flavis, quippe qui magis communes essent, distincti erant.

40—43. In duabus areis, quae hedera et vite discernebantur, duo *simulacra* astrologorum erant,

quorum eo tempore, quum ortu et occasu signorum coelestium vicissitudines anni et tempestates notabantur, pariter fere ipsi agricolae nota esse debebat fama, ac nunc nostris rusticis aliquis Matthias Rohlfs. Imagines, imprimis clypei, clarorum virorum vel verae vel fictae formae et coloribus pictae et ex metallis, marmore, cera, gypso, gemmis communia decora erant Musaeorum, bibliothecarum, cubiculorum, annulorum, vasorum. Quam dissimiles inter has imagines interfuerint, ipsum votum Horatii declarat II Ep. I, 264:

— — — — neque ficto
In pejus vultu proponi cereus umquam,
Nec prave factis decorari versibus opto.

Conon Samius, mathematicus et astrologus, quem Archimedes admiratur et amico animo appellat, sub Ptolemaeo Philadelpho floruit et Evergete, conjuge Berenices, cujus comam inter signa coelestia retulit. Libro ejus de cursu siderum ipse Astrologus Ptolemaeus in phaenomenis usus est, ubi in Italia observasse dicitur. Alter, qui descriptione coeli celebritatem nactus fuerat, sed cujus nomen pastori non statim succurrit, non dubium est, quin nullus alius fuerit praeter *Eudoxum* Gnidium, Archytae Pythagorei et Platonis auditorem, quem Cicero Astrologorum principem fuisse praedicat et Chaldaeorum praedictiones contemsisse. Etiam hic coelum in Italia observavit; ejusque liber de phaenomenis, quem Aratus poëta, Hipparcho teste, sequutus est, cum Metonis et aliis antiquis fastis, quod Columella IX, 14 dicit, et in publicis sacrificiis, et ab *agricola* in

privatis negotiis tamquam regula aliqua adhibebatur, quamquam menda aliqua in libro reprehendebantur. Agricolis enim, intelligimus, praesertim Italiae, indices illos facile conversos, qui dies notabant singularum mutationum coeli, et utiliores et magis notos esse debuisse, quam incertos versus Arati, aut, quod amplius aliquibus in mentem venit, sphaeram vitream Archimedis, Claudian. Epigr. 68. Mathematici et Arithmetici parvulis mensis utebantur, *abacis*, quibus laminae meliore ex ligno, marmore aut fragmentis parietum, qui calce arenata densi et ad summum nitorem levigati erant, imponebantur. In his tabulis *bacillo* aliquo, *radio*, et viridi pulvere vitreo (*erudito pulvere*, quasi docto pulvere), qui respirationi resistebat, pingebant. Hoc pulvere Archimedes pingens ab imperito milite captis Syracusis occisus est. Ita pingens Eudoxus quoque *cursum* extremi *coeli*, in quo quasi affixa signa coelestia convertuntur, dimetiebatur, indeque designabat tempora, quae et messori aestate et aratori hyeme servanda essent. *Orbis*, coelum orbe conversum VI, 34; *gentibus* in usum gentium. *Messis* et *sementis* vulgata nomina erant aestatis et hyemis, pro serena et humida tempestate; quarum illa Vergiliis circiter Majum mane exortis fruges fert, haec circiter Novembrem, quum idem sidus mane occidit, sationem agrorum flagitat Lb. I, 253. *Curvus* arator, significatio proceri, robusti IV, 41. Procerus statura, Varro praecipit in Geoponicis II, 2, arator sit, ut stivae graviter innitens totum vomerem imprimat. Inde rusticum proverbium in Plinii XVIII, 49, 2:

Arator, nisi incurvus, *praevaricatur* i. e. stringentem vomerem saepe in obliquum elabi sinit. Duo ἀμφιβραχεις υ—υ, υ—υ, qui in exitu sunt, post pedem —˘—υ, qui ad similitudinem trochaei cadit, rariores licentiae Romanorum versuum habendi sunt, v. 58. Lb. III, 519. Theocriti vas potorium simili modo laudatur I, 59:

> Labrum contigit id numquam, purum sed ab usu
> Servatur.

Ubi κειται eodem modo, quo hic *condita*, de servato pretioso pignore, κειμηλιω, dicitur.

44—48. Pastor caprarius quoniam ipsius par poculorum vacca majoris aestimaverat: Damoetas respondet superbiens, se quidem par poculorum ejusdem artificis et non minoris certe pulchritudinis habere; sed tales lautitias nihili esse cum vacca comparatas. Hujus pocula aream habent unicam, circa quam, quemadmodum in Theocriti poculo, mollibus flexibus acanthus serpit, et ansas amplectitur; sed argumentum hanc aream pro surdis simulacris illustrat, quod plenum dignitatis et vigoris est. *Acanthus*, Carduus Acanthus s. Branca ursi (quae diligenter distinguatur a Sphondylio Branca, *Heracleum Sphondylium L.* in terris australibus et arte colitur et sua sponte nascitur Lb. IV, 123, et in caulibus speciose flexis ampla folia gerit, quae *sinuata* sunt et manus ursinas sinibus referunt. Sativus, *Acanthus mollis L.*, levis est, duorum cubitorum et candido flore; silvester, *Acanthus spinosus L.*, Dioscoride teste, minor est et aculeatus. Utrum hic, an singularis aliqua sativi *varietas* floribus rutilis

et croceis floreat (*Calpurn.* IV, 68. *Aen.* I, 649), nescimus; verum croceos ejus flores imprimis imitabantur, quum acu pingerent, veri simile est etiam tum, quum effigies scalperent et coloribus tingerent. De arbore Acanthi vel Acaciae v. Lb. II, 119. Nota fabula *Orphei* Thracii est, qui ad lyram canens feras belluas, rupes et arbores ad se alliciebat Lb. IV, 454. *Sequentes*, quasi se moventes. Brevitas celeriter perstringens, qua meliora Damoetas laudat, indicio est, quam parum adversarii opera aestimet; et vere irridens exitum iteravit, in quo Menalcas se jactaverat. Hafniens. *B. C laudas.*

49—51. Menalcas, qui, quum vivum pignus recusaret, metum aliquem prodiderat, nunc animo sumto opprobrium in adversarium rejicit. Quod pocula despicis; numquam hac simulatione effugies. Quicquid est, pro vacca paciscere; quamlibet ego legem certaminis accipio, non anxius, ne numerus caprarum minuatur. Modo brabeuta sit — Dum idoneum dicere vult, venit Palaemon a vicino prato, quod ab ejus familia irrigabatur. Tamen, interpellat se, prior quisque potior. Palaemon sit, qui huc pergit! Animos tibi comprimam, ut ne quem postea ad cantum provoces! Ita in Theocriti V, 44:

Huc, age, huc cedas, cantus haec ultima lis sit!

Eamdem confidentiam, ut quolibet judice canere velit, ibidem reperimus v. 61:

Lacon. Verum aderit, litem nobis qui judicet aeque,
Quisnam? pastorem vellem huc optare Lycopam.
Comatas. Non opus est illo; praestat potius sed, ericam
Qui legit, huc illinc ad nos arcessere fabrum.
Morson dicitur is, suevit qui caedere ligna.

Effugies et *veniam* verba certaminis sunt. *Tantum:* una conditio, quam ego quidem paciscor, arbiter intelligens est et non praejudicata opinione. *Posthac* non ad *efficiam* pertinet, sed, quod Ascensius, Taubmannus et Ruaeus intellexere, ad *lacessas*.

52—54. Mene te effugere velle? Quin age, prior ipse canas, si quid habes! Et pignus accipio et arbitrum, ut ne judicium tardem: nam neque tu, neque quisquam alius mihi verendus erit. — Quisquis ad certamen laesus provocabat, ei decernebatur, uti nunc in certaminibus immanis ambitionis prima petitio, ita inter antiquitatis pastores silvestres quidem, sed magis humanos, prior cantus. Nam, qui prior canebat, fieri potuit, ut parvula carmina plena facetiarum in promtu haberet, quibus illico paribus versibus, leporibus aeque callidis, et, si victor abire vellet, artificiosius respondere, ferocis erat, qui sua injuria laeserat. Hunc morem Theocritus quidem VI, 5 notum fuisse arguit:

Certabatque prior, litem qui moverat ultro,
Daphnis.

Hoc loco Damoetas iratus de jure suo decedit, et adversarium ordiri jubet, *si quid habeat*, prius commentatus sit V, 10, aut etiam ab aliis didicerit IX, 32. Verum arbiter in pristinum ordinem rem adducit v. 58. Sed Theocriti in quinto idyllio Lacon quum ad certamen Comatam v. 20 provocasset, qui ipsum laeserat v. 2, superbe huic facilius exordium permittit v. 78:

Dic age, si quid habes; vivum sed rursus ad urbem
Mitte, precor, socium. O Paean, nugare Comata;

accipitur permissum, et superbus vincitur. Injuria nisi qua ante fuerat, decernebant, quem quisque sequeretur, vel brabeutae, si quis erat, judicio, vel sorte, interdum digitis micantes (Calp. II, 25); aut libera pactione V, 10. *Vicinum* blande Damoetas Palaemonem vocat, neque justitiam ab eo petit, haec quidem opinione praecipitur; sed, ut quam maxime intendat animum, qualem *tantum* discrimen et cui *tanta oppignerata* fuerint, eum requirat.

55—59. Palaemon, quum adveniens arbitrum se dictum audit, quaerit nimirum de ratione certaminis, et quae praemia proposita sint: quo facto cum juvenibus in herba considit, et ordinem, quo se canentes excipiant, juste moderatur. Quod ipsi rerum intelligentes sibi cogitatione fingunt, id omisit poëta, qui, uti Horatius *A. P.* 148, Apollinis praeceptum audiit:

Semper ad eventum festinat et in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit; et quae
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.

Verni temporis brevis adumbratio merus et suavis sonorum concentus est, mixtis vocalibus, quae in liquidas (*l*, *m*, *n*, *r*) consonantes exeunt, et modis apte compositis, quorum longitudinum tarditas leniter fluit. Ipse agricola, cujus sub mitiore coelo mitiores sensus sunt et magis fervent, ubi non superstitione a monachis, servitute ab optimatibus fervor exstinguitur, veris similitudinem, quod Plinius XVI, 39 dicit, poëtice sibi partus imagine fingere solebat: mense Februario quum primum tepidus Favonius terram resolveret, catulitionem id appellabat; conceptum,

quum plantae humescerent; gemmae quum turgescerent, graviditatem; *partum*, foliorum et florum explicationem; pomorum auctum, educationem. Quare in Calpurnii II, 32 *pariens gramen*, florens gramen est:

At mihi Flora comas parienti gramine spargit.

Plinio auctore XVI, 42 cum narcisso, primum tempus arationis nuncians, pirus floret, malo, ceraso, pruno comite; hinc laurus et cupressus; tum malus Punica et ficus. *Silva frondens* pastorem Romanum propterea quoque movebat, quod pastio in saltibus aestiva appropinquaret. *Damoetas*, quippe lacessitus, prior canit, quae ante composuisse poterat; lacessens *Menalcas* illico imitari debet. *Contendebant* pluribus parvulis canticis varii argumenti, quae post binos vel quaternos versus, quod genus hic et in septima ecloga, alterna erant (*alterni versus* VII, 18, ἀμοιβαῖα ἀοιδά Theocr. VIII, 31); in quinta et octava ecloga duo tantum carmina longioris ambitus comparantur. *Camoenae* sive cantrices (ex *carmena*, *casmena*) Musae a Romanis dicebantur. *Amant alterna*, propter multiplicem cantu praeeuntis inventionem et adversarii contentionem, ut ingeniose quaeque efficta aut ingeniose continuet, aut similia iis et artificiosiora respondeat. Hic mos, qui, nunc quidem rudior factus, hodie quoque inter rusticos Italiae et Siciliae poëtas viget, si qui subitaria carmina dicunt, ex antiquissimis temporibus vitae pastoritiae est; ut in hymno ad Mercurium Homerida etiam in inventione fidium hac similitudine uti potuerit:

Increpuitque lyram graviter deus, inter et ampla
Protinus experiens profudit pectore, sicut
Quum alterno juvenum flos carmine suscitat acrem
Rixam convivans.

Inde sibi respondentes chori chorearum sunt, quae in honorem deorum et heroum fiebant; inde in carminibus pastoritiis versus, quibus alternis saepe canentes se excipiunt; sub borea a tristi poëta rustico ea relinquenda sint; inde etiam in Homeri Odyss. XXIV, 60:

Suavi voce chorus Musarum questus Achillem
Alternis cecinit.

Ipse Riedeselius in herbosis saltibus Siciliae eamdem, quam Theocritus cecinit, caprarum frequentiam reperiebat, easdem oves amplas et arietes, quales in antro Polyphemi fuisse dicuntur, multa armenta rufa et parva erant; etiam pastores cantibus certabant perae aut baculi praemio proposito. Temperies coeli omni anno in agris habitari sinit; homines casas stramineas struunt, pecora sub dio pernoctant. Coelum, solum, fruges sibi constitere; sed cum Graeca libertate et celebritas abiit, et opes et sensuum subtilitas. *Fuimus Troës!*

60—61. Fistula postquam proluserat, quemadmodum prae singulis sequentibus cantibus prolusum esse cogitatione fingimus VIII, 21, Damoetas orditur, qui laesus fuerat. Et ipse et qui eum sequitur canendo diis gloriantur, quorum in tutela sint: alter *Iove* Optimo Maximo, cui omnia principia sacrata erant IV, 49, alter *Phoebo*, qui divinum quemdam spiritum poëtis adspirat. Mos perantiquus erat poëtarum,

ῥαψῳδῶν et eorum, qui cantibus certabant, ut a Iovis laude, aut a Phoebo, Musis aliisque numinibus, quae invocabant, ordirentur; hunc morem Virgilius quidem sequutus est, etiam quum nullus ei certus poëta Graecus ante oculos versaretur. *Jupiter*, primum deus aëris et princeps geniorum, qui ex heroibus dii populares facti sunt, circa aetatem Socraticam novis informationibus philosophorum, poëtarum et sacerdotum mutatus et inter signa *animae mundi* Lb. IV, 219 omnia inspirantis relatus est, quae inde a Thalete, sed variis opinionibus, primum a sapientioribus viris scholasticis, paulatim ab erudito populo esse credebatur. Tellus cum orbe *terrarum* suo inter maximas partes rerum universitatis IV, 51 numerabatur; Hebraeus quoque cecinit: Omnes terrae plenae sunt ejus honorum! Ex hoc illustri fonte incrementi, vitae et spiritus, qui etiam apibus Lb. IV, 220 aliquid mentis instillabat, fervidiorem animum hausi, qui me ad *carmina* excitat.

62—63. Gravi et augusto principio, quod Damoetae iram decebat, Menalcas respondet minus sonante ore. *Et me* inter plures *Phoebus* amat vaticinans, quod fideliter ei servio. Ita Homerus in Odyss. I, 10:

Nata Iove et nobis horum quid dicere sponde.

Hoc *et me*, tam bene dictum, erant, Hafn. quoque *C*, qui *at me* mutarent; ut duae responsiones continuae essent v. 66, quae similiter inciperent. In Calpurnii II, 32, ubi de sola contentione res est, *at* mutatum et posito *et* depravatum est. *Phoebus Apollo*, Iovis filius ex Latona susceptus, arti prae-

erat arcu feriendi, vaticinandi et musices; tum medicinae, postremum, conversa dei potestate, sol ejus persona informatus est. Aliquando, quum pulchram *Daphnen* deus sequeretur, Penei filiam, Thessali fluvii; anxia, ut mutaretur, a diis precata est, et in *laurum* crevit, qua deus inde coronabatur. *Hyacinthum*, amatum puerum, ex Amycla vel Oebalo, rege Spartano, natum, disco ludens interfecit; ex sanguine flos purpureus factus est, gladiolus noster sive Iris II, 18. Lb. IV, 137, cujus venae vel *AI* literis luctum dei, vel *Y*, pueri primam literam referre videbantur. Ejus igitur in honorem Menalcas ita, quemadmodum Corydon II, 50. 54, in hortis *lauros* et *hyacinthos* colit, quorum species a verno aequinoctio ad aestatem florent. *Semper*, sed justi florum temporis ratione habita I, 53.

64—65. Hinc ad versum 83 juvenes, more certantium cf. VII, 29, quinque paria lascivarum cantionum commutant, quae non suas res, sed lepide inventa continent. Primi quidem paris hoc argumentum est: Me quidem ex brevi tempore puella amat, et me jam pridem puer et puella. Damoetas juvenilem et aliquanto tectiorem amorem *Galateae*, quam finxit puellam rusticam, ita adumbravit, ut recte adumbratio cum Theocriti exemplo V, 88, quod sequuta est, comparari possit; ubi ita Comatas orditur:

Et Clearista petit pastorem callida malis,
Quando ego ago capras, rixans et amabile ludit.

Malum, cujus nomine Romanus cotonea, granata, Persica, citrea, Medica complectebatur, Veneri sacratum erat, cujus imago altera manu interdum florem

papaveris, altera malum gerebat. Mala donare, malis una vesci, amorem indicabat; etiam de malis somniare candidum amoris omen faciebat. *Salices*, ad religandas et pedandas vites magnis salictis, quinum aut senum pedum spatiis distinctae et per *quincuncem* digestae, serebantur; inter quas secundum Plinium XXIII, 1 s. 15 labruscae similia, *salicastra*, pullulabant. Hic igitur facilis Galatea sequentem pastorem latere poterat, nisi una cum illo latere mallet; quemadmodum ex Prudentio (*c. Sym.* I, 107) hortorum custos Priapus cum amatis puellis rusticis in salictis et condensis sepibus delectabatur.

66—67. Ad hanc cantionem Comatae Theocriti Lacon V, 90 respondet:

> Levis et occurrit quando Cratidas ad ovile,
> Saevit amor; nitidi ludunt de vertice crines.

Ubi a filia, quae petulantia voluntatem suam tegebat, puer proterve assiliens parum jucunde discrepat. Menalcas certat obedientia duorum amicorum, formosi *Amyntae*, et antiquioris amicae Deliae, qui, quod saepe crepusculo VII, 40 chortem visebant, a *canibus* custodibus jam non allatrantur. Verecundius hoc et magis poëticum, quam Laconis; sed, quod mihi videtur, Damoetam non assequens. *Notior ut non sit canibus jam* Hafn. *C.*

68—69. Damoetas amatae puellae munus destinat; idem quod Comatas Theocriti V, 96:

> Virgini et ipse feram munus praedulce palumbis,
> Junipero ablatae: nido illic incubat ova.

Rustici amatores pulchra animalia, qualia Corydon II, 40, et aves, imprimis columbas, quae Veneri sacratae

erant, *Ep. Myth.* II, 10 ferebant. Suae quoque *Veneri* sive Cytherae, Galateae dulce ridenti, Damoetas futurum sacrum animo elegerat. Simili modo VII, 63 Phyllidi, quippe deae, corulus consecratur. Columba silvestris major, coeruleo colore cineris, albo, qui collum ambit, circulo insignis est, unde *palumbes* sive *palumbus torquatus*, φάττα, dicitur; terras mutat messes sequens, et in *altis* arboribus et rimis rupium nidos facit; foetus post solstitium capiebatur et saginabatur aut mansuefiebat I, 58. *Haec palumbis* Virgilius ausus est pro *hic*, Quintil. I, 6, 2. *Aëriae*, quae alte nidificant, non quae aetherio colore sunt. *Congerere*, gerendo colligere, struere, nempe nidum.

70—71. Adversarius amatum puerum jam donavit, et donabit amplius. Haec quoque imago eadem, qua prior, pulchritudine Theocriti est III, 10:

> Ecce, decem tibi mala fero, quae carpta reporto,
> Unde tibi placuit carpi; cras altera mittam.

Picturam excitavere Theocritus quidem adjiciens, Amaryllida jam gestientem desiderio mala maturescentia sibi elegisse; Virgilius autem diligentius describens mala et candido pectore addens: *Quod potui:* aegre pastor in cacumen arboris adscendit, aegre decem matura reperire potuit, et cras plura insuper matura erunt. Callidus pictor rebus praesentibus praeterita simul et futura demonstrat. *Quod potui* et vim comprehendit scribendo depravati *quot* et plura; unus ex libris Hafniensibus habet *quid* prima manu. *Aurea mala* sunt cydonia sive poma ex *Pyro Cydonia L.* II, 51, quorum alterum ge-

nus, incisuris distinctum, eximie *chrysomelon* sive aureum malum nominabatur; alterum, quod non ita magnum erat et odoratissimum, in silvis et sepibus nascebatur. Calpurnius notavit II, 91:

Cerea sub tenui lucere Cydonia lana.

Cydonia intererant et quum Corydon et quum rusticus Propertii III, 11 (13), 27 *pompa* munera ferrent amoris sui. Tamen aurea mala Graecis Punica quoque vel granata ex *Punica Granato L.* appellabantur, quae et ipsa aliquam partem sua sponte nascebantur. Malum citreum ex *Citro Aurantio L.* Lb. II, 126 appellabatur quidem eodem nomine, sed in Italia non nascebatur nisi arte cultum; malum Medicum ex *Citro medica L.* tum temporis ne sic quidem. Vetustum *decim* pro *decem* liber Romanus habet. *Mittere* pro ferre IX, 6; quemadmodum *πεμπειν*, unde *pompa.*

72—73. Sed quid juvat amari, si in blandis verbis et meris obsequiis acquiescitur? Hoc dicit Damoetas duo proverbia jungens: Dulcia Galateae alloquia et obtestationes facile a ventis auferantur; hoc est, non rata fiant. Utinam aliqua saltem ad aures deorum perveniant, ii ut testes facti caveant, ne irrita maneant! Ita Ruaeus, Castelvetro, alii. Obtestationes, preces et vota *longe absentibus* diis I, 37. 42 alta voce declarabantur, et a ventis perferebantur. Venus quidem in Ovidii *Met.* X, 642 dicit:

Detulit aura preces ad me non invida blandas.

Et in Quinti I, 681 ab Auris, filiis Boreae, caedes filiae Penthesileae Amazonis Marti nunciatur. Contra

in Homeri Il. XXIII, 198 ab ipsis ventis Achilles precatur iisque vota suscipit:

> Iris sed celeris, referens Ventos ut adiret
> Vota, abiit.

Vetustum *quotiens*, cujus et libri scripti et Grammatici auctores sunt, Ascensius et Brunckius dederunt.

74—75. Aeque lepide eadem Menalcas dicit: Amatum puerum, qui animo ipsum fovere praedicet, tam parum intelligere, quid clandestina silva hortetur, ut serio venans, desertum amatorem ad rete deleget. Ita Ascensius, Taubmannus, Cerda. Aliter sentiebat fervor Sulpiciae, quum Cerinthum sequeretur, Tib. IV, 3, 15:

> Tunc mihi, tunc placeant silvae, si, lux mea, tecum
> Arguar ante ipsas concubuisse plagas.
> Tunc veniat licet ad casses, illaesus abibit,
> Ne Veneris cupidae gaudia turbet, aper.

Si, *tu dum* habet quoque Hafniensis *A*. Ita *tu* nobiliore in loco positum esset; sed *dum* ictum versus occuparet, et gravius, quam debebat, dictum esset.

76—77. Nunc par cantionum, quibus *Iolas* irridetur, quem fingunt et venustam Phyllida quamdam alere dicunt. Damoetas rogat, ut sibi puellam ad suum natalem, quo Genio indulgebatur, mittat, et, quoniam ipse hodie non simul veniat, visat se casto die ambarvalium. *Natalem* comissantes in albis vestibus celebrabant, quo Genius Lb. I, 302 inter Lares, amplis coronis ornatus, unctus, inter odores pro ratione annorum vina libaque accipiebat,

neque Amor aberat. Vere, mense Aprili Lb. I, 338, quum die *ambarvalium* arva ambirent, agricolae, olea coronati, candido amictu, puri ipsi et *casti*, ter, ut lustrarent agros, porcum, scropham, agnam vel *vitulam* pro ratione fortunarum circum agros ducebant, saltantes et immodice Bacchum, Cererem, Lares et alios deos ruricolas vocantes; quo facto epulae sacrificae, laetae, sed pudicae, sequebantur. De castis sacris Cereris lamentatur Ovidius *Am.* III, 10:

Annua venerunt Cerealis tempora sacri,
Secubat in vacuo sola puella toro.

Damoetas hostia sua se opulentum esse agricolam monstrat I, 8. *Quom*, vetustum. *Vitula*, Hafn. *C*; reliqui cum Mediceis et Romanis *vitulam*. Nota est formula dicendi, *facere*, sacrificare, cum sexto casu, ubi *sacrum* cogitatur; verum etiam quartus casus locum habet, non minus quam in *ῥέζειν*; quoniam haec et ea, quibus similiter utuntur, verba, *operari*, *δρᾶν*, *ἔρδειν*, *ποιεῖν*, proprie *praesentandi* vim habent. Hoc loco soni quidem similitudo id vetat.

78—79. Menalcas, etiam acerbior, Iolae blandam puellam laudat: Quum clam eam visisset, tantum flevisse eam, o formose! se appellavisse et longum vale etiam atque etiam sibi precatam esse. *Formose*, pulcher, inter communes blanditias meretricum erat, in Plauti *mil. gl.* IV, 2, 46 et Virgilii *Copa* v. 33:

Formosus tenerae decerpes ora puellae.

Hafniensis *A* habet: *O longum, formose, vale*: quod, si in pluribus esset, equidem praeferrem. Alterum *vale*, *e* ante *i*, Graeca ratione, breve habet.

80—81. Totum me amor tenet; ejus, quod sequitur, paris sententia est. Damoetas canit: Me quidem amor perdit Amaryllidis; quocum damna universae rei rusticae in pecore, frugibus, fructibus confert. *Stabula*, aestiva septa, quae sub dio patebant in saltibus, e quibus lupus saepe vel noctu transsiliens, vel mane, quum grex exiret aut crepusculo, quum rediret, minorem pecudem abripiebat Lb. III, 537. *Maturescentia frumenta*, Plinius inquit XVIII, 44, 2, imbre laeduntur, hordeum maxime Lb. I, 316. *Imber* duo quoque Hafnienses habent *C. D*; jure id Burmannus comprobat, quod *imbres* inter tot stridentes exitus aures offendit. *Arboribus*, quum floribus et fructibus plenae sunt, vehementes venti nocent, austri imprimis et pluviales et sine pluvia II, 58. Lb. I, 443:

— — — — namque urguet ab alto
Arboribus satisque Notus pecorique sinister.

Amaryllidos, Graece declinatum, quemadmodum *Daphnidos* v. 12. Aeque multa Theocriti imago complectitur VIII, 57:

Est gravis arboribus tempestas, fontibus ardor,
Alitibus pedicae, lina ferisque nocent;
Virginis at viro amor tenerae.

Fontes montani, qui exarescunt, eodem modo, quo infra VII, 57, sitientes in aridis saltibus greges significant: cujus similitudinis vim, *οὔθασι*, uberibus, corrigentes, augere volebant.

82—83. Solatio, Menalcas obloquitur, unius Amyntae mihi est obsequium; et ex universa re rustica tenerrima quaeque comparat, quae fomento

egent. — *Satu* Romanus appellabat omnino novas plantas et frumenti et arborum et vitium. *Arbutus*, *Arbutus Unedo L.*, parva et fruticosa arbor est terrarum australium VII, 46, fronde ex viridi pallida et rutilis incisuris orbe distincta; quae frons similis breviorum foliorum lauri est, et in extremitate ramorum hieme durat; aestate vel auctumno arbor, quum in racemis florum albo vel rutilo colore se jactat, simul et ipsos maturos fructus, rubros, fragorum similes, sed his majores fert, qui, primum virides, post flavi et rubescentes, annum maturescunt. Rutilis cacuminibus et fructibus, qui acrimonia stringente sunt, quibusque phasianos Constantinopoli Forscolius saginari narrat, in Italia capris etiam hieme Lb. III, 300 subvenire solebant. Imprimis *matres*, et ante partum et postquam pepererant mense Martio (*foeta* I, 49), et *capellas*, quum lactentes tum post tres menses lacte *depulsas*, novellis surculis arbuti, *salicum*, oleastri, lentisci confirmabant. Calpurn. II, 44:

Me teneras salices juvat aut oleastra putare,
Et gregibus portare, novas ut carpere frondes
Condiscant, primoque recidere gramina morsu,
Ne depulsa vagas quaerat foetura parentes.

In quibus *condiscat*, *nec* et *vagus* sine dubio legendum erit.

84—85. *Asinius Pollio*, quem Julius Caesar, quippe comitem quum Rubiconem transiret et Pharsaliam peteret, anno DCCX in Hispaniam Baeticam cum imperio miserat, Caesare occiso suum periculum et suam voluntatem cum Antonio conjunxit,

et post bellum Mutinense anno DCCXI quum Galliam citeriorem Antonius triumvir sortitus esset, in Venetia ab hoc cum septem legionibus constitutus, inter varias turbas eam ad exitum anni DCCXIII tuebatur, quo, Caesari Octaviano ut obviam iret, bello Perusino coactus est. Consul factus anno DCCXIV cum reliquis Antonianis ad Brundusium descendit, et extremo anno pacem quarta Ecloga celebratam inter Antonium et Octavianum composuit, qua hic omnem occidentem inde a Scodra Dalmatiae accepit. Proximo anno DCCXV, postquam Parthinos rebellantes Caesaris Octaviani in ditionem redegerat, ab Antonio disjunctus in Italia vixit, et pugna Actiaca, quod dixit, praeda victoris factus est. Tamen antiquos mores, quibus Ciceroni olim ad libertatem defendendam operam suam spoponderat, non solum cum Octaviano quum ageret, sed etiam quum bellum civile describeret, Romanus servavit, et senex octogenarius demum in ipso exitu imperii Augustei gloriose vita peracta anno DCCLVII obiit. Ipse, juvenis Catullo XII, 6 lepore et facetiis placuit; vir factus laude tragoediarum, orationum, disputationum et historiarum floruit, quum ex manubiis Parthini triumphi Romae atrium Libertatis cum prima bibliotheca publica et consuetudinem recitationum institueret *Suet. Aug.* 29, et, seriis jocisque pariter accommodatus, esse omnium horarum diceretur. Nunc praetor in Venetis efflorescentem animum rustici Mantuani, favens ei et fovens, cognovit. Igitur, *o Musae!* Damoetas Mantuanus canit, vos, quarum munera, etiam infima nostrae cantionis pastoritiae, Pollio fovet et tuetur,

pascite vitulam lectori vestro i. e. favete vitulae, quam ego pro ejus salute sacrificabo, quoniam carmina *nostrûm alicujus* (tam humiliter modestus poëta de se sentit) *legere* dignatur. Musae in *Pieria*, terra Macedoniae, Iovi ex Mnemosyne nascebantur. Primum nymphae fontium erant in furorem agentium, itaque deae et ipsae fertilitatis VI, 1. VII, 21. X, 1. 9. Horatius *vituli* IV Od. 2, 54 mentionem facit, quem, pro salute patroni votum, in opima pastione saginat. Tropo Pindarus *fr.* p. 65 usus est, quum custodem aurearum ovium se esse praedicet, quae Musarum sint; ex iis modo huic modo illi pascere. *Lectae* cantiones a pastoribus tantum novae Arcadiae alienae sunt, non a Romanis V, 13. VI, 12; hic *Virgilii* quidem carmina illa pastoritia sunt. Tres Hafnienses *A. B. C. quamvis est* habent, *D* cum libro Lengnichii *sit* male sonans.

86—87. Pollio, respondet Menalcas, carmina non solum magni facit; sed ipse poësin exercet: *juvencus* ei, plenus juvenilis ferociae, qualia ejus carmina sunt, ad sacrificium pascatur. — *Facere carmina*, carmina efficere, non minus graviter Latino sermone quam ποιεῖν ἔπεα. *Nova carmina*, non inusitata specie vel virtute, sed quae novitate commendentur.

Insigni nam hominum florent ea carmina laude,
Quae novitate sua veniebant dulcia ad aures;

Homerus dicit Odyss. I, 352 usu doctus, et Pindarus laudat vetus vinum et florem novi carminis. Horatius quum *Sat.* I, 10, 40 suae aetatis poëtas praedicat, scriptor tragoediarum Pollio aeque unicus ei

videtur, atque Varius poëta epicus, Virgilius amicus rusticae Camoenae; quamquam Quintilianus, ubi cursim poëtas recenset, nomen ejus omisit. Dialogo de oratoribus si fidem habemus, orationes ejus et tragoediae antiquum colorem et animum Pacuvii et Attii referebant; tamen ipse Sallustii nimium verborum obsoletorum studium reprehendebat. Reliquae, quas in oratore, disputatore et historico compertas habemus, virtutes, sunt impetus animi, gravitas, inventio et ea etiam in eligendis pedibus diligentia, quae putida aliquibus videretur; ob quas virtutes proximus a Cicerone et Livio habebatur, sed idem tristitiam aliquam et jejunitatem habebat, et a Ciceronis nitore et jucunditate tam longe aberat, ut saeculo prior videretur *Quint.* X, 1 p. 230 ed. Bip. Quemadmodum Sallustii, ita Ciceronis multa vel inimice vituperabat *); et in Livio quamdam Patavinitatem inesse putabat **); Scaliger opinatur, in Virgilio etiam Mantuani aliquid, cujus rei equidem argumentum non reperio. Liberi agricolae, quales Damoetas et Menalcas, fieri poterat, ut theatrum Mantuae visissent, et Pollionis tragoedias lubenti animo audissent. Quid? quod Ovidius *fast.* III, 535 de plebecula, quae Idibus Martiis festum Annae Perennae diem passim per herbas celebrabat, dicit:

Illic et cantant, quidquid didicere theatris;
Et jactant faciles ad sua verba manus.

Hafn. *C* habet *et qui pedibus jam;* quod argu-

*) Quint. XII, 1 p. 339.

**) Quint. I, 5 p. 44. VIII, 1 p. 65.

mento est, *qui cornu*, quod legitur, ex interpretatione natum esse. Spretum *jam* — — — *qui* fervidum impetum exprimit; non versus attulit poëtae hanc necessitatem, neque umquam afferet. Victimae significantibus notis et virtutibus eligebantur Hor. IV, 2, 53; epod. X, 23. In Aeneidis IX, 629 Ascanius pro se ipso, si primum facinus bellicum bene cedat, juvencum jam cornu petentem et arenam spargentem vovet.

88—89. Pollionis carmina quicumque amat, poëtico furore et ipse ita abripiatur, ut bacchanti ad felicitatem aureae aetatis mundus redeat. Id est: Fervidum poëtam Pollionem amat, ipse fervido animo quicumque est. Ad verbum: Qui te, Pollio, amat, eodem perveniat, quo te quoque pervenisse gaudet; eumdem apicem praestantiae assequatur, quem inter magnos poëtas antiquitatis *te quoque* adeptum esse lubenti animo cognoscit. Summam quidem hujus interpretationis Burmannus divinabat, sed tam parum fidenter, ut corrigere mallet; etiam melius eam Martynus perspiciebat. Servius quidem consulatus et triumphi honorem, et plane ab hoc loco alienum et quem postea Pollio nactus est, intelligebat; Ascensius gaudium, una cum Pollione esse: *quo loco gaudet te* (utetur tua consuetudine) *quoque;* sed id esset, *ubi te gaudeat.* Verum hae sententiae tam pressae sunt in sermone nativo suo, ut nulla alia lingua facile idem imitari possit. Impetus animi poësis lyricae, praesertim in choris *tragoediae*, quae ex Lenaeis orta erat Lb. II, 380, tamquam

donum aliquod juvenilis *Bacchi* laetitia gestientis colebatur, quum satis vitibus coetus silvestres ex feritate ad humanitatem traduceret. Plenus quasi hujus dei virium miratur laetus poëta et cum Thyadibus evantibus per invias solitudines sibi ferri videtur dum, emendante deo, rupes montium et campi vino et lacte, quercus *melle* aetherio *fluunt* IV, 25. V, 29, et omnis felicitas aureae aetatis circum efflorescit. *Rubus*, sua sponte in agris pullulans, in laetitiis illius tempestatis, quum magica lingua eae receptae erunt, pro corymbis baccarum suarum raros sapores *amomi* feret. *Amomum* apud Dioscoridem parvus frutex est, cujus lignum in uvae modum convolvitur; parvus flos violam albam, folia labruscam referunt. Optimum mittebat Armenia, pejus Media et Pontus. Laudabatur recens et candidum aut subrubrum, non maculis varium, non implicitum, sed solutum et diffusum, plenum semine, uvarum instar, ponderosum, valde odoratum, acerbum; et, ut fraus abesset, non fragmentis, sed integris caulibus ex eadem radice. Similia Plinio auctore sunt Cinnamomum et Cardamomum. Nostris hominibus haec planta ignota est *). Illam opinionem de vita humana in altiore olim dignitatis gradu collocata, quam nostra non admodum maturata aetas difficile mente concipit, uti Virgilius, ita Theocritus V, 124 etiam pastoribus praebere poterat;

---

*) Curtius Sprengel Pluknetii sententiam defendit: Amomum esse *Cissum vitiginеam L.* v. C. S. historia rei herbariae I p. 140 ss. et ad Dioscoridem I, 14.

Comatas. Lac fundat nec aquas nunc Himera. Tu quoque, Crathis,
Vino tingaris, fructumque ferant sia ripis.
Lacon. Mel fundatque mihi Sybaritis; mane puella
Fonte favos referat, situlam quum mergeret undis.

Locus Theocriti I, 132 conversionem tantum naturae futuram exprimit, quomodo Virgilii VIII, 52, nec comparandus est.

90—91. Malum poëtam Bavium quicumque non odit, ejus mens ita perturbetur, ut etiam pejora carmina Maevii pulchra existimet, ipseque immanissima monstra pariat. *Bavius* et *Maevius* nunc quidem famosi sunt, ut qui infelici opera versus concinnaverint et poësin nobiliorem detrectaverint. Sed tum affatim plebis erat, quod cum iis sentiret, ut novos poëtas, qui Graecorum virtutem aemularentur, quasi qui linguam et sanum, quippe suum, judicium corrumperent, impune diffamare, et de aurea aetate, quae praeterierit, Enniorum et Luciliorum lamentari possent. Ennio delector, Cicero *or.* 11 dicentes audiit, quod *a communi more verborum* non discedit! Et quam saepe etiam postea Horatius Grammaticorum praecepta perstringit, qui omnino neminem suae aetatis hominum in effoetum orbem priscorum classicorum, quem concluserant, intrare paterentur, et, quo quis magis esset sui ipsius judicii, eo minus. Qua ratione quum recentiorum laudem etiam Orbilius minueret, Horatii praeceptor, cujus in φροντιστηρίῳ singulare ingenium incommodi juvenis audisse magis quam didicisse videtur, aculeos is in se commovit satyrae obiter irridentis. Ex opere

communi (nam isti homines una nituntur) dicendi artificum Bavii et Maevii versum Servius Lb. I, 210 nobis tradidit, quo Virgilii pluralis *hordea* V, 36 admodum jejune soloecismi arguitur. Nunc anno DCCXII U. C. vix fieri potuerat, ut Virgilius eorum in manus incidisset; quodsi sua ipsius carmina petissent, silentio id praetermisisset, quemadmodum silentio contumelias praetermisit, quas postea, uti Propertius dicit, expertus est, quum Anser versificator iratus esset de illo *Anser inter olores* IX, 36. Verum, quod Asinii Pollionis, etiam fama celebrati, diligentius factas tragoedias tamquam ineptum aliquod choragium exagitaverint, dicaculum illum Atheniensem imitati, contra cujus insaniam *νιν, δωματων ἀπο, σεθε*, quae et ipsa, *communi more* non dicta, tragici Attici adhibebant, Aristoteles *Poët.* XXII defendit: id ab istius modi hominibus plane non alienum videtur; itaque Pollioni maxime idonee oppositi essent, quippe *mali poëtae* et *adversarii*. Ad Maevium inter priores Odas Horatii (*epod.* X) *acerba* salutatio est:

Mala soluta navis exit alite,
Ferens olentem Maevium:

ubi *odor* non tam ad usum putidorum verborum pertinet, quae vetus *σχολιαστης*, sed temere, contendo, in scriptis Maevii odoratus est, sed una cum exitu ad adipem potius insulsi viri:

Opima quodsi praeda curvo litore
Porrecta mergos juveris,
Libidinosus immolabitur caper
Et agna Tempestatibus.

Caeterum aves marinas effugit, si recte se habent, quae σχολιαστης ad Ibin Ovidii v. 524 tradidit, quum versibus maledixisset, Athenis in carcere fame misere perisse obesum corpus! Aliquamdiu Gottschedios illos Romanos aucteritate valuisse, etiam castigatio testis est, qua digni a Virgilio et Horatio habiti sunt; et quod Eusebius vel Chronico suo magnum indicium debere putabat, ut nunciaret, anno DCCXX U. C. *M. Bavium*, poëtam (si Philargyrium sequimur, idem *curator* erat, qui respublicas administraret) in Cappadocia obiisse. Actiones male sanas irridebant proverbia: *Vulpibus arat;* vel, quod est apud Suidam: Vulpes regit bovem arantem *), et, quod ipse Lucianus de futili philosopho dicit: *Mulget hircum.* Hoc quidem ex vita pastoritia mutuati sunt, ubi Beckmannus ad Antigonum (26) notavit, lac dantes capros non inauditos esse. Sed etiam lac gallinaceum in proverbio erat. Duo priora ex nugatoriis inventis pictorum, quae inter Herculanenses picturas plura expressa sunt, orta esse videntur. Hoc loco de carminibus delirantium dicta sunt, quae Horatius cum somniis febricitantium comparat. Hafn. *D mulceat.*

92—93. Duae admonitiones, aeque speciose utraque, sub oculos subjectae. Damoetas fingit sibi *pueros pastorales*, sedulos, ut *flores agrestes* ad coronas et *fraga* plena saporis legant; quorum alter refugiens *frigidum anguem*, quem modo tetigerat, sub *humili* gramine latere nuntiat. *Fri-*

*) Suid. s. v. ἀλωπηξ.

gidus tangenti, non refrigerans sive interimens. Disturbata compositio cum pedibus anapaesticis (vv—), *o pueri*, *fugite hinc*, *latet anguis* metum significant, quam significationem convertens aliquis, quod fere semper, verba appendet potius, quam annumerabit.

94—95. Menalcas *pastorem* imitatur, *oves* torrentis ab ripa prominente et propter putre vel pronum solum *periculosa* et male fida repellentem, dum ridicula gravitate, tamquam exemplum, quo deterreantur, *ipsum arietem* monstrat, qui, prudentissimus a suis judicatus, praeceps tamen prociderat, et *etiam nunc* udum vellus siccat. Oves, Aristoteles judicat, stolidissimas esse quadrupedum! Temere, ait, in solitudines aberrant; saepe imbre procurrunt, nix si eas deprehendit, nisi a pastoribus coactae, decedere nolunt, sed illico moriuntur, nisi arietes a pastoribus deducantur; tum sequuntur *). Quodsi non fallor, similes sunt etiam in scholis litterariis bipedum, qui tuti sub magistris balatum exerceant. In Theocriti V, 100 Comatas similem admonitionem canit caprarius:

Sitta! caprissantes, ab oliva! pascite hic et
Declives ubi sunt colles, ubi suntque myricae.

Hoc *Sitta!* alliciens Stollbergius Comes etiam nunc audiit inter caprarios Italiae inferioris.

96—97. Aliud par rerum pastoralium simili modo effictum. In priore *caprarius* Tityrum socium dispersas capras, quae nimis prope *torrentem*

*) *Aristot. h. a.* VI, 4.

repant, baculo *rejicere* jubet; ne intempestive laventur: sed ipse lavationem iis frigidae aquae destinat ad villosa vellera purganda Lb. III, 311 in tutiore fonte, quemadmodum Comatas Theocriti V, 145 victor se jactans:

Nunc hilares sitis, cornutae, cras ego mergam
Frigore vos capras omnes Sybaritidis undae.

Rejicere, jacto pedo V, 88 repellere. Homerus Il. XXIII, 845.

Conjicitur baculus quantum a pastore bubulco,
Avolat atque pedum ad pascentes turbine tauros.

Et Theocritus IV, 44:

— — — Tuque feri vitulos, ramos quod olivae
Infra, sed pereant, rodunt; hinc, sitta! abes albe.

Ita Plautus Pers. II, 5, 18 de bubus, *in bubilem reicere*. Mitis pastor a Columella ad cogendum et recipiendum gregem voce ac baculo minari tantum jubetur, nec umquam *telum emittere*. Statius *Theb.* IV, 574 canit Actaeonem aggredientes canes telo a se repellentem, *reicientem*. Recte igitur Dryden convertit, *and sling your hook;* et Martynus mire miratus est. *Reice* vetere pronunciatione, quale Lucretii *eicit*.

98—99. In imagine a Menalca comparata familiam *magister pecoris* gregem suum calore meridiano in umbram compellere jubet Lb. III, 331; ne lac *praecipiatur* sive calore exsiccetur. *Praecipere*, antea auferre. *Aestus*, calor diurnus Lb. I, 297. *Aestas*, quod legunt, nimis late patet. Lac si non vult exire, palma pastor ubera *pressare* solet.

100—101. Praefectus bubulcorum, cujus personam Damoetas induit, queritur, quam macer taurus sit. His et, quibus postremum contendunt, versibus eosdem pueros agnoscimus, qui contentionem suam a carminibus ordiebantur amore lascivientibus. Hafniensis *A* habet *Heu*, quod Grammatici legunt Hēu. *B*, *C* habent *Eheu* v. II, 58. *Bos taurus* aliquo tempore ante admissuram, quae fiebat in veris et aestatis confinio v. 29, a grege separabatur et large saginabatur: qui cultus per tempus admissurae durabat Lb. III, 123. *Ervum* sive *ervilia*, ὄροβος (*Ers* gallice, *Ervum* (*Vicia*) *ervilia L.*) planta externa est, viciae cognata. Brachia fere cubitalia, longis foliis, post album florem parvas nuces ferunt trium vel quatuor granorum, quae, quod Aristoteles dicit, quemadmodum omnia legumina, quae inflationem habent, ad *saginandas boves*, praesertim mola fracta et cocta, utilia sunt. Mense Martio vel autumno satum gravedinosum esse, dicunt Romani *), imprimis bubus; Januario vel Februario innoxium. Theocriti exclamationem IV, 20:

Vah, macer est taurus fulvus mihi!

vix videri potest Virgilius ad imitandum sibi proposuisse. Lengnichii liber habet *arvo*, Hafnienses omnes *ervo;* iidem omnes *est* v. 101 νόθευας damnant; tantum *D* habet *magister*. *Pecus*, latius patet, omnes pecudes. *Magister*, praefectus pastorum.

---

*) Plin. *h. n.* XVIII, 15 s. 38.

102—103. In his *agnis* certe, respondet Menalcas, pastoris ovium personam gerens, ne amor quidem caussa est, cur vel ossa tabe liquefiant; fieri non potest, quin fascinati sint. *Nec* potestate satis nota *ne quidem.* Etiam nunc mediocriter infelix es, mente putat; malo sane mederi potes; hic vero *ne* amor *quidem* cogitari potest; certa morte pereunt clam fascinati. Ita nec Stephani correctio: *Hi certe* (*neque amor caussa est*) *vix ossibus haerent*, neque opus est, quod Gulielmus proposuit, ut eodem modo interpungamus, sed *his* cum Donato pro antiquo *hi* accipiamus, quemadmodum Terentii *eun.* II, 2, 38 *hisce* pro *hice*, et Plauti *mil.* II, 6, 6 *hisce homines.* Nam ita ista subtilis ratio sententiarum tolleretur; et *his* pervetusto etiamsi fidem habeamus, hoc quidem in loco Virgilius eo non usus esset, ubi cum *caussa est*, quae verba proxime absunt, conjunctum, solemnis forma tertii casus aptissime id habendum erat. Etiam *caussae est*, quod Gulielmus corrigebat, nulla necessitate obtruditur. Res et rei descriptio tota Virgilii est; nam Theocritus IV, 15 haec tantum habet:

Illius at vitulae tantum non ossa liquescunt;
Forte cicadam imitans rore an nunc vescitur udo?

Proverbium, quo macies significatur, quo etiam nos utimur, Virgilium neque a Theocrito neque a Callimacho, quem Germanus laudat, doceri opus erat. In vita quotidiana, Plutarchus refert, superstitiose creditum esse, quemadmodum benignum venustarum oculum ad male suavem amorem incitare, ita ipsum *visum* nocere invidiae, praesertim *infantibus*,

qui studiose bullae insigni VII, 28 contra omnem fascinationem muniebantur. Neque invidi solum, saepe amici, familiaris, ipsius patris infelix *oculus* esse videbatur, ut matres ab iis infantes natos tuerentur; et exempla erant aliquorum, quibus, quum imaginem suam aqua conspicere voluissent, morbo forma perierit. Etiam nunc infantibus et pullis animalium oculus non solum obest fascinans; sed etiam nutrices sunt, quae, priusquam ad sacra mater rediens lustrata sit, infantem dubitent cuique advenae monstrare; ne forte malignus inter eos oculus intersit, qui nocturnam quietem partui auferat. *Nescio quis oculus*, oculus, qui, quis sit, nescio; *quis* pro *qui*. Pro *agnos* Lengnichii quoque liber et Hafniens. *C hoedos* habet. Scribae Menalcam opinabantur suis verbis loquentem audire caprarium; quidni etiam v. 94 et 98?

104—105. Postremum additur par rusticorum aenigmatum, omnino veritatem imitatum, in quibus intenta exspectatio numquam ad reconditam aliquam doctrinam, sed ad verborum, ad sententiarum lepidam commutationem ingeniose deduci solet. *Caelum*, quod alicubi per *tres* tantum *ulnas* porrigi dicitur, ipsos veteres Grammaticos ad desperationem adegit; et serioribus quibusque opera adaucta est, ut ex tam varie et tam acute indagatis aptissimum eligerent, aut nova enuclearent, qua in re erant, qui difficillimum ingenium probarent. Caelumne trium ulnarum? En, inquit vir gravis, in puteo Syenite, ubi philosophi diem solstitialem servant, tantum tres ulnae de caelo conspiciuntur! Cur Syenite? inter-

pellarunt alii; idem conspicitur in quolibet puteo profundo, qui supra tres ulnas patet! Etiam ex specu Siculo! etiam ad Posilipo! denique ex quolibet! etiam ex superiore foramine Panthei! etiam ex furno! Quid furnum! Ex aurifodina conspiciendum est: nam in aurifodina aureae venae in flores discurrunt, quibus regia nomina cuduntur! Sed, arguebatur, tres ulnae caeli non caelum trium ulnarum sunt. Ubinam totum caelum tres ulnas occupat? In clypeo Ajacis! Vel Achillis! Quod melius sit, mundi imago in sacris Cereris! Imo melius, sphaera Archimedis! Vel potius, vir etiam doctior personabat, *Caelum* est *mundus*, *mundus* sacra fovea in comitio Romano dicebatur, quae triduum singulis annis patebat; tres dies, tres ulnae; modus temporis modo longitudinis aenigmate significatus! Qua in re hoc maxime mirum sit, quod ipsius Virgilii interpretationem novimus, nec suspiciosi de origine eam, sed tamquam parum lepidam spernimus. Asconius Pedianus, Grammaticus, qui cum Virgilio consuetudinem habebat, et poëta Cornificius ejusdem aetatis a Servio et Philargyrio pariter testes nominantur, quibus quaerentibus Virgilius responderit: *Caeli spatium* trium ulnarum sepulcrum esse Mantuani civis luxuriosi *Cael I* nomine, qui, quod fieri solebat, quum fundum venderet, loculum sibi ad sepulcrum reservarit; de industria crucem se Grammaticis fixisse, ut videret, quis eorum doctissimus sit. Haec Servius et Philargyrius scribebant, quum adhuc fieri non posset, quin Asconii et Cornificii testimonia vel ipsorum scriptis vel seriorum Grammaticorum excerptis exstarent. Modus mi-

noris sepulcri, ubi tantum urna ponebatur, sex pedes in fronte erat, septem in latere, itaque *ternae* fere *ulnae* in quadratum; majus duodecim vel viginti pedum erat. Utinam viri honestissimi, qui ne aenigmati quidem jocosam permutationem condonabant, aliqua oracula reminisci vellent! Veri simile est, hunc jocum de *Caelio* famoso tum in coetibus Mantuanis crebro jactatum esse. *Apollo*, deus vaticinandi. *Tris* vetus accusativus a *tres*. Hafn. *B. C. tres.*

106—107. *Flores*, regum nominibus notati, *Hyacinthi* veterum sive Vaccinia II, 18 sunt, quae pastor caprarum, Apollinem ut honoraret, in hortis colebat v. 63. Si fabulam sequimur, quae non omnibus nota esse poterat, quoniam, si secus fuisset, aenigmati non serviisset, ex sanguine duorum *regiorum filiorum* crescebant: primum, quum formosus *Hyacinthus*, Amyclae, regis Laconis filius, vel, quod alii dicunt, Oebali, ab Apollinis amantis disco iceretur; secundum, quum *Ajax*, Telamone, rege Salaminio, natus, ferro se furens ad Trojam transfigeret. Ex interioribus ductibus vel Iridis sive caerulei gladioli, vel Delphinii minoris *AI* eruebant litteras, lamentationem dei vel initium Ajacis, modo, quod Palaephatus et Servius dicunt, Y, a qua littera Hyacinthus Graece orditur. Hyacinthi solum, non Ajacis nomen inscriptum esse, affirmaverit tantum is, qui Servium post excerpsit, cujus aetate non amplius *A* transversa linea non disjunctum scribebatur. Probus, Grammaticus, etiam Y*A*, plorantis vocem, ibi cognoscere sibi videbatur. Hafn. *C nascuntur* interrogatione directa; verum *nascantur* ad *pateat*

aptum est. *Phyllida* solus habeto: ad v. 76—79 respicit. Quare ad benevolam admonitionem via munitur, quam cum arbitrio arbiter conjungat.

108—111. Palaemon, prout certantium virtuti et intelligentis sensui convenit, ita modeste judicat: neutrius esse victoriam, quamvis ad Menalcam ea potius inclinare videatur. Non *nostrum*, non mei alicujus similis, est judicium ferre de tam eximio pare contendentium. Interpretatio scribae, qui Servii personam gerens, Servium excerpsit: *Non; nostrum* — Minime! non vestrum id est, ut Phyllida alteri addicatis; nostri id muneris est, ut litem componamus: mira est, ut modice dicam. Tamen ipse Ascensius huic sententiae favit, quum *Non vestrum* legendum reciperet. Tum timide fertur judicium: Certe Menalcas, si pariter cecinisses, dignus esses, qui vaccam adversarii acciperes, quoniam tibi, quum sequereris canendo, majores difficultates superandae erant; attamen Damoetas, quum cantu praeiret, tam artificiosa invenit, non quidem ut dignus sit, qui tua pocula accipiat, verum, qui suam vaccam tueatur. Alteruter si victor esset, tu is esses; verum Damoetas non victus est. Tum prudens constante aetate villicus juvenes, quorum cantus ab amore ordiebatur v. 64—83 et ad amorem decurrebat v. 100—107, serio monet; quod monitum, ut idem et acrius pungat et minus invidiose dicatur, communi praecepto dicitur: Quisque tamen, quicumque is sit (vel senex vel juvenis) dulcem amorem metuat, aut eum acerbum experietur! Virgilii *At* corrumpebant scribae posito *et*, atque *metuat* tantum non omnes posito

9 *

metuet, quod, novitia potestate verbi *quisquis* decepti, continuationem judicii exspectabant: Etiam quemlibet alium vacca dignum esse, qui vel dulcem amorem metuet, vel acerbum experietur. Nec movebant eos ineptiae hujus expressae continuationis. Tamen in Mediceo et aliis quibusdam libris *metuat* sequente *experietur* servatum est. Lingua Plauti et Lucretii *quisquis* et *unusquisquis* cum *quisque* et *quicumque*, quae idem valerent, omisso saepe *est* pro *quilibet* utebatur: quam observationem Manutii et Lambini in Museo Germanico (1786 t. I p. 24) satis nobis probavisse videmur. Prope Augusti aetatem hanc vim *quisque* unice servavit, rarius *quisquis*, praeter *quoquo modo* et *pacto*, etiam *quicumque* interdum. Ita eodem omisso *est* plus minus tarde mutata sunt *quandocumque* et *quandoque* pro *aliquando*, *quantusquantus* pro *totus*, *qualisqualis*, *uterque*, *utercumque*, *ubique*, *undique*, *quotquot annis* et *quot annis*, *quotquot* et *quot Calendis*, *mensibus*, *diebus*, *qualiscumque* ipsumque *qui* I, 53. Summam quidem hujus interpretationis, sed servato *et* atque *metuet* etiam apud navum Ascensium reperio: *Quisquis* i. e. *quicumque is est*, *non solum vos*, *sed omnis mortalis;* quem *Diego Lopez*, Hispanus, convertens sequitur. Veremini, juvenes, interpretes saeculi sexti decimi! Discedens demum Palaemon servos appellat, fossas in aquosa declivitate, quibus vicina prata domini aestu, qui tum erat, irrigari curabat Lb. I, 106, aggere occludant. *Pueri*, laeta adhortatio familiae I, 45.

ECLOGA QUARTA.

POLLIO.

Sicelides Musae, paulo majora canamus:
Non omnes arbusta juvant humilesque myricae.
Si canimus silvas, silvae sunt Consule dignae.

Ultima Cumaei venit jam carminis aetas;
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.
Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies caelo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta, fave, Lucina: tuus jam regnat Apollo.
Teque adeo, decus hoc aevi, te Consule, inibit,
Pollio; et incipient magni procedere menses.
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.
Ille deum vitam accipiet, divisque videbit
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu,
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsae lacte domum referent distenta capellae
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et serpens, et fallax herba veneni,
Occidet! Assyrium vulgo nascetur amomum.
At simul heroum laudes et facta parentis
Jam legere, et quae sit poteris cognoscere virtus;
Molli paulatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,
Et durae quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
Quae tentare Thetin ratibus, quae cingere muris
Oppida, quae jubeant tellurem infindere sulco.
Alter erit tum Tiphys, et altera quae vehat Argo
Delectos heroas; erunt etiam altera bella;
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.
Hinc ubi jam firmata virum te fecerit aetas;
Cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces; omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem;
Robustus quoque jam tauris juga solvet arator.
Nec varios discet mentiri lana colores:
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto;
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.
Talia saecla, suis dixerunt, currite, fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcae.
Adgredere, o magnos (aderit jam tempus!) honores,

Cara deum suboles, magnum Jovis incrementum!
Adspice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasque tractusque maris caelumque profundum!
Adspice, venturo laetantur ut omnia saeclo!
O mihi tam longae maneat pars ultima vitae,
Spiritus et, quantum sat erit, tua dicere facta!
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus; huic mater quamvis atque huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo!
Pan etiam Arcadia mecum si judice certet,
Pan etiam Arcadia dicet se judice victum!
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem!
Matri longa decem tulerunt fastidia menses!
Incipe, parve puer! quoi non risere parentes,
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est!

ECLOGA IV. EXPLICATA.

ARGUMENTI NARRATIO.

AB U. C. DCCXIV.

Cn. Domitio Calvino II. C. Asinio Pollione Coss.

AUCTUMNI TEMPORE.

Virgilius annum agens 29—30.

Vere hujus anni incipiente Caesar Octavianus vicit Perusiae L. Antonium, proximi superioris anni consulem, qui una cum fratris, triumviri, imperiosa uxore Fulvia turbas, quae de agris dividundis erant, ad bellum excitaverat. Exinde M. Antonius, quum post pugnam Philippensem, anno DCCXII factam, paene otiosus prope Cleopatram venustam moratus esset, fugienti in Graecia Fulviae obviam factus, hac et sociorum sollicitationibus, Asinii Pollionis Cos. et Domitii Ahenobarbi, qui libertatis restituendae studiosi erant, ut ad Brundusium transveheretur, permotus est. Huc Asinius Pollio, qui legatus Antonii ab anno DCCXII in Venetis erat, quum irritum esset consilium, ut L. Antonium ab obsidione liberaret, juxta oram maris Adriatici cum septem legionibus

descendit, et Domitius Ahenobarbus, Bruto amicus, Pollioni nuper conciliatus, amplam classem in mari Ionio post cladem Philippensem habuit. Etiam Sext. Pompejus, qui Siciliam tenebat cum copiis in dies crescentibus, M. Antonii societatem quaerebat. Quare Caesar Octavianus, quum ipse, firmior quidem legionibus, sed parum firmus navibus, in duplici bello etiam, ne commeatu intercluderetur, timeret; ut Pompejum, si opus esset, sibi conciliaret, Scriboniam bis nuptam uxorem elegit, cujus frater, L. Scribonius Libo, Sexto Pompejo affinis erat *). Dum Antonius una cum Pompejo bellum in Italia inferiore movebat, quod cruentissimum fore quisque praesagivit; Fulvia Sicyone obiit. Hac re Coccejus, Antonio simul et Octaviano amicus, usus est, ut ad Brundusium pacem conficeret, quum Caesaris Octaviani Maecenas, Pollio Antonii mandata ageret. Itaque provinciae quum denuo dividerentur, excepta Italia, quae, quod communis patria esset, semper excipiebatur **), Octavianus occidentem accepit ad Sardiniam et Dalmatiam usque, Antonius orientem a Scodra urbe ad Euphratem; Lepidus autem Africam provinciam tenuit; contra Pompejum, nisi pactio fieret, bellum decretum est ***). Ad quam amicitiam firmandam Octavianus Antonio sororem despondit, pulchram et honestam Octaviam, quae ex defuncto nuper conjuge C. Marcello gravida erat; neque ita multo post Romae nu-

*) Appiani V, 53.

**) Dionis XLVIII, 2.

***) Appiani V, 65. Dion. XLVIII, 28.

ptiae actae sunt. Verum Pompejus, indigne habitus, Sardiniam expugnabat, praedas agebat de ora Italiae, et populum fame tantopere urgebat, ut in fine anni, cui in paucos dies, qui reliqui erant, alii consules praeficiebantur *), motibus triumviri ad pacis leges ferendas coacti sint. Demum anno DCCXV, quum ante per causam morum, vere amore Liviae, post ipsum partum filiae, notae Juliae, Octavianus Scriboniam dimisisset, ad Misenum pactio rata facta est; qua praeter consulatum Pompejo Sicilia, Sardinia, Corsica et Achaja in quinque annos tradita, ejusque filia Marcello, privigno Antonii, desponsa est **).

Inter has vicissitudines, quibus fortuna Romani imperii diro discrimine periclitabatur, in honorem Pollionis consulis, amici et fautoris, hanc sublimem Eclogam Virgilius scripsit. Hoc argumentum est: jam finem adesse ferrei saeculi, quem Cumana Sibylla praedixerit, et hoc ipso consule aureum, nato puero, quem exspectarent, rediturum, quod, quo magis ille in orbis terrarum imperium adolescat, magis magisque clarum fore.

Quonam puero exspectato? Servatore scilicet nostro! responderunt homines religiosi, quibus vaticinantem suam elationem animi turbare nolumus. Nam quod praedictio Sibyllina, quam solum Virgilius noverat, quum nulla adhuc Christianorum opera subdita esset, tantum de *redeuntibus aetatibus*, non de partu pueri egisse videatur; quodque puer, quo-

*) Dionis XLVIII, 32.

**) Appiani V, 72—73. Dionis XLVIII, 38.

nato praedictionem Virgilius ratam fore ostendit, hoc anno, multo ante puerum Bethlehemitem, natus sit: has ita ratiocinantium dubitationes nullo negotio sacra ἑρμηνευτικὴ redarguet.

At enim quo filio, quem, patre heroe in terris natum et imperio beatiorum rerum destinatum, ipso anno DCCXIV a Lucina precari licuit?

Recentiores interpretes, splendore magis posteriore Caesarianae domus, quam hujus temporis ratione ducti, partim de *Marcello*, filio Octaviae, suspicantur, qui, gener factus Caesaris Augusti, quem imperio sequuturus esse putabatur, anno DCCXXXI obiit *); partim de *filio Scriboniae*, quem quidem animis praecepissent, sed pro quo filia edita fuerit. Vel ipse *Drusus*, quo Livia ex priore marito, quum Caesar eam anno DCCXVI in matrimonium duceret, gravida erat, pro eo habitus est, quem anno DCCXIV exspectabant.

Futiles esse etiam priores enodationes, facile cogitando efficitur.

Quodsi *Marcellus*, laudibus post celebratus, anno DCCXXXI obiit, priusquam vicesimum aetatis annum, quod Propertius (III, 20 (16), 15) lamentatus est, complesset; Pollione consule jam bimus factus erat. Sed, ut modo natus fuerit; qui fieri potuit, ut is spes imperii esse crederetur, quum ipse Antonius filios haberet, Caesar Octavianus juvenis esset nuper connubio junctus, et tres et viginti annos natus? Quo ore poëta (v. 17 et 26) de *paternis*

*) Sueton. Aug. c. 62—63.

virtutibus et heroicis factis loqui poterat, quum C. Marcellus pater Pompejanas partes studiose sectatus esset, Antonius vitricus libidinibus iram omnium bonorum virorum, bellicis virtutibus aperte simultatem Octaviani aemuli concitasset, contra quem modo ipsum arma tulerat? Gratam simulationem scilicet, qua Virgilius novo domino Galliae citerioris adulatur: gratiorem factam propterea, quod poëta Pollionem alloquutus est, qui (v. 13), nimirum quemadmodum antea, *reliqua vestigia sceleris* exstinguere jubetur!

Contra exspectatum Octaviani et Scriboniae filium, quem homo Gallicus primus intelligendum proposuit, etiam majores difficultates existunt. Filium et imperatorem, qui salutare imperium Caesaris Octaviani sequatur, ex conjugio palam optare, publicae saluti ita prospero! Quo viri mens abiit?

Octaviano enim, qui proximo anno a Philippis rediens, agrorum divisione maxime lugubri facta et fame inde exorta, quum commeatus interclusus esset, universam Italiam exacerbaverat, qui modo L. Antonium et Ti. Neronem, institutos defensores jacentium, aegre sedaverat, et contra victos Perusiae ferro denuo grassatus erat; huic imperioso, callido et crudeli juveni nunc in Italia, praeter rapaces legiones, tantum nequissimi cives ita favere poterant, ut, nuper amissae libertatis repente immemores, vel regnum ei praeter antiquos mores et ejus posteris optaverint. Conjunctio autem cum Scribonia, quae Pompejo affinis erat, in ipsa trepidatione accelerata fuerat, et cum Pompejo ne pacem quidem, quamvis adjuvante Antonio, et liberam navigationem effecerat,

ut turbae triumviros ad pactionem Misenensem haud difficilé adegerint *). Partus ille, quod accedit, ad quem, quod scriptor rerum Romanarum nemo vel obscurissime opinatus est, Romani homines laetissimas spes retulisse dicuntur, in ipsum insequentem annum incidit, postquam Pollio jam ante hujus exitum consulatu se abdicaverat. Denique, ut vagum somnium semel accipiamus, faciamus poëtam, quum praedium, quo spoliatus fuerat, magno animo restitutum haberet, ita exarsisse laetitia, ut commotionem animi tam miram in vaticinationem Octaviano effunderet. Verum quid erat, qûod officiosissimam gratulationem de sperato herede imperii non ipsi imperatori dicere mallet? Cur inepte eam Pollioni inscribere, cujus animus de quocumque imperio unius in universum orbem, praesertim Octaviani, si parum eum ex prioribus actionibus et familiaribus sermonibus cognitum haberet, ex rebus hoc anno gestis vel hebetissimis oculis perspicuus erat?

Quicumque enim bellum civile Romanorum non omnino negligenter cognoverit, is intellectum habebit, quemadmodum reipublicae studiosos fuisse nomine, qui vere omnia alia quam libertatem et patriam cogitarent, ita fuisse Caesarianorum quoque, quos multiplices rationes et curae, quo minime vellent, compellerent. Talem quidem Asinius Pollio se profitetur literis lectu dignissimis, quae ad Ciceronem (X. 31—33) scriptae sunt, quibus, quum bello Mutinensi anno DCCXI Hispaniae ulteriori praeesset, amicitiam

*) Dionis XLVIII, 36.

cum Julio Caesare et Antonio excusans, diligentissimum suum studium contra novos dominos, si qui forent, reipublicae offert, non sine vituperatione senatus, qui male de eo judicans, non prius eum arcessierit. Sed tamen clandestina societas Octaviani cum Lepido et Antonio, qui prius conjuraverant, et mutatum illius opera Romae consilium, quo perfido Octaviano bellum cum utroque commissum, et D. Brutus, qui adhuc praefuerat, damnatus est, Pollionem in ea, quam semel inierat, vitae ratione coëgit, ut et ipse et Plancus cum Antonio amico se conjungerent. Nec dubium est, quin, quemadmodum D. Brutus eidem Antonio, tamquam Octaviani inimico, pepercerat, ita Pollionis quoque consilium fuerit, ut juvenis Antonio invisi, quantum posset, et ipse dominationi occurreret, laetiora tempora exspectans. Verum deleto D. Bruto, Lepidus et Antonius Caesari Octaviano cum multis copiis inter Mutinam et Bononiam obviam facti *), instructis exercitibus in insula Lavinii **) fluvii, ad cujus pontem amici cum trecentis armatis restiterunt, suspiciosi primum vestes sibi pertractabant, tum clam per aliquot dies de turpissimo foedere agebant. A. d. V Calend. Decembr. decretum est: quinquennale imperium cum consulari potestate; sortitio provinciarum, quarum Caesar Africam, Siciliam et Sardiniam, Lepidus Hispaniam et Galliam Narbonensem, Antonius reliquam Galliam ultra citraque Alpes accepit; caedes potentissimorum et ditissimorum

*) Dionis XLVI, 55 s.

**) Appiani IV, 2.

libertatis vindicum *), inter quos Cicero intererat de Caesare bene meritus, frater Lepidi, Antonii avunculus, frater Planci et Pollionis socer; et proximo anno, dum Lepidus consul Italiam defenderet, bellum in Macedonia contra Brutum et Cassium. Foedus, in quod juraverant, militibus honesta specie declaratum est, iisque postulantibus parvam Fulviae ex Clodio filiam Caesar uxorem duxit, quam anno DCCXIII inter agrorum divisionem intactam et virginem a se dimisit **). Postquam triumviri res Romae ordinaverant, Caesar Octavianus et Antonius anno DCCXII contra Brutum et Cassium profecti sunt, et victoria, quam ad Philippos reportabant, debellatum est. Pollionem interea videtur Antonius jam anno DCCXI, ut Venetis praeesset, cum septem legionibus in Gallia citeriore reliquisse.

Hac quidem tempestate triumviratus Pollio quomodo erga Caesarem Octavianum se habuerit, ex ipsa narratione Macrobii patet. Caesar enim, qui mediocrem versibus operam dedit, petulantibus Fescenninis Pollionem petierat: *At ego taceo*, ajebat Pollio, *non est enim facile in eum scribere, qui potest proscribere* ***). Anno DCCXIII quum Caesar victricibus legionibus, quod cum Antonio pactus erat, promissos agros Italiae dispertiret, non solum Fulvia et L. Antonius, popularis consul, obstiterunt; sed ejusdem actiones et colonorum impotentiam Pol-

*) Dionis XLVII, 6. Appiani IV, 12. Vellej. II, 67.

**) Sueton. Aug. c. 62. Dionis XLVIII, 5.

***) Macrobii Saturnal. II, 4.

lio quoque et qui caeteri duces M. Antonii triumviri in Gallia citeriore erant, armis impediverunt; quamquam hieme anni DCCXIII et DCCXIV L. Antonium, qui suam contra triumviratum palam operam professus erat, non satis diligenter iidem adjuverunt, quid consilii esset nescientes imperatoris sui apud Cleopatram molliter viventis *).

Verum Perusia **) postquam, cunctante auxilio, amissa erat, tum ultima Asinius Pollio, ut Caesaris Octaviani vim reprimeret, ausus est. Injussu triumviri Antonii cum Domitio Ahenobarbo se conjunxit, qui, quum proscriptus esset, quippe qui contra Julium Caesarem conjurasset, mare Ionium post pugnam Philippensem magna classe tenuit, triumviris oras populatus est, multas naves cepit et combussit, et Italiae, vastantibus legionibus refertae, in mari Supero, quemadmodum Sext. Pompejus in mari Infero ***), commeatus interclusit. Conjuncti ad Antonium in Graeciam miserunt, rogantes, ut quam celerrime in Italia adesset, et necessaria parabant, ut eum reciperent; ipseque timor de societate tantarum virium, et fama de rebus, quae cum Pompejo agerentur, effecit, ut Caesar invitus matrimonium cum Scribonia, Pompeji affini, duobus ante maritis nupta et matre de altero facta acceleraret. Foedus autem illud ita plane Pollionis opera initum erat, ut Antonius classi Domitii Ahenobarbi, quae in itinere Cor-

*) Appiani V, 32.

**) Appiani V, 50.

***) Dionis XLVIII, 7.

cyraso ei obviam facta est, simulata tantum specie fiduciae occurrerit, Plancus amicus, etiam quum Antonius imperator salutatus esset, vix metum ex animo excusserit *).

Pollio, dubium est, utrum forte, quae res multam speciem habebat, inter ipsos veteranos Caesaris milites dissidia aut Antonii majores vires et industriam speraverit, an minimum tantum miseriarum solatium in optatis habuerit: sed apparatus pleni minarum pactione Brundisina terminati sunt, quam Coccejus **) praeparavit, ipseque Pollio cum Maecenate ***) pactus est. In nova divisione, quum provincias ab urbe Scodra, hodierna Scutari, in confinio Dalmatico, sub orientem solem sitas Antonius, Octavianus sub occidentem solem in reliquum tempus triumviratus acciperet †), omnibus Octavianus ignovit et pepercit, qui contra se bello Perusino pugnaverant, etiam aliquibus Caesaris percussorum, inter quos Domitio Ahenobarbo, tum omnibus, qui proscripti fuerant, quique cum Bruto et Cassio, vel post cum Antonio arma tulerant ††). Inter hos quidem ipse Asinius Pollio intererat: quare Seneca †††) inter Caesaris Octaviani clementiam expertos Domitios quoque, Messalas, Asinios, Cicerones nominat.

---

*) Appiani V, 55.

**) Appiani V, 60.

***) ib. 64.

†) Appiani ib. 65. Plin. *h. n.* III, 26.

††) Dionis XLVIII, 28—29.

†††) De clement. I, 10.

Hanc quidem pacem, quae diviso imperio causas discordiae minuebat, et nobilissimos cives reipublicae servabat, Asinio Pollioni consuli Roma acceptam debuit. Hinc autem, quoniam Antonii luxuria Aegyptiaca, quippe qua etiam in castris Brundisinis pro Caesaris cibo militari Asiaticas ei dapes referret *), non multum ex eo opis reipublicae restituendae portendebat, Pollio, fortunae cedens, in otium Musarum se recepit; praeterquam quod a. U. C. DCCXV pro consule cum parte Antoniani exercitus, qui ad bellum contra Parthos exercendus erat, Caesaris copiis, uti videtur, adjutus, Parthinos **) in Dalmatia, provincia Caesaris, rebellantes sub Romanam ditionem redegit, comparans sibi honorem triumphi, et majorem etiam ex manubiis primam Romae bibliothecam publicam condidisse ***).

Messala quoque, vir auctoritate gravis, cujus ingenium ipso anno DCCXII, quum septemdecim annos natus ad Brutum confugeret, triumviris timorem injecerat, quemque, Bruto occiso, studium meliorum partium, quod ingenue post Caesari confessus est, ad Antonium traduxerat, una cum Pollione vel paulo post perditum amatorem Cleopatrae reliquit, et pro Caesare, tum meliore facto, contra Sext. Pompejum ipsumque Antonium ad Actium fortiter pugnavit.

A Carisio Grammatico discimus, Pollionem, quum pedetentim ab Antonio recederet, maledicta Antonii

*) Dionis XLVIII, 30.

**) Dio ib. 41. Appian. V, 75.

***) Sueton. Aug. c. 29. Plin. XXXV. 2. VII, 31.

in se concitasse, contra quae peculiari libello se defenderit. Tamen a. U. C. DCCXXII roganti Caesari, ut secum ad bellum Actiacum proficisceretur, magno animo respondit: *mea in Antonium majora merita sunt, illius in me beneficia notiora; itaque discrimini vestro me subtraham et ero praeda victoris* *).

Non igitur in Caesarem amor, sed opinio, quam tristi animo deposuit, fore, ut per Antonium Caesaris Octaviani dominatio ad utilitatem reipublicae refringi possit, id unum erat, quod generosum et prudentem Pollionem ab ejus parte alienum fecit. Nam etiam postquam discrimen factum erat, victoris praeda non ita fiebat, ut, quem gratiosissimis vix credibile est suffragiis in senatu excelluisse, utile ad mutandam rempublicam instrumentum videretur. Ad alios honores enitens fovit ingenium et doctrinam, seros libertatis et ultimos fructus, tragoedias ipse fecit, artis operibus bibliothecam auxit et ornavit, recitationes et declamationes instituit, aemulatus orator Ciceronem, disputator Ciceronem et Livium, scriptor rerum belli civilis Livium et Sallustium.

In hac historia qui ejus animus fuerit, ubi audaci et cauto animo, quod ait Horatius, quasi per ignes incedebat suppositos cineri, ex his versibus laetam spem animo praecipientis poëtae cognoscitur, qui eumdem saepe animum, tantum acutioribus oculis perspicuum, perlucere sivit:

---

*) Vellej. II, 86.

Audire magnos jam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos
Et cuncta terrarum subacta,
Praeter atrocem animum Catonis.

Quis est, qui nesciat, Catonem signum liberorum fuisse? In severo Pollionis de Cicerone judicio libera tamen confessio inerat: *ne miserandi quidem exitus eum fuisse se judicaturum esse, nisi ipse tam miseram mortem putasset* *). Etiam Cassii et Bruti tam gloriosa mentio fiebat, ut Cremutius Cordus historicus, quum sub Tiberio ejusmodi laus ei crimini daretur, ad Livium, quem Augustus Pompejanum appellarit, et ad Asinium Pollionem provocaret **).

In moribus quoque, quos rato facto terrarum domino Caesari Augusto, qui, quam dolo et crudelitate expresserat potentiam, superbiente clementia firmare vellet, Pollio exhibuit, antiquam omnino Romanorum libertatem monstravit. Inter crebras pompas, quibus Augustus plebis aciem praestrinxit, quum ludus Trojae nobilium juvenum et puerorum esset, hic edi desitus est, Asinio Pollione graviter invidioseque in curia casum questo nepotis sui, qui in ludicris exercitationibus crus effregerat ***). Timagenes historicus quum dicacitati non moderaretur, Augustus domo ei interdixit; statim Pollio eum, quamquam ei iratus fuerat, usque ad senectutem domum et in tutelam suam recepit: *non aliam*, quod

---

*) Seneca *suasoriar.* VI p. 1260.
**) Tac. *Ann.* IV, 34.
***) Sueton. Aug. 43.

Seneca dicit, *causam habens, cur irasci desineret, quam quod Caesar coeperat* *). Nuncius quum ex Lycia allatus esset, Cajum Caesarem, nepotem Augusti et filium ab eo adoptatum, obiisse, et tota urbs significationibus doloris compleretur, Augustus familiariter Pollioni scripsit: qui fieri potuerit, ut in tam magno et recenti luctu suo homo carissimus sibi pleno convivio coenaret? *Eo*, rescripsit Pollio, *coenavi, quo Herium filium amisi* **).

Quae dicta quominus nobis animi morosi impetus repentini videantur, Quintilianus auctor est: *de Pollione Asinio, seriis jocisque pariter accommodato, dictum esse, Esse eum omnium horarum* ***). Tacitus quoque et Dio paternam libertatem et traditam ferociam eam appellant, quae sub Tiberio principe ab U. C. DCCLXXXVI C. Asinio Gallo filio, oratori, seni consulari et plurium consularium parenti, unaque, quod plus quam civilia agitare videretur, multis amicis necem attulit †).

Talem virum, cujus animus liber, communi favori Horatii pertinacia quum prius cessisset, imperio Augusti etiam firmato et utili facto numquam se submisit: eum anno DCCXLV faciemus Octavianum triumvirum, contra quem modo ipse bellaverat quemque ad reconciliationem amicitiae adegerat, istum a vastata, exinanita et fame laborante Italia cum civium

---

*) Seneca *de ira* III, 23.

**) Seneca *controversiar.* IV *prooem.*

***) Quintil. *inst. or.* VI, 3 p. 387.

†) Tac. *Ann.* I, 12. VI, 23.

expulsorum, expilatorum, exsulantium, viduarum egentium et pupillorum suspiriis et exsecrationibus detestatum juvenem, tamquam restitutorem aureae aetatis, pacati orbis probum dominum, cui ad felicitatem complendam similis tantum desit, qui se sequatur imperio, tam impudenter in os sibi laudatum audientem! Idque a Virgilio amico, qui nuper a turbis praedonum illius servatoris spisse atque vix paternum praedium et vitam defenderat! Eoque carmine, cujus principii majestas laudem ipso consule Pollione dignam portendere videbatur! Et eo tempore, ad fastigium immanitatis assequendum, quum de restituenda tantum reipublicae libertate, parum de sempiterno sermo et esset et esse posset imperio!

Nam quidquid esset, quod vel clam inter triumviros convenisset, vel a singulis decretum esset: palam anno DCCXI declarabant, ad restituendam tantum rempublicam, quae labaret, non ad mutandam potestate se sua quinquennium usores esse. Tum anno DCCXV pace Miseni facta consules Antonius et Octavianus cum Sexto Pompejo in quatuor annos designabant, quibus praeterlapsis respublica populo restitueretur *). Pace migrata uterque anno DCCXVII ad Tarentum denuo imperium in quinque annos sibi prorogabat, quod quinquennium extremo bello, quo debellatum est, exitum habuit. Immo post pugnam Actiacam Octavianus Augustus prudenter cavit, ut potestatem suam, specie legitimam, renovari a populo in certum tempus curaret.

*) Appiani V, 73. cf. ib. 95.

At qui tandem puer celebratus est, cujus propinquo partu aurea aetas revertetur, is si nec M. Marcellus, neque speratus Scriboniae filius esse potest?

Idem neque alius praeter hunc, quem mille et quingentis annis amplius, priusquam futiles aliqui interpretes Serenissimi et Potentissimi et Clementissime regnantis Imperatoris Augusti filium heredem interpretando effecerant, inter omnes Virgilii lectores esse constabat: *Asinii Pollionis filius*.

Id tantum, uter is demum esset Pollionis inter filios, veteres interpretes erant, qui dubitarent; e quibus scriba, qui Servium excerpsit, valde jejunas et fucatas servavit reliquias. Nam post ridiculam praefationem, Asinium Pollionem, ductorem Germanici exercitus, captis Salonis, urbe Dalmatica, lauream primum meruisse, et tum consulatum nactum esse, tradit: *Eodem anno Pollio suscepit filium, quem a capta civitate Saloninum vocavit; quem constat natum risisse statim et nono die periisse; alii Asinium Gallum, fratrem Salonini, qui prius natus est Pollione consule designato, accipiunt.* Horatii interpres Acron praeterea scit, Pollioni Saloninum in novissime capta urbe, Salonis, natum esse.

Has ineptias vel assentari, vel nulla omnino eas animadversione dignas habere, parem probat ignaviam. Omissa potius temporum ratione, quam isti narratores sequuti sunt, et calamistris, quos adhibuerunt, id tantum teneatur, dubitatum ante ipsos esse, hujus Eclogae puer utrum singularis quidem *Saloninus*, an *Asinius Gallus* sit. Hoc quidem testis dixit locuples,

et miseriarum deprecatorem, terrarum orbem gubernet; immo ipso Pollione consule, novi generis tamquam primitias aliquas, filium ejus exstiturum, qui in sensim sensimque expiato et emendato orbe cum aliis heroibus, Diis amicis, pacati imperii summos honores administret.

Annotata.

1—3. Altiores spiritus poëta sumere cupit, ut carmen, quod Pollione consule dignum sit, tantum praestet reliquis carminibus tenuioris argumenti, arbustis et fruticetis myrices quantum saltus aërii praestant. — Modeste et audacter poëta *Sicelides Musas* invocat, ut animum sibi augeant, id est, nymphas invocat, quae fontibus praeesse et vim vaticinandi poëtis numine suo inspirare dicebantur X, 1, quaeque primum Siciliae carminis pastoritii scientiam docebant. Nam multo ante Theocritum ibi εἰδύλλια sive parvae imagines rerum exquisitiorum et argumentorum rei rusticae aemula pastorum arte ita tritae factae erant, ut inventa poëtae Syracusano ars tantum limanda esset. Ipse Epicharmus, qui cum Empedocle Pythagoram audierat, laudabat carmina Siculi pastoris *Diomi;* et vel Bion Smyrnaeus VII, 1, vel Moschus Syracusanus, ejus amicus, III, 8 de *Siculis carminibus* et *Siculis Musis* dicentes magis ad antiquam gloriam repentinorum carminum Siculi populi, quam ad novitiam limam Theocriti respexisse videntur, quem cum Asclepiadis, Lycidae et Philetae

bucolicis modis in ordinem coactum Moschus III, 96 recenset. *Sicelides* Graece pro Siculis; poësis abstinet a quotidianis verbis et dictionibus. *Arbores vitibus vestitae* (*arbusta*), quae planities et loca molliter acclivia, quamvis frumento consita, distinguebant, in Gallia citeriore, Virgilii patria, non altiores fere quindecim pedibus colebantur. *Tamarix Gallica L.*, quam ipse Plinius *) Graecam μυρίκην esse decit, frutex vel arbor plagae meridianae ad lacus et paludes X, 13 est, cortice rugoso et acriter acerbo, lentis ramis, ad scopas utilibus et parva fronde, qualis cupressi et erices est; ex rutilo flore vergente vere, oblongae nuces fiunt cum parvis et capillatis seminibus, quae Plinius **) nesciebat. Apud nos quidem minor et folio crassiore ***) species est, *Tamarix Germanica*. Has in depressis agris et pratis, ubi rusticus minores tantum greges alebat, humiliter crescentes arbusculas quantum superat immanis natura celsarum arborum in *saltibus*, quos pastor cum amplis gregibus aestate peragrabat! Eadem similitudo poëseos sublimioris et minus sublimis VI, 10 et X, 13 repetita est. Tale argumentum aliquod si canimus, id consule dignum est; hoc est, canamus id argumentum, quippe quod unice consulem deceat. Igitur *sunt* legendum. Qui *sint* mutabant, arbusta, tamarices et silvas con-

---

*) XIII, 37 cf. Dioscor. I, 116.

**) XVI, 45. cf. XXIV, 41 et 42.

***) ita distinxit Bauh. in Linné, species plantarum ed. Willdenow, Tom. I pars II p. 1499.

tinuam descriptionem poëseos rusticae existimabant; gradum non animadvertentes, qui factus sit a minus sublimi poësi ad sublimiorem. Quodsi, intelligebant, rusticum carmen canimus, id dignum *sit*. Cura pascuorum publice locatorum, quae, quamquam non unice, maximam partem tamen saltibus constabant, quod etiam consulibus interdum mandata est, nihil id ad comparationem pertinet.

4. Magnus annus mundanus, de quo Sibylla vaticinatur, ferrea nunc aetate ad exitum pervenit; novusque orbem suum aurea aetate orditur, ad quam Astraea et Saturnus redeunt. — Earum vatum, quae *Sibyllarum* sive deos consulentium nomine, a σιος et βυλη Aeolico dictae, notae sunt, celeberrima, *Cumaea* vel Cumana, quod Cumis, urbe Campaniae, habitabat, et ab Erythris Asiae, ubi nata erat, Erythraea appellabatur. Ejus oracula, Graecis versibus conscripta, ignotam anum, fama est, Tarquinio Superbo, alii auctores sunt, ipsam Sibyllam Prisco regi venalia obtulisse. Ob magnum pretium, quod statuebat, derisa tres libros, tum alios tres in ignem conjecit, quod rex admirans, tres, qui reliqui erant, pretio primum statuto accepit, et, ut clandestinum oraculum ad graviores res publicas procurandas essent, custodiae tradidit duumvirorum; qui anno CCCLXXXVII decemviri et patricii et plebeji ordinis et a Sulla quindecimviri facti sunt. Sullae tempore ab U. C. DCLXX una cum Capitolio templum Jovis combustum est, cujus sub area in arca lapidea libri fatales conditi erant. Capitolium postquam restitutum erat, ab U. C. DCLXXVIII senatus

per legatos ex omnibus Italis et Graecis urbibus, imprimis Erythris, quidquid Sibyllinorum versuum esset, colligi jussit; falsisque a veris diligenter distinctis, mille circiter in novo templo Jovis Capitolini sub custodia quindecimvirorum antiqua religione servati sunt. Varro *), cujus haec plurima sunt, in Dionysii historiis **) refert, tamen falsos aliquos irrepsisse, qui ἀκροστιχίσι arguantur, i. e. quando primae quaeque literae versuum summam rem, quae inerat, indicabant. Qua de causa Cicero ***) quoque vaticinationem contemsit, quam pro Julio Caesare L. Cotta quindecimvir ad Senatum delaturus erat, a rege tantum Parthos vinci posse. Sed quoniam populus, praesertim in rebus trepidis, quotiescumque essent, versibus Cumanae Sibyllae recens factis decipiebatur; anno DCCXLI Augustus, quum pontifex maximus esset, decrevit, ut die dicto omnes libri fatales ad praetorem urbanum deportarentur, neque privatim eos cuiquam habere liceret: quorum librorum duo millia amplius cremavit, et Sibyllinos iterato delectu duobus forulis auratis sub basi Palatini Apollinis condidit †). Tamen fides, quae cuique vaticinationi, Sibyllinae dictae, habebatur, tam parum exstincta est, ut ab U. C. DCCLXXII Tiberius omnia ejusmodi scripta denuo perscrutaretur, rejiciens alia, alia recipiens, et ipso anno DCCLXXXV quindecimvir de novo libro

*) Varronis fragm. p. 216 ed. Bip.

**) Antiq. Rom. IV, 62.

***) Cic. de divinat. II. 54.

†) *Sueton. Aug.* 31.

recipiendo iterum ad Senatum referret *). Post aliquibus Christianis, qui hominum ad suos ritus convertendorum nimis studiosi erant, conducere videbatur, Cumanae Sibyllae quaslibet vaticinationes, Messianas imprimis, fingere: quae, quamvis multo magis apertae, ex obscuris oraculis Judaismi fluxisse, vel ab ipso Spiritu Sancto, si non ab Apollinis nefando numine, traditae esse dicebantur. Qua in fraude viri religiosi tam sinistre agebant, ut suam non solum aetatem proderent, sed, praeter Varronis et Ciceronis admonitionem, acrostichide plane non fucata Messianum splendorem his primis literis *ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ ΣΤΑΥΡΟΣ* ***Jesus Christus Dei Filius Servator Crux***, nunciarent, et ab ipso Cicerone eam conversam adjicerent. Tam solidi testimonii pro Messia, quod aniliter et superstitiose Virgilius de filio Pollionis interpretatus sit, primus quidem Constantinus imperator apud Eusebium **), post eum Lactantius et Augustinus ***) patres mentionem faciunt, piae fraudis nec reprehensionem illi, neque suspicionem inficiantes, ipsique libri Sibyllini, qui in Palatio erant, post firmata demum Christianorum sacra sub Honorio imperatore ad unum omnes, nulla nec venia neque exceptione data, qua tale quidem testimonium dignum videri posset, a

*) *Tac. Ann.* VI, 12. Cf. *Eichstadius* ad Dav. Ruhnkenii in antiquitates Romanas lectiones Academicas VI, 4 p. 11 sq.

**) *Constantini oratio ad Sanctorum coetum* c. 18 in opp. Euseb. a Grynaeo conversis p. 190 sq.

***) *August. de civitate Dei* XVIII, 23.

Stilicone cremati sunt: tamen (tantopere subsidiis ignoscitur, quae ad bonam caussam sustentandam adhibentur) Christiana depravatio vel nostro saeculo doctos defensores suos etiam inter ingenuos Britannos habuit. Prius collecti libri tam diras opiniones de rebus divinis ex Tarquinii aetate traxerant, ut in ipso bello Punico secundo ad placandos deos hostias humanas decemviri Galli et Gallae, Graeci et Graecae fieri juberent *). Quod secus erat in postea collectis, qui doctrinam et disciplinam aetatis adoptaverant, qua lux plurium saeculorum etiam sacerdotes et oracula, ut sententiam suam de diis corrigerent, et allegorice saevas fabulas conformarent, coëgerat. Cujus rei argumentum est Apollo mutatus, de quo mox sermo erit.

5—7. Unum ex novis oraculis Sibyllinis, cujus, quamquam in clandestinis descripti, nondum apud populum deleta erat memoria, cum aliis doctrinis novatis, quae a philosophis rerum coelestium peritis petitae fuerant, doctrinam quoque de *magno anno mundano* inter sacra decreta receperat, et propinquum finem praesentis certis indiciis declaraverat. Haec ex antiquioribus opinionibus poëtarum de quatuor aetatibus mundi, aurea, argentea, aenea et ferrea, per orbem redeuntibus, et ex accedentibus somniis astrologorum de sideribus, quasi eventuum caussis, orta et varie mutata doctrina magnum annum mundanum intellexit de spatio, quo omnes stellae et inerrantes et vagae in suis curriculis quaeque eum-

*) *Liv.* XXII, 57.

dem statum coeli, ἀποκαταστασιν, recuperarent, et priores fortunae vicissitudines referrent. Appellabatur *magnus* vel *maximus annus*, *annus mundanus* vel *coelestis*, annus *Saturni*, etiam Platonicus; et diversus erat vel a *magno anno solari*, qui dicebatur ratione habita *minoris anni lunaris*, vel ab iterata utriusque *convenientia*, et a *perpetuitate* Romani imperii per *duodecim saecula* duratura, quam vaticinati fuerant. Ex ratione maxime modica ille annus mundanus erat 2489 vel 3000 communium annorum solarium; ex aliis erat arcanus numerus 7777; ex Cicerone *) 12954; ex Macrobio 15000 **); ex Heraclito 18000, qui et ipsi unus tantum Diogeni ex 365 magnis diebus anni mundani erant; secundum nothum Orpheum (*Arg.* 1106) erant duodecim menses denorum millium annorum, quos immensos annos mundanos Paradisiaci ejus Macrobii, ut Hebraeo Methusalem erubescendum sit, etiam plures ei degere videbantur; ut alios numeros mittamus. Verum, quemadmodum Diogenes 365 dies mundanos, nothus Orpheus duodecim menses et in Nigidio quaterna tempora, Stoici, ex communi partitione anni solaris, hiemem et aestatem, sive imbres in signo capricorni, et ardorem in signo cancri anno mundano tribuebant, ita vaticinatio Sibyllina, quantum ex Servio conjici potest, *decem mensibus saecularibus* annum suum mundanum descripsit, sequuta, uti videtur, antiquos Romanorum fastos, et *quaternis*

*) *Cic. de nat. Deor.* II, 20. *Somn. Scip.* 7.

**) *Macrob. in somn. Scip.* II, 11.

temporibus, quae quatuor aetatibus poëtarum respondebant. Ista *decem saecula* notitiae popularis fuisse, narratio Servii ad Ecl. IX, 47 documento est: Vulcatium haruspicem cometen, qui post caedem Julii Caesaris apparebat, signum in concione *noni saeculi* exeuntis et *decimi* ordientis declarasse, et propterea, quod arcanum deorum consilium prodidisset, inter ipsum loquendum exanimatum procubuisse. Igitur *saeculum*, quod proprie *generatio*, *genus*, *aevum humanum*, *centeni anni* est, hoc quidem loco aeque late patet, atque *annus* et *mensis*. Inter *quaterna tempora* hujus anni mundani ver, quo mundus creabatur Lb. II, 336, *aurea* aetas erat rege *Saturno*; aestas complectebatur aetatem argenteam; auctumnus aeneam, qua undae Deucalioneae VI, 41 ingruebant; et hiems cum ferreo tempore continua erat aureo veri redeunti. Tres posteriores aetates Jovis imperio tribui solent Lb. I, 121—125. Erant tamen, inter quos Nigidius ad v. 10 Orpheum habet, qui inter Jovem, Neptunum et Plutonem eas dispertirent; et Olympiodoro teste (*Orph. Gesn.* p. 408) Coelum, Saturnus, Jupiter et Bacchus Orpheo quatuor reges esse videbantur: ut Saturni, cujus rei etiam Proclus ad Hesiodum testis est, argentea aetas esset. Redeuntem *orbem*, quod dictum est, *aetatibus* suis *mundanis* etiam antiquiores poëtae tribuebant, antequam annus mundanus Astrologorum inventus erat. Nam Hesiodus, qui in Georgicis suis quinque aetates mundanas, heroicam post aeneam inferciens, facit, v. 174 haec queritur:

Esse ego numquam inter quintos homines voluissem;
Serior aut nasci malebam aut ante moriri.
Ferreum enim genus hoc hominum — — —
Juppiter horum etiam vocale abolebit at aevum.

Tamen *Cumaeum carmen* propterea non Hesiodo, cujus pater ex Cume Asiae oriundus erat, cum Probo tribuendum est; Cumaeum carmen quum Romano suam Sibyllam primum et potissimum in animum revocaret, et Hesiodi carmen ne Cumaeum quidem, sed Ascraeum esset. Dea *Justitiae*, *Δικη*, ex Jove et Themide nata, quae pedetentim post auream aetatem discedebat, postremum aenea aetate ad coelum, ultima Dearum, avolabat, unde, in Zodiaco *Virgo* facta, Astraea sive virgo siderea a recentioribus nominata, relucet. Albinovanus II, 23 auream virginem eam appellat. Christiani pervertentes Mariam virginem hoc loco repererunt. Ad hoc ver mundi rediens, sub pacato et libero *Saturni* imperio, nunc *novum genus humanum* nascitur, cujus generosiores animi, secundum Platonicam opinionem Lb. IV, 221, quippe ex anima mundana omnia animante fluentes, ex liquidissimo *Aethere* creati, a *supremo coelo stellifero demittuntur*; cf. V, 56. *Dimittitur* spurium, quod tantum est *a se mittere*, Hafn. *A.* habet a prima manu, et *C.*

8—10. Melioris generis, quod rediens aurum aetatum experturum est, primitias, filium fortuna esse destinavit, qui ex Pollionis uxore exspectatur. Sed tu, virgo Lucina, felicem des huic puero partum: jam enim ferrea aetas ultimo anni mundani saeculo finitur, fratre tuo Apolline regnante. — *Mundus*,

rerum universitas v. 50, quae ex terra, mari, aëre, aethere est; astrictior si intelligitur, *ambitus coeli* ita potissimum dicitur omnia cingens; saepe etiam *tellus* cum mari mediterraneo, quae tunc ex prisca simplicitate rotundus et a conspicua coeli compage arcte conclusus terrarum orbis esse credebatur, Hor. III Od. 3, 53 *mundi terminus*, Ov. Trist. IV, 4, 83. Luc. I, 160. III, 454. V, 619. Claud. V, 245. Ob eamdem opinionis jejunitatem simile saepe verbum *naturae* non ultra fines terrarum patet Sen. Suas. I. Claud. V, 156. XVI, 11. *Gentis* quoque vocabulum omnino *generatio* vel *genus* est, de hominibus et de pecudibus dictum, et hoc quidem loco *omne animans mundi* ejus, qui simpliciter dicebatur de terra, aqua et aëre, complectitur; propterea, quod omnia, bestiae quoque et plantae, redeunte aurea aetate ex corruptione sua ad pristinam integritatem restituentur v. 21, 24, 43. Philosophi ex quo tempore cascae vetustatis deos totidem notas esse unius animae mundanae et ejus virium interpretati erant; opinione et dictione plures dii, plerumque a viris doctis, partim etiam a populo, conjuncti sunt. Ita *Artemis* sive *Diana* virgo, quum venationi praeesset, munera et nomina *Selenes* sive *Lunae* accepit, ut lunam regeret; *Hecates*, deae nocturnae veneficae, quam *Triviam* quoque Romanus appellabat; et *Ilithyiae* sive *Lucinae*, quae parientibus aderat; hac quidem opinione cum Junone confundebatur v. 63. *Phoebus* autem *Apollo*, frater, quum primum juvenilis esset sagittarum, artis musicae et vaticinationum deus, officia idem accepit *Paeanis*

11*

medici, *Bacchi* procellentis, imprimis *Ἡλίου* sive *Solis*, solis cursus rectoris. Haec confusio et in oraculo Sibyllino est, quod de ludis Saecularibus Zosimus II, 6 affert, et in carmine Horatii in eosdem ludos, in quo non dubium est, quin opiniones Sibyllinas susceperit. Unde mutatam fuisse doctrinam seriorum librorum Sibyllinorum apparet. Nam in pristina quidem Tarquinii collectione verus summum Apollo esse potuerat, et vix dum is, quem, teste Arnobio *), ipsa Pompiliana indigitamenta sive libri Pontificales de diis a Numa receptis scripti nesciebant; minime tralata atque immutata de Apolline opinio, de qua tum temporis vix Graeci philosophi cogitaverant. Itaque Servius non temere egit, quum, Sibyllam, narrans, *decimum saeculum*, quippe *exitum ferreae aetatis*, imperio *Solis* tribuisse, hanc interpretationem adjiceret, Solem vero eumdem esse, qui *Apollo*. Communis fabula quidem tribus aetatibus postremis Jovem imperare dicebat; sunt tamen, doctus inquit Senator Nigidius, Julii Caesaris aequalis **), exempli caussa Orpheus, qui singulos quatuor aetatibus reges ascribant, Saturnum, Jovem, Neptunum et Plutonem; alii, quales Magi, regnum suum etiam *Apollini* destinant. Ultimae aetatis ferreae, cui Pluto imperabat, sub finem credibile est, mundum ad redeuntes felicitates nimirum ut expiaret: quamquam Nigidius conjicit, Apollinem, solis deum, ardorem facile significare posse; qui dimidiato tamen

*) *Arnob.* II p. 95.

**) *A. Gell.* XIX, 14.

fieri dicebatur magno anno Stoicorum mundano. Sed utut Magi cum Stoicis vel consentiant vel ab iis dissentiant: extremus annus Sibyllae mundanus sub Solis vel Apollinis erat imperio, et licebat Virgilio inconstantem imaginem suos ad usus adhibere. Haec ejus est sententia. *Apollo*, pharetra et lyra insignis, illa ut malum defendat, ἀλεξίκακος, qualem eum Horatius I Od. 21 populi Romani invocat saluti; hac ut sublimes virtutes canat, *regnat nunc*, mundum ad instantes felicitates ut expiet: et illud imperium per sacerdotem suum, *Asinium Pollionem* consulem, exercet, cujus in laudes Ecloga dicitur. Nam Pollio pace non tantum ad Brundisium facta taeterrimi belli a Romanis hominibus pestem avertit, et etiam nunc ulciscendae pergit v. 14 impietatis delere vestigia; sed docet etiam genus heroum oriens v. 15, cujus primitiae ipsius filius erit, divinas heroum virtutes, mentibus poëseos et philosophiae ad studia excitatis v. 26. Gens Pollionum, quod Pomponius arbitratur, num ab Apolline etiam ortam se esse jactaverit, id missum faciamus. Caesarem Octavianum quidem, qui tamen Dione XLV c. 1 teste, a Julio Caesare ipso filius Apollinis existimabatur, quique post sibi impensius hanc propinquitatem flagitabat, in illo rerum statu non magis Virgilius intelligere potuit, quam Servatorem nostrum, quem hic quoque corrumpentes obtrudunt: aut, quod desperans demum aliquis arripere potuit, istum ipsum puerum nondum partu editum.

11—17. Te, cujus ope Apollo jam, Deus averruncans, promissum imperium exercet, Te ipso

consule, Pollio, puero Tuo nato ver aureum magni anni mundani redibit, et ordo magnorum mensium mundanorum sive saeculorum orbe iterabitur. Te duce lacrymosum bellum civile, quod dii nobis immiserant ad multum sanguinem, quem profuderamus, ulciscendum plerumque exstinctum est; te duce reliqua quoque pristinae impietatis vestigia evanescent: ut expiato in mundo filius, meliorum hominum primitiae, divinam cum diis et simul natis heroibus vitam acturus et ad amplissimos gradus humanae dignitatis adscensurus sit. — ***Decus hoc aevi***, haec felicitas mundanae appropinquantis aetatis. ***Aevum***, quemadmodum αἰών, tempus est vel diuturnae vel sempiternae perpetuitatis. ***Inire*** deest ***cursum***, ordiri; pervetustum, pro ***ingredi***, eadem reticentia; participium ***iniens*** diutius mansit. ***Magni menses*** i. q. v. 5 ***magnus ordo saeclorum***, decem partes, in quas Sibylla annum mundanum descripserat; ***magni*** proprie dictum. ***Bellum civile*** Georgica quoque I, 502 et Horatius Od. I, 2 Epod. 7, 16 tamquam ***luem pristini sceleris*** lamentantur, quod ad expiandum Jupiter misericors vel Apollinem filium vel alium Deum Romanis propitium vel pium Augustum, quippe deum humana specie, gentibus prope depositis de coelo demittere velit. Nunc, quum libertas adhuc restituenda, parum futura Octaviani dominatio exspectaretur, libertatis studioso amplum expiationis munus Asinio Pollioni poëta tribuit: qui utramque Antonii et Octaviani potestatem, ob pervetustam populi culpam, quod, neminem laesurus, poëta simulat, discordem factam, modo pacaverat, et, quasi sacerdos

aliquis Apollinis averrunci, labanti imperio beatitatem Saturni, servitutem non amantis, referre videbatur. *Vestigia* veteris et in dies augescentis *sceleris*, forte residua, quae imperium Romanum (*terras*, orbem terrarum v. 17) *perpetua formidine* irae coelestis premebant, praeter turbas de agris dividundis modo sedatas, quibus ipse Virgilius praedium suum amiserat, facinora Sexti Pompeji imprimis sunt, qui, quamvis Antonio auxilium tulisset et Octaviano affinis esset, pacis Brundisinae expers, mare Tyrrhenum navibus suis infestum reddidit, et fame laboranti Italiae commeatus interclusit. Has quoque miseriarum reliquias, et credibile erat et sperabant, Pollione adhuc consule deletum iri: quamquam proximo vere tumultus demum Romae exortus Triumviros ad pactionem Misenensem coëgit, postquam Pollio sub ipsum finem hujus anni consulatu se abdicaverat.

Inter hos homines, paulatim a scelere et diro numine liberatos, ad partum vicinus *ille*, id est *Polliones filius*, Saturniae beatitatis cumulum videbit; et *Heros* factus Semideus cum aliis *Heroibus*, *Deorum* inter familiarem praesentiam, summos ad patris exemplum pacatae reipublicae honores nanciscetur. *Divinam* aliquam *vitam* aureae aetatis Hesiodus quoque ε. κ. η. 112 cecinit:

Securis animis vitas habuere deorum,
Atque labor procul atque aerumnae; nulla senectus
Obrepebat iners; manibus pariter pedibusque
Integri instituere dapes; damnisque carentes,
Et gregibus dites, divis carique beatis
Tandem obiere diem, somno ut victi.

Cum his hominibus tam innocentibus *dii* praesentes

et coram versabantur, qui post ad pias preces et sacrificia tantum adveniebant neque conspicui. *Heroes*, i. e. viri fortes vel semidei, viri antiquitatis appellati sunt, qui ob egregiam virtutem pro aetate sua, qua fortitudo plurimi aestimabatur, humanarum virium modum superare, itaque divina origine, divinis honoribus digni esse videbantur. Fortasse Virgilius ad nobiles gentes respexerit vel Brundisina pace servatas vel sperata cum S. Pompejo pace servandas, quae laude in Romanis historiis cumulatae erant. *Videbitur illis* deest *permixtus*: sententiarum interpreti haec illico sententia occurrit; syllabarum auceps ineptias quoque extorquere potest: heros illis esse videbitur, ab illis conspicietur. *Regnum* pacati orbis, quod juvenis Pollio, *patris* jam tum herois facti *virtutibus* (quam honorifice!) instructus administrabit, nihil aliud esse potest praeter *consulatum liberae reipublicae* v. 48. Etiamsi poëta, quum ordinatam anno DCCXVII rempublicam populo restituere Triumviri promisissent, non ex animi sententia id eos promisisse judicaret, tamen suspicionem suam temerarii erat palam facere. Regalem dominationem, quam populares aures detestabantur, nemini competitorum tum temporis sine multa invidia portendere licebat; et quomodo ea *Saturniae aetatis* in libertatem cadere potuerit, cujus memoria in *Saturnalibus* etiam servorum manumissione simulata celebrari solebat? *Orbis* terrae sunt Romani imperii circum mare mediterraneum, praeter quas in ovato circulo doctrina, quam de mundo ista aetas susceperat, modicas strigas et angulos invictis populis con-

cedebat; minora etiam communis et ad rotundam speciem coarctata imago, quod Geminus Astrologus serio impugnat.

18—45.

Gradibus a ferrea ad auream aetatem ascenditur. In pueritia Pollionis filii 18—25 sua sponte eximias plantas et flores, greges tuto pascentes, nusquam nocentes belluas et herbas terra habebit. Deinde in adolescentia 26—36 fruges, vinum, mel sua voluntata ferre incipiet; sed tam parce primum, ut vel necessitas vel avaritia ad navigationem, bellum et sationem cogat. Postremum virili aetate 37—45 tam larga omnia et tam felicia provenient, ut mercatura et agricultura, nedum bellum, desinat, ipsaque rerum nativarum per artis operam cultura necessaria non sit.

18—25. Prima munera *veris mundani*, quod cum Pollione infante redibit, meliores plantae et flores sunt, qui, prius in hortis culti, nunc ipsi et nulla ope egentes provenient; ferae mansuefient, venenum delebitur. Eodem modo in Ovid. *Met.* I, 107 a floribus ad fruges aurea aetas ascendit:

Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.

Nullo cultu, nulla satione Lb. I, 102. *Hedera* III, 39 inter studia erat Bacchi vino et felicitate excitantis, qui coronis hederaceis evantibus suis et poëtis aureae aetatis referret beatitudinem III, 88. *Baccharis* sive *Bacchar*, a Romanis quoque *nar-*

dum rusticum *) et *Perpressa* **) appellatum, Dioscoridi ***) planta fruticosa et ad coronas utilis est, cujus ex radice, cinnamomum redolente et nigri hellebori simili, caulis angulosus, aliquantum asper et cubitalis altitudinis cum verrucis surgit, aspera folia ferens, albae violae haud dissimilia, cum floribus albicantibus purpuraceis, quorum mitis et suavis odor, teste Plutarcho *Symp.* III, 1, securum potantibus soporem affert. Hanc quoque plantam (nostri homines eam ignorant), quum ictibus serpentium et fascinationi mederetur VII, 27, ad commodam significationem faciendam poëta prudenter elegit. De Italico *acantho*, qui propter bene tortos scapos et folia insigni ornamento topiariorum erat v. III, 45. *Fundere*, abunde ferre IX, 41. *Colocasiam* appellabant Romani *fabam Aegyptiam*, *cyamon*; cujus, teste Dioscoride †), ita *radix* tantum proprie dicebatur. Eximia planta, quae in lacubus et paludibus erat Aegypti et Asiae, scapos habebat digitalis crassitudinis, longitudine quatuor cubitorum; flores erant colore roseo, duplo majores quam papaveris, quos ad coronas Nicander ††) adhiberi jubet; et post flores cellis semen inclusum erat, favorum similibus, e quibus ad tricenas fabas exstabant. Vescebantur

*) *Plin. h. n.* XXI, 16. XII, 26.

**) ib. XXI, 77 cf. *Dioscor. notha* p. 441 ed. *Saraceni.*

***) *Diosc.* III, 51 (44 *ed. Sprengel.*)

†) *Dioscor.* II, 128.

††) *Nicander* fr. X.

non tantum fabis, crudis, quum immaturae, cum nigra tunica decoctis, quum maturae essent, sed etiam densa et bene alente jucundi saporis radice vel cruda vel cocta vel tosta, ipsisque scapis, qui virus decocti praebebant araneosum in mandendo *). Etiam ampla folia, quae *Nymphaeae* similia erant, quum introrsum deprimerentur, ad pocula et pateras, *ciboria* **) appellatas, adhibuerunt et nobilibus metallis imitati sunt: qualia vasa Horatius II Od. 7 mercatura maritima ex Alexandria nactus erat. Planta tam utilis sua sponte pullulabat, et, ubi deesset, nullo negotio serebatur, fabis cum luteis glebis in terram demissis. Strabo laetum adspectum sationum fabae in aquis Aegyptiis et comissationum voluptates in commodis cymbis, quae inter densas umbras foliorum ingerebantur, miratur ***). Ex his indiciis colocasia Romanorum minime est, id quod Martynus statuit, *aron* Aegyptium radice eduli, *Arum Colocasia L.*, quamquam hodie a Graeco vocabulo colocasiae, quo nomine radix edulis primum fabae palustris, post ari dicebatur, *Kulkaas* id Aegyptii appellant; sed *Nelumbium* est Indicum, *Nymphaea Nelumbo L.*, cujus plane eamdem naturam esse nostri homines dicunt, hoc argumento addito, florem forma quidem *Nymphaeam albam*, magnitudine vero *Helianthum* aequare, et in aliis generibus colore roseo, in aliis

*) *Plin. h. n.* XXI, 51.

**) *Athen. Deipnos.* III p. 72. XI p. 477.

***) cf. Schneid. ind. ad Theophr. s. v. κυαμος ὁ Αἰγυπτιος.

vel candido vel luteo esse *). Ex India, ubi Alexander in Acesine fluvio fabam Aegyptiam reperiebat (quare, tabula terrarum sua in errorem inductus, ad fontes Nili sibi adesse videbatur *Nonn. Dionys.* XXVI, 234), haec planta in Aegyptum transposita fuerat; sed non diutius ea durabat, quam colonorum industria. Eamdem colocasiam, Plinius auctor est, ipsius tempore etiam in Italia satam esse, et, Virgilius qua ejus mentionem facit, paene conjici possit, tum temporis ipsum primum ejus culturae periculum factum esse: nisi Servium audire malumus, post devictam ab Augusto Aegyptum Romae colocasiam innotuisse, dicentem. Palladius praecipit, non, quemadmodum in Aegypto, ut fabae in paludes demittantur, sed bulbi (unde *colocasia* vel *colocasium* nomen) ut, circa fontes et rivos hortorum positi, tegumentis a frigore defendantur. Columella suadet, ut insulae quoque in nessotrophiis colocasiis, tamaricibus et scirpis ad ripas conserantur, ut anates opaca receptacula habeant. Ex hac diversa culturae ratione plantam Salmasius conjicit diversam, Kulkaas fortasse nostrorum hominum: verum ipse Martialis de scapis colocasiae lanosis, qui fabae tantum palustris erant Aegyptiae sive Nelumbii, plane eadem dicit, quae priores.

Rerum omnium utilium et dulcium sine adjumento hominum origo, greges mansueti et foecundi, ferae innoxiae, vermium et plantarum ve-

*) Curtii Sprengel hist. rei herbariae I p. 147: *Arum Colocasia*, *ecl.* 4, 20.

nenatarum deletio omnibus communia sunt imaginibus, quae felicitatem aliquam sceleris nesciam exprimunt; Horatianae quoque, quae est de insulis Oceani fortunatis Epod. XVI, 49:

Illic injussae veniunt ad mulctra capellae,
Refertque tenta grex amicus ubera;
Nec vespertinus circumgemit ursus ovili,
Neque intumescit alta viperis humus.

Ipsae, sua sponte; nullo custode, quod nullus lupus imminet, *caprae lacte uberes* domum revertuntur; sua sponte *boves* quoque pascunt, tuti a *leonibus* innoxiis. Nam non ad Italiam tantum securitas pertinebit, sed ad omnem orbem Romanum; cf. V, 27. Ita Sibylla in Lactantii VII, 24 cecinit:

Jamque lupi nusquam certant in montibus agnis,
Cum caprisque simul rodunt jam gramnia lynces,
Carnivorusque leo paleam ad praesepia pascit.

Sua sponte *flores* ad cunabula recens nati pueri et a diis amati nascuntur, quemadmodum in Homeri *Il.* XIV, 347 sub Jove et Junone, quum in Ida monte recumberent:

Graminis hos infra peperit nova germina tellus;
Rorans hic lotos, crocus atque erant atque hyacinthus,
Condensus, mollis, qui ab humo tendebat in altum.

Ad *cunabula* alveus adhiberi solebat, foecunditatis signum; clypeus quoque interdum tempore heroico, Callim. *in Jov.* 47. *Serpens* occidet, dicit Virgilius; secundum alios cum feris rapacibus tam innocua fiet, ut infantes cum ea ludant; quoniam, expiata terra, venenatarum herbarum alimenta eam deficient, quemadmodum *Il.* XXII, 93:

Ut montana virum serpens manet ore cavernae,
Pransae cui bilem mala commovere venena.

Infernae, nimirum quod exspectare licebat, religiosis videtur Sibylla minata esse serpenti. *Fallaces* herbae veneni, quae salutari specie legentem alliciunt Lb. II, 152. Alterum *occidet* cave jungas cum *herba veneni*, in quo prius illud nullo negotio intelligitur, sed ad augendam sententiae gravitatem repetitum legatur; quemadmodum in Horatii II Od. 3, 17: *Cedes coëmtis saltibus, et domo villaque —; cedes! Amomum*, condimentum e frutice nunc quidem ignoto III, 89, melius ex Armenia, pejus ex Media et Ponto afferebatur. *Assyriae*, quomodo Arabiae, Mediae, Armeniae, Indiae Lb. II, 116, saepe late patebat nomen et ad omnes sub oriente sole terras v. g. in Lucani VIII, 292 pertinebat; ut arctiore in eo nominis definitione abstinendum sit.

26—36. Ineunte Pollionis exspectati *adolescentia* mundus jam ita quidem lustratus erit, ut sua sponte frumenti, vini et mellis aërii aliquid, sed parum id sufficiente modo, oriatur; quare mercatura, bellum et agricultura adhuc durabit. — *Adolescentiam* poëta tamquam tempus designat *ingenuarum artium* studii, quas veteres sapientiores, sola hominis alitura parum delectati, humanitatem ad augendam ab *ingenuo* requirebant: *poëseos*, *historiae*, *philosophiae*. Singulae quaeque speciose apparent: poësis et historia praeclare facta heroum narrantes et hujus et pristini temporis, philosophia sublimibus sensis animos instruens. Historiae inter exempla juveni ad aemulationem proposita, qui regni *pacifici* sub Saturno heros fore jubetur, Asinii Pollionis ip-

sius parentis *facta* quoque elucent, pacis auctoris. Summi artificii etiam opera hunc his tribus in artibus proditurum esse, tum quidem exspectare, fortasse nondum praedicare licebat Virgilio; v. III, 84, Hoc *parentis* ponderosum tres Hafnienses *B. C. D* habent; *parentum* multo incertius habet *A* et in sequentibus *poterit*. *Virtus*, quae aurea sit aetate digna, perfectissima philosophorum intelligenda est, quae veram ad felicitatem tendentes vires omnes et eruditae mentis et emendati animi complectitur; non tantum bellica fortitudo, quae a ferrea aetate pro virtute habetur. Nunc melior facta natura jam eo pervenit, ut *frumentum*, *vinum*, *mel* sua sponte oriatur, sed minus id foecundum, quam Horatianis in insulis Oceani:

Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
    Et imputata floret usque vinea;
Germinat et numquam fallentis termes olivae,
    Suamque pulla ficus ornat arborem.
Mella cava manant ex ilice: montibus altis
    Levis crepante lympha desilit pede.

Hoc *frumentum* fortuitum *paulatim molli arista flavescet* i. e. singulis annis molliore spica siva aristis minus acriter pungentibus circummunitum maturescet; quoniam in dies contra aves ei innocuas minore defensione opus est, quae defensio post tempus Saturnium demum excutiendi et ventilandi operam auxit, et quam rusticus iste Aesopi suum in damnum deprecatus est. *Flavescere* Cato 151 de hordeo dicit maturescente, quod messis principium est; *flaventia sata* Colum. II, 20 (21), *flaventia culta* Lb. IV, 126. Hafniensis *A* habet *florescet* a prima

manu. Versus dulcedo spondaeis leniter gradientibus expressam imaginem jucundae mollitiae et ubertatis excitat. *Incultos sentes*, pro pampinis, qui prius erant, silvestribus, vitis tum sata ambiet cum *uvis* maturescentibus *purpureis*, quas inter primarias Virgilius Lb. II, 95 recenset. *Mel* quoque, quod *ros* aetherius ex opinione veterum gentium odoribus terrestribus et ab apibus colligentibus corruptus erat Lb. IV, 1, intregrum tum et uber, ex rimis *sudans* de *quercubus* profluet, quarum in foliis etiam ferrea aetate integerrimum inveniebatur Lb. I, 131. Ita Ovidius de Saturno, qui adhuc metalla in intima terra recondebat, cecinit *Amor.* III, 8, 39:

At meliora dabat; curvo sine vomere fruges,
Pomaque et in quercu mella reperta cava.

Ad hanc orginem opiniones ab ingeniosa antiquitate crebro repetitae referendae sunt, quod vel in Bacchanalibus, quibus politioris humanitatis principia significabantur, vel poëtarum effervescentibus elatione animis, quum natura et honestas summa dignitate iis appareret, ex percussis rupibus et truncis arborum vinum, lac et mel exiret, et per felices campos rivis manaret III, 89.

Sed, quamvis appropinquantibus deliciis, quoniam nondum ex omni labe pristinae perniciei tellus plane convaluit, ad mercaturam maritimam, bellum et agriculturam etiam nunc homines vel necessitate vel animi sui impotentia coguntur. — *Fraus*, dolus malus, incommodum, damnum. Mare periculosum, quippe quod Nereus, *Thetis* aliique dii irati custodiant, fragili *rate*, quod navis contemtim

dicitur, *tentare* sive Lb. II, 503 remis sollicitare, audacia poëtis petulantis insaniae est; Horatius I Od. 3, 21:

Nequidquam deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiae
Non tangenda rates transiliunt vada.

Thetin, Graeca positione ex Servio et pluribus libris scriptis. Utrumque dicitur, *telluri infindere sulcos*, in tellurem sulcos deprimere, et *tellurem infindere sulcis*, expressis sulcis tellurum notare IX, 20; tamen scriba hoc magis in illud transformaverit. Quare equidem *tellurem infindere sulco*, quod Romani libri est, praefero, quum audacius dictum sit, quumque *sulcis*, Vaticani libri, post duos versus in *is* exeuntes locum habere non possit; *tellurem* ut legamus, suadet quoque *tellure* semel corruptum. Tum hereicae subolis nobilissimi juvenes *navigationes* et *bella* aeque carminibus celebranda conficient, atque *Argonautae* et qui *Trojam* olim *expugnabant*. In Hesiodi Lb. 155 tempore *heroico* ex aenea aetate ad ferream gradus factus est, ex auctumno anni mundani ad hiemem: nunc mundus a ferrea hieme per eamdem turbulentam tempestatem ad aureum ver redibit. *Tiphys*, vir Boeotus et maris peritus, gubernabat *Argo*, primam navem longam Graecorum, qua Jason, juvenis princeps Thessalorum, cum quinquaginta fere *delectis heroibus* vellus aureum petebat, et prodigioso itinere Colchida, tum orbis terrarum terminum, adibat. Theocritus XIII, 16:

Verum auri vellus navi quum vellet Iason
Aesonides petere, et proceres conscriberet, omnes
Urbibus eliciens fortes, quorum indiget usus:
Tunc Jaolcon adisti opulentam claviger heros.

Haec Argonautarum navigatio, quum *expeditionibus militaribus* opponatur, speculatorii hoc loco instar itineris habenda est, quod ad longinquas terras ad novas vias mercaturae aperiendas suscipitur. *Achilles*, Peleo ex Nympha Thetide natus, per Homerum tamquam fortissimus Graecorum ducum, qui Trojam oppugnabant, celeber est. Similem juvenem heroa respublica nunc *mittet* Romana contra externos hostes. Inter hos imprimis quidem formidandi Parthi solis orientis habendi sunt: at enim in ipsa adolescentia tum temporis ne nati quidem Pollionis filii facinora heroum efflorescentium, Argonautarum navigatio et bellum Trojanum, futura esse dicuntur; quare Achillis missionem de instante contra Parthos Antonii profectione temporum ratione interpretari vetamur.

37—45. Sed *virilem aetatem* exspectatus Pollionis filius quum primum attigerit, tum omnia sua sponte ubique crescent, eaque ubertate, ut non modo bellum, sed ne navigatio quidem et mercatura maritima sit. Nullius nec opera nec artificio ager, vinea et greges optimum fructum ferent. — *Vector*, quod Servius docet, hic dicitur tam is, *qui vehitur*, quam *qui vehit*, et mercator et nauta; quamadmodum in Lucani IV, 133 quicumque in navigio est; tamen mercator magis, navigationem comitans, ita dici solet. Ex judicio micantis prima luce humanitatis viri aureae aetatis et camporum Elysiorum diis

amati vitam nulla nec opera neque labore degebant, fructibus nutriti incultae terrae et rivis, qui circum erant, lactis, vini, mellis, olei plenis. Hesiodus post illam aureae aetatis imaginem, quam ad v. 15 dedimus, ita pergit Lb. 117:

— — — — Omnia pulchra
His aderant, fructusque tulit terra alma quotannis
Sponte sua large multos, placidaque quiete
Tranquilli vixere homines opibusque referti.

Ita Pindarus cecinit *Ol.* II, 109, quomodo infra in campis Elysiis eodem sole et nocturno et diurno pii Manes collustrati otiosa vita fruantur:

Nec tellure manu gravi
Mota, nec pelago per tenuem cibum.

Georgius Forster narrat, vel Otaheiti insulae fortunatum incolam meliorem panem in suis Elysiis somniare, qui ne communi quidem et levi cultura egeat, sed quo de arbore decerpto illico vesci liceat. Etiam inter pravos factos homines, opinio erat, justos quidem populos umbra aliqua antiquae illius foecunditatis gaudere; quemadmodum regem illum in Odysseae XIX, 109; qui

— — — — probus cultorque deorum
Imperat, et validam gentem multamque gubernans
Fallere justitiam nescit; fert hordea terra
Triticiam et segetem regi, pomis gravis arbor,
Grex habet assidue foetus, pisces parit aequor
Imperium ob prudens, populi florentque sub illo.

Et in Hesiodi Lb. 225:

Justitiam tribuunt rectam si qui populari
Et peregrino homini, nusquam cedunt et ab aequo
Urbs sua his floret, florent cives et in illa
Pax et adest patriae felix, nec Jupiter umquam

Lugubris regno portendit funera belli;
Inceditque fames numquam cum jura colente
Nec damnum; festis gaudent hominesque diebus.
His multum tellus fert victum, in montibus altis
Quercus apes media, glandes habet arbore summa:
Lanigerique greges palantur vellere onusti:
Progeniem similem partu edit foemina patri,
Constanterque bonis florent, nec navibus umquam
Itque reditque genus, fruges tellus habet alma.

Rastrum erat ad discutiendas glebas, ad runcandas sarriendasque segetes, quae in distinctis versibus sulcorum satae erant Lb. I, 94. 155; ***falx*** ad vites putandas Ecl. II, 70, nunc autem, quum inutiles palmites non amplius emittant, ne putatione quidem egentes. Etiam tenax argilla, quae prius ingentes glebas subigendas praebebat, et validos ***tauros*** ad arandum (nam vaccis levior terra arabatur) et ***robustum aratorem*** requirebat Lb. II, 236, nulla post cultura fructus feret. Hafn. *C* habet hanc pedestrem compositionem verborum: ***Non patietur humus rastros*** et ***falces***; ***B robustis***. At in ipso ***tauris*** etiam roboris vis inest; sed ***robustus arator*** celsum rusticum pingit, qui aratro fortiter incumbit III, 42.

Molles quoque Graecae ***oves***, meliores meliore pabulo factae, nativos suos colores, fuscum, flavum et rutilum Lb. III, 386, sua sponte ardentibus, quibus ars inficere solebat, purpurae, croci, cocci mutabunt coloribus, qui laudatissimi erant in antiquitate. — Pretiosa ***pelagia***, ***purpura*** sive ***ostrum***, multas ad oras maris mediterranei, etiam ad Oceanum Gaetulum, sed maxime nitens Tyri fiebat, ex liquore, qui in candida vena intra fauces plurium concharum,

conchyliorum, erat, *purpurae* et *buccinae* nempe, quae erant rotundo foramine et longo rostro, et *muricis*, ampliore foramine, nullo rostro. Coelo et temperamento plura genera purpurae erant, nigra et pallida violacea, coerulea, sanguinei coloris et ruboris integerrimi leniterque sublucentis *). Nepote Cornelio juvene purpura violacea inter Romanos vigebat, nec multo post rubra Tarentina, quamquam violacea quoque ejusdem urbis ab Horatio **) laudatur; post bis tincta Tyria, *dibapha* ***), cujus summa laus, Plinio auctore (IX, 38 s. 62), in colore sanguinis concreti erat, nigricantis aspectu ejusdemque suspectu refulgentis. *Lutum*, *luteum*, *herba lutea* Romanorum, *Waude* vel *Gilbkraut* a nostratibus: *Gaude* a Gallis, *Dyers-weed* vel *Woold* ab Anglis nominata, *Reseda luteola L.*, planta et silvestris et sativa est, quae longas spicas florum pallide flavescentium habet; arida cum flavis factis foliis saturum colorem citreum efficit, durantis constantiae, eademque, coeruleo colore temperata, colorem viridem efficit acriter lucentem. *Lutum* (*gelbe Waude*) ne cum *vitro*, *glasto*, *ισατις* (*blaufärbender Waid*), *Pastel*, *Guede* et *Wood* apud exteros, *Isatis tinctoria* Linnaei, commutetur: quae planta, contrita et ad globos coacta, colorem fermentata relinquit coeruleum, splendore aetherium provocantem. *Sandycem* sive, quod multi, etiam

---

*) Plin. *h. n.* IX, 36 s. 60—61. coll. 25, s. 41.

**) *Epist.* II, 1, 207.

***) Plin. IX, 39 s. 63.

tres Hafnienses, legunt, *Sandicem* Plinius *) rubrum colorem esse docet ex metallis excoctum, et quidem ex adulterina sandaracha sive cerussa in fornace cocta, minio nostro (nam sandaracha effossa rubrum arsenicum erat), et *rubrica* (*Bergroth*) compositum; alii ipsum minium id esse dicunt. Verum artificio isti mixto, verisimile est, propter coloris tantum similitudinem rei cujusdam simplicioris et nativae nomen inditum esse; non minus, quam mixto electri metallo nomen electri pridem cogniti, cujus flavos gradus coquendo imitabantur, et cinnabari sanguinis draconis nomen **) κιννάβαρι X, 27. Nam, Hesychio, qui suum auctorem nominat, teste, *sandyx* frutex *flore* appellabatur *coccineo*. Planta quoque Libycus esse videtur sandyx, quo Gratius *cyneg.* 86 pinnas formidinis tingere praecipit; nam ad id colore ex succo expresso opus sit; planta quoque fuisse videtur multo efficacior sandyx Indicus, quo pallium Vopiscus purpureum infectum esse putabat, quod Aureliano ex Persia missum est, tam divino splendore, ut Romana purpura cinerei ad id coloris esse videretur. In Hafn. *C vestiget* male scriptum est. Usitato et proprio pictorum vocabulo, quemadmodum colores antea *violaceum* et *croceum*, qui fortunatis in arvis arietem ornent, ita nunc *ardentem* poëta *ruborem sandycis* designat, quem *pascentes* a meliore facta *pastione* agni nanciscentur; non ita tamen, ut, qua in re Plinius (XXXV, 23)

*) Plin. XXXV, 22.

**) Plin. XXXIII, 38.

erravit, agni propterea planta aliqua sandycis frui debeant; non magis, quam luto arietes, aut, quod plane ridiculum sit, concha purpurae. Commodum erat Romano, quod laetissimi ejus colores nativis lanae coloribus propinqui erant; Mahometanum aliquem sacer color viridis ad ineptam fictionem coëgisset. Accedebat huc, ut hac cum laetitia apte simul significaretur, quod purpureo aureove colore aspersus aries vel ovis felicitatem ex Thuscis vaticinationibus et durantem gloriam portenderet *).

46—47. Tam felicia tempora referte, fusi currentes! cecinerunt deae fatorum praesides, dum tibi, fili Pollionis, mortale filum nere incipiebant. Pedestri oratione: Talia tempora videbis. — *Talia saecla currite*, haec saecula volvamini; pro eo, quod dicendum erat, acti fusi referte haec saecula, aut tritiore Catulli *currite ducentes*: nota figura poëtica, qualis IX, 52. Lb. II, 295 et Aen. I, 26 *sic volvere Parcas*. *Parcae* sive *Μοῖραι* tres sorores erant Clotho, Lachesis, Atropos, quae hominibus, priusquam nascerentur, instantia fata vaticinantes, mortale filum ordiebantur et nebant, et supremo die dissecabant. Fieri non poterat, quin una cum fatis, quae nascentibus imminerent, fata aliquando edicerentur universarum urbium et regnorum, quemadmodum in Horatii carmine saeculari v. 25 et in Aeneidis I, 26. In Catulli LXIV ipsis in nuptiis Pelei et Thetidis fata Achillis, exspectati filii, hoc versu 328 iterato canunt sorores:

---

*) Ascens. ad h. l. Macrob. *Sat.* III, 7.

Currite, ducentes subtemina; currite, fusi!

Et dictionis audacia et compositione verborum distorta spiritus noster poëta imitatus est benedicentium dearum ardentes. Loci hujusmodi concordis requirunt spirantem eloquutionem, qui ardoris exsultationem, supra sedatae orationis incessum, quaque in lingua non nimis impedita persequi sciat. Versum *Concordes* . . . Virgilius petebat, gravitatem ei adjiciens *fatorum* adjecto pondere, ab suo et Pollionis juvene amico Gallo VI, 74, cujus in Ciri versus 125 hic est:

Concordes stabili firmarunt numine Parcae.

48—49. Poëta, aureae aetatis plena felicitate Pollionis filium virum factum quum animo conspiciat, compellat eum, ut *amplissima quaeque* civitatis *munera*, quo ordine per annos liceat, ad regnum usque consulatus v. 17. deinceps *aggrediatur*. Quaestor esse debebat annorum XXVII, tribunus plebis XXX, aedilis curulis XXXVII, praetor XL, consul XLIII. *Cara* dicitur, id est beneficiis ornatissima *deum suboles;* quippe cujus meliorem animum, ut primitiae esset aureae hominum gentis, liquidissimo de aethere dii desumtum demisissent v. 7. Quodsi Pomponii recte se haberet opinio, v. 10, quod Polliones de Apolline, gentis auctore, gloriati sint; etiam spissior esset appellatio. *Suboles* vetustum pro *soboles*, quod perperam scribitur, res est, qua augemur. Primus fons verbi est *olere* pervetustum, id est *creare*, *crescere* et dicendi consuetudine *odorem spargere;* nam omnia verba activa, quotquot sensuum et cogitationum sunt, primum

fingendi vim habent, quod alio loco videbimus. *Magnum Jovis incrementum*, tu, qui Jovis sub tutela optime effloresces; quippe primitiae aliquae et princeps futurus. Nam Jovi initia et summi honores sacri erant: inde factum est, ut togam virilem tirocinio juvenes Romani in templo Jovis Capitolini sumerent; inde, ut Graeci cantum saepe a Jove ordirentur III, 60; inde, ut διοτρεφεις et διογενεις, a Jove nati et educati, principes dicerentur. Tarditas exitus, quo versus in verbum *incrementum*, per duplicem spondaeum auguste incedens, cadit, speciosae majestatis significationem habet. Quicumque veteribus exprobrat, quod gravia verba, qualia Διος et Jovis, syllabis duabus brevibus saltent, is obliviscitur, non in illis, quod in nobis, *temporum moras* et *sonorum ictus* conjunctos fuisse; quamvis breviore in mora, vel acriore sono, quod in arte musica est, vel repercutiente verborum potestate syllabam aliquam eximiam esse potuisse. Hunc quoque versum ex Ciri Virgilius correctum sumebat, v. 398, *Cara Jovis suboles, m. J. i.*

50—52. Magnum annum dum astra conficiunt, prae felicitate, quae appropinquans numine suo omnia convertit, rerum universitas ingens trepidat. — Quantam imaginem! Ita Olympum in Homeri libris approbans patris deorum nutus tremefacit; ita juga montium, undae marium prae diis advenientibus saltant; ita, quum Plutonis potestas ad reditum Eurydicen corriperet, fragore Orcus concussus est; et ad ipsos cantus altiores spiritus saepe cacumina silva commovet. Eadem sublimitate de pacta redemtione Klopstockius cecinit:

— — — — Aeterni ut verba serebant,
Religioso contremuerunt omnia motu.
Fiebant quae animae, necdum sentire valentes,
Tum primum trepidae senserunt. Horror et ingens
Seraphum prendit. — — —

Mundus v. 9, ex communi doctrina philosophicae disciplinae, coelum globosum erat et cum sideribus ordine collocatis se convertens, intra quod stellae errantes circae globum terrestrem, qui umbilicus esset, diversis orbibus et certis intervallis circumferrentur *). Poëtae autem, nisi doctam coeli notitiam ex instituto traderent, crassiorem antiquitatis opinionem vel omnino vel aliquam partem retinebant: coelum, tamquam *ponderosam quamdam compagem*, sustentatam columnis montium, quorum celeberrimum Atlantem esse, ad oram orbis terrarum, parum supra mare elati et ab Oceano circumfusi, desuper inclinari. Relinquebantur igitur, sicut est apud Homerum et Hesiodum, coarctati mundi partes primariae: *terrae* istius orbis v. 17. III, 61 cum medio *mari* undique concluso, quod mediterraneum dicimus, supraque *coelum* erat *profundum*, sive spatia ab opinata coeli compage terminata, nempe aether cum affixis ei sideribus, quae ad terrarum oram Oceano merguntur, terminans, et aër nubium ab eo terminatus. Haec *omnia* prae *voluptate* trepidant, dum primum *saeculum* aureae renovationis incipit. *Nutare*, nutu significare, saepe de rebus leniter commotis dicitur. Catullus LXIV, 291 *nutantem platanum* habet,

*) Plin. h. n. II a princip. Macrob. in somn. Scip. Cicero *Timaeus* 6 ss.

sive platanum leniter commotam; Calpurnius II, 77 fiscellas describit, in quibus casei fiebant, *nutanti lacte*, in quibus lac coactum tremit; et I, 79 *nutat sidus*, sidus trepidat, splendore micans, quod saepius *coruscat* dicitur; quare *nutantia sidera* in Ciri v. 218 nulla correctione egent, et Aen. IX, 733 *clipeoque micantia fulmina nutant* ex libris scriptis recipiendum est. Hafn. *C.* magis ad pedestrem orationem ita habet: *Aspice nutantem convexo pondere mundum*, quae compositio verborum, fieri non potest, quin multis nostratium *sincerior* videatur. Proximo versui, quem Graece poëta mensus est, dum prius *que* elevatione et *tr* sequente producit, quemque iteravit Virgilius Lb. IV, 222, vario modo imperiti scribae mederi volebant: Hafniensis *A: Et terras tractusque* suppeditabat. Non dubium est, quin *laedantur* nobilius poëta scripserit, quod Romano in libro Pierius reperit: quale V, 7 *adspice, ut sparsit;* Lb. I, 57 *nonne vides, ut mittit;* Lb. III, 250—253 *ut pertentat, retardant.* Loci vero, in quibus *ut* omissum est, quod genus II, 66. VIII, 105, parum huc referendi sunt.

53—59. Hujus beatitudinis cumulum utinam mihi videre liceat, et senilis animus utinam tantum vigoris retineat, quantum ad facta tua celebranda sufficiat! Propositae rei amplitudine ad fervorem animi elatus ego deos et a diis natos cantus certamine post me relinquerem! — Poëta, qui nunc quidem tricesimum aetatis annum agebat, septuagesimo quarto demum infantem Pollionem consulem factum videre poterat. Ita summam senectutem expetit,

sed ad eam mentis sanitatem, qualem Horatius I Od. 31, 17:

Frui paratis et valido mihi,
Latoe, dones, et, precor, integra
Cum mente; nec turpem senectam
Degere, nec cithara carentem.

Spiritus, *quanta ejus pars* sufficiet ad *facta* exspectati filii celebranda; non modo bellica heroici juvenis v. 35, verum et magis etiam pacis artes, quibus, virili aetate amplissimis honoribus fungens, pacatam rempublicam laetificabit. Poëtice dictum, scribae erant, qui ad pedestrem sermonem deprimerent, vel *tam longe* rel *tum longae* scribentes; quae magis etiam temerarii scribentes *tum longe* miscebant; fuisse quoque videntur, qui *spiritus* de altero casu, ubi *us* producitur, intelligerent. *Spiritus*, anima, vigor, animus cum fortitudine conjunctus.

Nemo clarissimorum vatum, qui tempore heroico, quod instat v. 34, a diis nati sunt, neque *Orpheus* aliquis, nec Linus, tum vincet me, cui facta tua pluris erunt, quam Musae alicujus vel Apollinis divinus afflatus. — Superbe dictum modestia temperavit. *Orpheus* Lb. IV, 454 ex Oeagro, fluvio Thraciae, et horoica Musa *Calliope*, vel, Graeca positione *Calliopea*, natus erat. *Linus*, hoc nomine alter, ex tritissima fabula filius *Apollinis* et *Terpsichores* Musae, Thebis aeque atque prior iste VI, 67 carmina bucolica panxerat, et Orpheum, Thamyran docuerat et Herculem juvenem, qui, ob errores suos derisus, lyra eum cecidit: eidem, quod

in reliquis quoque vatibus antiquitatis factum est, seriore fraude versus de deorum hominumque origine tributi sunt. *Apollo*, deus arti praefectus sagitta feriendi, vaticinandi et musicae, etiam antequam cum Sole permisceretur, quippe qui salutem et perniciem dispertiret, sempiterna juventute et *formositate* et intonsis capillis fingebatur. Lengnichii liber habet *vincent*, cogitate et lente dictum. Idem liber et duo Hafnienses *B. C Orphi*, tamquam ex *Orphes*, quod Priscianus approbat, refragante Phoca, qui *Orphei* mavult.

Ipse *Pan*, qui tum non minus, quam quod in fabulis est, praesens inter nostros aderit v. 15, carmine mecum certans coram peritissimis brabeutis causa cadet. — Quodsi singuli populi, quod sibi Xenophanes observasse videtur, deos suos patriis moribus et virtutibus instructos fingunt; Panem, par fuit, quum montuosae patriae pastorum Arcadiae II, 32 praeesset, hujus Arcadiae pastorum in artibus, *cantu* et fistula VII, 4. summum locum occupare. Quare Thyrsis quoque Theocriti I, 3 non habet, quo magis amicum laudet, quam:

— — — Post tu Pana feres facile alterum honorem;
Cornigerum malit si caprum, sume capellam.

Poëta, quod in principio simulaverat, bucolici simulatione in exitu usus est; et quanto in concentu versus, qui et in numeris et in concinna pedum aequabilitate cernitur! *Pan deus Arcadia mecum* —, quod Servius legit, habet quidem Pierii quoque liber, Donatus quoque ad Terentii Hec. II, 2, 13 et Ascensius, uterque hic cum *Arcadiae*, post etiam Pulmannus, alii; sed sine dubio ex X, 26 manavit.

Nam plures veterum, quos Heinsius laudat, etiam Probus, *Pan etiam Arcadia* tuentur, quod ipsum Macrobius *Sat.* V, 14 tamquam amoenae repetitionis exemplum proposuit. Macrobius reperiebat quoque *dicet*, quod, magis spirans, pluribus idem libris scriptis, etiam Lengnichiano, et Ascensii editione defenditur: eodem modo VI, 9 post addubitans *si legat, canet* est, quod audacter affirmat; Aen. I. 373 *si pergam, componet;* VI, 883 *si rumpas, eris;* XII, 233 *si congrediamur, habemus.*

60—73. Feliciter utinam nascaris, puer! ornatusque sis heroica corporis animique praestantia! — Hoc optatum, quod longam ῥῆσιν pictorum locorum communium offerebat, poëta facetus, dum ex Pindari praecepto (*Pyth.* I, 157) *de multis summa tantum ad brevitatem astringit*, pressa et grata similitudine quasi ludere sinit: Mater ridens puerum contempletur, et heroicus deorum filius illico monstret, arridentem a se matrem jam agnosci. *Risus matris* declarat, Lucinae beneficio facile eam enixam esse, pulchro vegetoque puero delectatam; *matura notitia lactentis filii*, qui oscula matris, quasi ad *diuturnas molestias* compensandas pueriliter blandiente *risu excipit* (nam quod aliud signum esse potest *notitiae?*) eximium animum indicat, qualis in heroicum principem aureae aetatis cadit. Non minus eximie Theocritus XXIV, 23 fingit: ipso decimo mense Iphiclem, patre heroë natum, prae advenientibus serpentibus *intelligente* metu exclamasse; verum Herculem juvenem *aeque intelligentem* et *sine timore*, quippe Jovis filium, compressisse eas, prae voluptate

gestientem Amphitruoni monstrasse, risuque eas ad ejus pedes conjecisse. De communi hominum indole Plinius commoto animo observavit, naturam infanti a vagitu et ploratu vitam auspicanti ne praecocem quidem risum ante quadragesimum diem concessisse (*h. n.* VII, 1); verum Zoroastrem *futurae scientiae praesagio eodem die, quo genitus erat, risisse* (ib. 15). Quare *risu* ridentis matris est, et *cognoscere* mutum risum infantis designat. Omnino dubito, an *risu cognoscere matrem* aliud quid esse possit, nisi, *ridentem matrem cognoscere;* quale est *cognoscere signis* Lb. I, 394. Quodsi infans *ridens* matrem cognovisset, Virgilio sive *cum risu agnoscere* sive *ridens*, *ridendo agnoscere* dicendum erat; quippe quoniam risus ejus non subsidium esset, *quo adhibito* cognovisset; quale est Aen. IX. 245 *venatu cognovimus amnem* et Claud. XXXIII, 158 *cognoscere risu*. *Ridentem matrem* praeter Pomponium, sive, quo alio nomine dicitur, Julium Sabinum, etiam Ruaeus, qui Erythraeum et Bembum laudat, item Ascensius, sed dubitans, et Martynus intellexerunt; praeterea Fontanius (des Fontaines) abbas, et Diego Lopez Hispanus; eamdem interpretationem *cui non risere parentes*, quod sequitur, requirit. Horrendae plena est Klopstockii imitatio elegantiae Od. II p. 204:

Tisyphonchen, beginn an dem Lächeln die Mutter zu kennen,
Am sardonischen!
Infans Tisiphone, risu cognoscere matrem
Incipe Sardoo!

Decem menses pleno numero, hic quidem rem augente. Quodsi circuitum lunae circa terram, qui XXVII dierum et paene octo horarum est, intelligere liceret (*mensem lunarem periodicum*): ejusmodi decem menses lunares quadraginta hebdomadibus graviditatis complebantur. Verum Romani in hac re tempus computabant ab interlunio ad interlunium, quum luna post XXIX dies et paene tredecim horas in coitum prodeuntis solis redit (*mensem lunarem synodicum*): quare partus, si accurate dicas, intra decimum mensem lunarem fiebat. *Tulerunt*, modo afferebant, veteres Grammatici et libri scripti agnoscunt. Nostri homines, qui parum sciebant, mediam syllabam antiqua pronuntiatione corripi posse, quod genus *steteruntque comae* Aen. II, 774 et Terentii in Eun. *prol.* 20 *emerunt* in exitu senarii jambici, *tulerint* vel *tulerant* mutabant, Hafnienses quoque.

Age dum, puer! ridenti matri ut intelligente risu respondeas! Nam certum est, propitia dea propitioque deo natum, id est, felicem fortemque natum, laeto te risu a parentibus salutatum iri! — Poëtice id conversum: Tantum ei puero, quem ad partum vocati dii neglexerunt, a parentibus non arrisum est. Nobilibus pueris editis, Philargyrius et Servius, quibus in his rebus recte fides habetur, auctores sunt, in *atrio*, quod sacrarium esset privatum, praeter *lectum Junoni Lucinae*, quae partubus praeesset, stratum, *Herculi* quoque, deo fortitudinis, *mensam* positam esse: nimirum qui infantem, quemadmodum Horatii Melpomene nascentem poëtam, masculae vir-

tuti initiaret. Cui parentes igitur non arridebant, cum neque in auxilium vocatus *deus*, ut ad positam *mensam*, nec *dea*, ut ad *stratum lectum* appropinquaret, dignata est. Alius, dicamne tritioris an antiquioris an regione et arbitrio variati, ritus Varro (*fr.* p. 244) apud Nonium*) et Servium (*Aen.* IX, 4. X, 76) mentionem facit. Natus, si erat vitalis ac sublatus ab obstetrice, statuebatur in terra, ut auspicaretur rectus esse, aut, quod Macrobius (*Sat.* I, 12) mavult, ut Ops Dea, Bona Dea, Fauna sive Fatua vocem infanti tribueret, et in atrio, ubi tela et torus conjugalis erat, diis fratribus antiquae et rusticae Romae conjugalibus *Pilumno* et *Picumno* lectus sternebatur; cibis nimirum appositis, sicuti in aliis lectis diis stratis (*lectisterniis*) fiebat. Pilumnus, quod Piso addit, clava sua, *pilo*, qua frumentum conficere docebat, mala infantiae pellere debebat; Picumnus autem, qui Sterquilinii nomine stercorandorum agrorum usum invenit, infantem tutela sua auxit: unde factum est, ut simul uterque laudabilium facinorum deus esse crederetur, et Castorem et Pollucem eos esse interpretarentur. *Juno Lucina*, fieri non potest, quin, ejus auxilio quum omnino opus esset, lecto in ejus honorem strato, in ipso puerperii principio advocata sit. Proclus apud Donatum**) lectos, qui diis Eduliae, Poticae et Cubae strati fuerint, intelligendos esse putabat; quae tamen deae, Varrone auctore (*fr.* p. 319), quum a

*) s. v. *Pilumnus*, *Picumnus*.

**) ad Terent. Phorm. I. 1, 13.

lacte et cunis puer translatus esset, et edendi et potandi et cubandi demum ei facultatem dederunt. Lepida est Rumei interpretatio: Cui parentes non arrisere, is vitae divinae, qualis v. 15 praedicitur, non particeps erit; is numquam, alter Hercules factus, neque a deo, nempe Jove, mensae adhibebitur, neque cum dea cubitum discedet. Ut vera sit, requirebatur saltem pro *dignata est*, quod ejusdem, cujus *risere*, temporis est, *dignatur* pro *dignabitur*. Imprimis vero mos ille, secundum quem, partu edito, initianti deo mensa, deae partuum praesidi lectus ponebatur, argumentis addubitandus esset; quoniam alias sincerior ista interpretatio anteit. Tantum propter Quintilianum auctorem IX, 3, 8 p. 154 ed. Bip. commemorabimus, alios *qui*, ita interpretantes, legere: *Ex illis, qui non risere, hunc non dignatus deus, nec dea dignata.* Etiamsi *qui non risere, ex illis hunc*, dictionem scabram, mittamus: trium constructionum optio datur, ut *Qui parentes*, inepte dictum; vel *qui pueri* componamus, relicto *parentes* ad inopinatam alloquutionem; vel *qui non risere parentes*, qui parentes suos non derisere sive *ridendo contemsere*: nam *ridendo blanditi sunt* requirebat vel *ad parentes* vel *parentibus*. *Parenti* pro *matri* legisse potuit. Sane. At ubivis *hunc* ad exspectatum puerum respiceret; quae causa erat, cur *hunc* solum dii spernerent? quidni *hos*? Mutato *parenti* et *hos* Schraderus magno viro opitulari vult; sed tum figura disperiit, quae hoc exemplo allato probanda erat. Apparet, in Quintiliani exemplo *quoi* vetustum, pro

quo ipsius aetate I, 7, 27 p. 59 *cui* scribi coeptum est, *qui* posito corruptum fuisse; eoque facilius, quum *quoi* saepe nullo *u* scriberetur. Hoc *quoi* Pierius in veteribus libris scriptis reperit, in reliquis omnibus constanter *cui* scriptum. Hafn. *B in mensa* habet vitiose scriptum.

ECLOGA QUINTA.

DAPHNIS.

Menalcas. Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus,
Hic corulis mixtas inter considimus ulmos?
Mopsus. Tu major; tibi me est aequum parere, Menalca:
Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras,
Sive antro potius succedimus. Adspice, ut antrum
Silvestris raris sparsit labrusca racemis.
Me. Montibus in nostris solus tibi certat Amyntas.
Mo. Quid, si idem certet Phoebum superare canendo!
Me. Incipe, Mopse, prior: si quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri:
Incipe; pascentes servabit Tityrus haedos.
Mo. Immo haec, in viridi nuper quae cortice fagi
Carmina descripsi, et modulans alterna notavi,
Experiar. Tu deinde jubeto certet Amyntas!
Me. Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,

Puniceis humilis quantum saliunca rosetis:
Judicio nostro tantum tibi cedit Amyntas!
Mo. Sed tu desine plura, puer; successimus antro.

Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnin
Flebant; vos, coruli, testes, et flumina, Nymphis:
Quum, complexa sui corpus miserabile gnati,
Atque deos atque astra vocat crudelia mater.
Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri silvaeque loquuntur.
Daphnis et Armenias curru subjungere tigres
Instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.
Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:
Tu decus omne tuis! Postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.
Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium et steriles nascuntur avenae.
Pro molli viola, pro purpurea narcisso,
Carduus et spinis surgit paliurus acutis.
Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
Pastores; mandat fieri sibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:

„Daphnis ego in silvis, hinc usque ad sidera notus,
„Formosi pecoris custos formosior ipse.“

Me. Tale tuum nobis carmen, divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum aequiperas, sed voce magistrum.
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen haec quocumque modo tibi nostra vicissim
Dicemus, Daphninque tuum tollemus ad astra.
Daphnin ad astra feremus; amavit nos quoque Daphnis.
Mo. An quidquam nobis tali sit munere majus?
Et puer ipse fuit cantari dignus, et ista
Jampridem Stimicon laudavit carmina nobis.
Me. Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas,
Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.
Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur; amat bonus otia Daphnis.
Ipsi laetitia voces ad sidera jactant
Intonsi montes, ipsae jam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta: deus, deus ille, Menalca!
Sis bonus o felixque tuis! en, quatuor aras:

Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.
Pocula bina novo spumantia lacte quotannis,
Craterasque duo statuam tibi pinguis olivi;
Et multo in primis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra,
Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.
Cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon,
Saltantes Satyros imitabitur Alphesiboeus.
Haec tibi semper erunt, et quum solemnia vota
Reddemus Nymphis, et quum lustrabimus agros.
Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae:
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis
Agricolae facient; damnabis tu quoque votis.
Mo. Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis sibilus austri,
Nec percussa juvant fluctu tam litora, nec quae
Saxosas inter decurrunt flumina valles.
Me. Hac te nos fragili donabimus ante cicuta,
Haec nos, Formosum Corydon ardebat Alexin:
Haec eadem docuit: Cujum pecus? an Meliboei?
Mo. At tu sume pedum, quod me quum saepe rogaret,
Non tulit Antigenes; et erat tum dignus amari:
Formosum paribus nodis atque aere, Menalca.

ECLOGA V. EXPLICATA.

ARGUMENTI NARRATIO.

AB U. C. DCCXIII.

L. Antonio P. Servilio Vatia Isaurico II. Coss.

HIEMIS TEMPORE.

Virgilius annum agens 28—29.

Mopsus et Menalcas, pastor caprarum uterque v. 12, quum aestate in pascuis saltuum sibi obviam fiant, Mopsus, minor natu et fistulae peritissimus, a Menalca, eximie canente, ad cantus alternos amice provocatur. Quo facto ille canit, Daphnis quomodo obierit, hic, quomodo inter Deos relatus fuerit.

Interpretes dubitant, quis Daphnis sit: istene fabulae pastorum Siciliae juvenis formosus, cujus obitum in primo idyllio Theocritus queritur: an pastor ad poëticam picturam poëtae ad arbitrium ementitus; aut, quod potissimum videatur, an verus nuperque mortuus poëtae amicus, cujus verum nomen sub pastoritio nomine de industria is occultaverit.

Sed Daphnis Siculus, licet multiplices causas dolorum ad commovendos animos vel adventicio ornatu vel necessario haberet, quum non ullo tamen

peculiari lineamento insignis factus sit, etiam prius relinquendus erat, quam Daphnis ille ad arbitrium inventus. Nec dubium est, quin Daphnis v. 50—52 amicus nuper mortuus musicorum silvestrium sit; ex quibus Menalcas v. 85—87 ipsum Virgilium, quemadmodum IX, 10, tamquam poëtam Alexidis et Palaemonis laudat. Quare post tertiam Eclogam vel ipso anno DCCXII, certe ante primam, quae auctumni est anni DCCXIII, scripta est; quoniam prima, nisi ita esset, propter argumentum suum nullo modo praeteriri potuerit; nemine refragante, ante nonam aestatis anni DCCXIV scripta est, quae v. 18—20 ad hanc, tamquam ad consolationem infelicis Mantuae, respicit.

At cujus obitus poëtam in illa tempestate ad tam sublimen descriptionem communis moestitiae commoverit? cujusnam cultus divinus ad jubila haec laetitiae cujusdam non minus communis? De Julio Caesare dictatore omnia consentiunt, qui, anno DCCX occisus, in ipso principio anni DCCXII a conjunctis triumviris inter Deos relatus est.

Nam bellum Mutinense, quod post caedem Julii Caesaris Virgilii patriam vastabat, et cruentum triumvirorum foedus et opinio, quae de infinitis belli terroribus ad potestatem vel occupandam vel participandam erat, etiam libertatis amantem, qualem in Aeneide Virgilius animum Catonis laude, contemtione Catilinae exhibuit, tristi recordatione et meliorum temporum, quum Julius Gallias et Illyricum praeclare administraret, et magnarum virtutum et consiliorum viri, nisi amplius respublica esset, imperio tam digni

implere poterat. Ne tamen nec cives neque imperii vindices aperta vituperatione offenderet, desiderium pacis poëta rusticus allegorice dicens carmine pastoritio occultavit; cujus tenue filum non plura, quam par esset, sed hominibus illius aetatis perspicua, perlucere sineret.

In principio quidem anni DCCXIII hanc eclogam Asinii Pollionis consilio scriptam esse verisimile est, quum post pugnam Philippensem, ut promissos agros inter victrices legiones dispertiret, Caesar Octavianus reverteretur. Pollio, quum infortunium Mantuae imminens ante metueret, Octaviano vel Maecenati amicum suum a pietate simul ergá divum Julium et a poëseos studio commendaturus, carmini huic Alexin et Palaemonem adjecit, quibus Virgilius v. 86 gloriatur; eaque commendatio Octaviani ei paravit patrocinium IX, 10. 18, in prima ecloga laudatum. Certum est, prudentia, non levitate animi factum esse, ut ad illas priores eclogas poëta respexerit, quae maxime limata, quae adhuc perfecerat, Pollioni visa sint opera. Neque ante Octaviani a Philippis reditum divinare quis poterat, fore, ut ex Octaviano fortuna Mantuanae regionis, Antonio subjectae, penderet, et, si qui forte sint, quibus haec ratio suspicionem moveat, quod tempus carminis silvestris, quod simulatur, aestas est sine dubio anni DCCXII: Virgilius retro tempus mutavit, quemadmodum in nona ecloga v. 46 etiam serius carmen de stella crinita Caesaris inter ipsius sideris ortum profusum esse fingit.

Vetus conjectura, luctum de Flacco, fratre Virgilii esse, in juventute et rustica simplicitate Daphni-

dis allegorici niti posse videri poterat. Verum etiamsi Flaccus, quod nemo de eo praedicavit, juvenis fuisset vel animi vel meritorum vel spei magnitudine insignis; luctum tamen communem, qui usque ad punicos leones pertinuerit, et divinos honores, qui simul ab omnibus pastoribus et numinibus rusticis habiti ei fuerint, poëtam simulare: id Virgilii quidem in sobrium animum cadere non potuit. Nedum Menalcas, quo nomine Virgilius allegorice dicitur, primas partes amoris Mopso v. 51—52 concessisset.

Caeterae interpretationes, quae sunt de Pollionis filio Salonino, de Quintilio Cremonensi, Virgilii et Horatii amico, vel de duce Quintilio Varo, temporum rationi plane repugnant. Etenim Saloninus, dictus a captis anno DCCXV Salonis, urbe Dalmatiae, anno DCCLXXXVI obiit, aut, si diversus sit ab Asinio Gallo, certe anno DCCXV infans mortuus est, nisi provectiore aetate; Quintilius autem rhetor anno DCCXXX obiit; Quintilius Varus anno DCCLXIII in Germania occisus est.

Annotata.

1—3. Patriae sensa poëta, et quum Julius Caesar interfectus et quum inter deos relatus esset, alternis versibus canit, quibus par pastorum Mantuanorum v. 17 Daphnidis nomine illum, tamquam formosum et beneficum juvenem pastoritium et luget et

laudibus effert. Menalcas ipse poëta est v. 86, qui cum quotidianis pastoribus, sed tamquam cantus aliquanto peritiorem, etiam alibi III, 84. IX, 10. 18. X, 7 se commiscet. *Mopsus* autem, aeque ac reliqua hujus carminis nomina pastoritia, species tantum in animo informata est. De Aemilio Macro, poëta Veronensi, qui herbas et bellum Trojanum cecinit, Servius eum interpretatus est, quoniam in allegoria carminis omnia tropice mutanda esse censebat. Uterque cum capris v. 12 in pastione saltuum aestiva sibi obviam fiunt, ibique Menalcas amicum alternorum versuum certamen proponit, dum Tityrus servus greges habeat in unum conjunctos. Tam seria res quum ad certamen proposita esset, et ipsius Virgilii certantium alter personam ageret, ab altercatione, qualis in tertia ecloga idonea erat, hoc loco inepta fuisset provocatio. Sua de virtute laetus alterius virtutem propensa facilitate uterque observat. Quod Theocriti VIII, 4 certantes, idem hi sibi esse videntur:

Ambo uti calamis, ambo cantare periti;

praeterquam quod Menalcas fistulae amico, cantus sibi majorem tribuit scientiam. Nam non adjuvare Menalcae cantum *multiplici calamo* II, 36 Mopsus jubetur, sed uterque, postquam praelusisset, canere v. 48. Saltuum inter silvestres et intonsas *ulmos*, non inter maritatas rem agi: id *motae* umbrae v. 5 indicant cum mixtis *corulis* et *capris* pascentibus, quae in vinetis non ferebantur Lb. II, 196. 299. *Bonus inflare*, idoneus ad inflandum; elegantius dictum ad imitationem Graecorum. *Considimus* anti-

quum pro inepto tempore praeterito *consedimus* Hafniensis quoque *C* habet.

4—7. Modesto animo Mopsus invitationem accipit, amoenam umbram motarum ulmorum laudans, magis etiam frigus antri, quod prope aberat, cujusque aditum rari palmites labruscae pulchre et ad immittendum aëra laxe ambiebant. Imagines regionum, ad quas quotidiani fere poëtae pigmentis suis studiosissime abutuntur, a summis artificibus leviter tantum, quantum id res, quae agitur, desiderare videtur, extremis lineamentis et cogitatione conficiendis, spirante quodammodo agilitate adumbrantur. *Major natu* Menalcas est, quamvis et ipse puer v. 19. Quod Mopsus motis *umbris* ulmorum et mixtarum corulorum, inter quas et ipsas quies erat indubitate opaca, frigidius *antrum* praefert; id tacito indicio calorem aestivum declarat. *Motantibus*, poëtice dictum, frequentatam motionem indicat, quum in *mutantibus*, tenuiter dicto, quod scribis excidit, jejuna potestas *incertas* vocabuli repetita sit. Illud quidem Hafniensis *B*, et a secunda manu *C. D*, Lengnichius quoque habent. *Antra ex rupibus cavata* aditu fruticetis praecluso, qualia I, 76. Theocr. III, 13, Graecis et Romanis natura saepe praebebat, etiamsi parum ii Homerici specus Calypsus recordarentur. *Vitis silvestris*, *labrusca*, ἄμπελος ἄγρια *), duplicis generis erat **): nigra species uvas

*) cf. Sprengel ad Theophr. *Naturgeschichte der Gewächse* IX, 14. Schneider ad Theophr. *h. pl.* IX, 20 et in ind. s. v. ἄμπελος ἄγρια.

**) Dioscor. V, 2.

maturabat parvis acinis, nigras, adstringentes; candida species, quae spissis et albicantibus foliis *) erat, cujusque rubens fructus numquam maturescebat, mense Junio corymbum florum suaveolentium ferebat, *oenanthen*, *labruscum*, quo, in umbra siccato, vinum, mel, oleum condiebatur **), Plinius auctor est, folia ejus, quod in pluribus pejoribus generibus fiebat, rubra fieri, priusquam decidant. *Vitis Labrusca L.* ea esse videtur, rubro fructu, lanuginosis foliis, quae vitis sativae mater esse creditur ***). Quam speciose textura odoratorum palmitum, tenuis ad immittendum aëra suspensa et corymbis florum et foliis, aura ventilatis, picta, exprimitur! Tamen poëta fucum addere noluit. *Adspice*, *ut sparsit* pro *sparserit*; poëtice imitatione Graecorum dictum, qui hac ratione indicativo modo uti solent; cf. IV, 52.

8—9. Egone vero, jocans inquit Menalcas, dum ad antrum pergunt, cantu tecum contendam? Id in saltibus nostris tantum Amyntas aliquis possit committere! Jocus est simulata gravitate ad arrogantiam Amyntae irridendam, qui cantu nuper cum Mopso contendere ausus erat. Utrique amico judicium de illo convenire, irrisio docet, quae in responso

*) Plin. XXIII, 14.

**) Plin. XII, 61. XIV, 18. Pallad. VII, 11 ibique intpp. Dioscor. V, 33.

***) At ista „habitat in America septremtrionali". Quare melius K. Sprengel: „*V. viniferae* var. silvestris". Annon fortasse „*V. indica* s. silvestris, fructu minore rubro acerbo", quamquam ea et ipsa proprie est Indiae incola?

continuatur. *Certat*, gravius dictum in antiquissimis libris, in Hafn. quoque C; *certet*, licet, ausit certare, pudorem quemdam Amyntae relinqueret. — Ab Amynta quidem, cum risu assentientis joci Mopsus respondet, utrique nostrûm tuto esse liceat; quamvis is, quae ejus est audacia, vel cum Apolline certare ausit. Non secus leniter irridentem Theocritus IV, 8 cum fortius irridente comparavit:

Corydon:

Herculeis aequant nervis et viribus illum.

Battus:

Polluce et mater dixit mea me meliorem.

Servius, sub ficto Amyntae nomine verum hominem latere autumans, ad Cornificium poëtam defertur, qui inter obtrectatores Virgilii fuisse creditur.

10—12. Urbane et quoniam candido pectore se tamquam peritiorem canendi jactaverat, facilius invitato Menalcas exordium permittit III, 52. *Incipe prior*, quidquid composueris sive *amorum* sive *laudum* sive *jurgii*. Nam hujus argumenti v. c. in tertia et in septima ecloga cantiones esse solebant, quibus certando confictos homines, confictas res incessebant. Igitur *Phyllis*, *Alcon*, *Codrus* quoque nihil aliud sunt praeter nomina pastoritia ad libidinem ficta et ex carminibus petita, quae ex prioribus victoris Mopsi certaminibus, quibus praeter alios cum Amynta per ironiam laudato certatum fuerat, Menalcas memoria tenebat; neque eosdem, quos in aliis eclogis III, 76. VII, 22, nec veros omnino homines ea designant. Servius de Phyllide, regina Thraciae, somniat, quae Demophoontis, filii

Thesei, amore perierit, de sagittario Cretensi Alcone, et Codro, rege Attico, qui, pastoritio habitu indutus, in hostilibus castris rixas movit et occisus est. Mopsi interea haedos ditioris Menalcae v. 65—73 servus Tityrus una cum suis capris pascere jubetur. Poëta hic, quod idem X, 7 factum est, modicam personam caprarii induit, quae in inferiore loco, quam pastor ovium vel boum, habebatur. In Theocriti I, 12 invitans de grege canentis curam ipse suscipit:

Ad nymphas malis illic pastorne residens,
Declivis vergit qua collis quaque myricae,
Nunc calamos inflare leves? servabo ego capras.

Vernae capellae, nam auctumnales quoque edebantur I, 14. III, 34. VII, 9, in ipso partu, qui mense Martio fiebat, praeter lac matricum germina recentis frondis reperire debebant, et, post tres menses depulsae, singulari grege pascebantur, puero vel adolescente aliquo custode, quod est II, 30. Igitur etiam hac in re Mopsi cernitur juventus.

13—15. Pro levioribus argumentis, quae ad certamen aliquod cum Amynta instituendum satis idonea fuerint, Mopsus novum et eximia diligentia compositum carmen *experiri* vult. Modeste dictum *experiendi* vocabulum, quamquam in conscientia dignitatis. Pastor scribendi non imperitus II, 23 carmen suum, ut accuratius id elaboraret VI, 12, in recenti *cortice fagi* insculpsit, dum in intervallis scribendi vel cantu vel fistula ingressionem versus metiebatur I, 2. *Alterna*, *alternatim*. Veteres Itali, quod Symmachus IV, 28 dicit, priusquam chartam Pergamenam et lanuginem papyri Aegyptiaci

noverant, scripta sua vel in ligneis, saepe cera obductis, tabellis scindebant, quare scriptum proprio *codicis* sive caudicis nomine appellatum est, frequentius in cortice et interiore *libri* involucro aut fagi aut tiliae arboris. Oracula Marciorum vatum, idem dicit IV, 34, corticibus inculcata fuisse *), oracula Sibyllae Cumanae linteo sive, teste Virgilio Aen. VI, 74, foliis arborum. Plinius XIII, 21 palmarum folia in usu fuisse testatur, Isidorus VI, 12 simul cum iis malvarum, in quibus etiam Cinna carmen scripsit. Serissime perseverabant pascentes in saltibus in antiquo more scribendi; speculatores quoque, quod Plinius docet, nuncios ad ducem dandos in recenti cortice insculpebant. Hoc quidem in loco detractus cortex intelligitur, quemadmodum X, 53 vivus. In Calpurnii III, 43 longum carmen rutilanti in cortice cerasi notatur, tum, ut diutius servetur, ex arbore eximitur; et I, 20 fagus in nemore quinquaginta versus amplius nondum annis deletos habet. Utique exercitationem id styli silvestris indicat. *Scribere*, quemadmodum γραφειν (antiquitus γριφειν) et *schreiben*, primum sculpere, findere erat: a communi principio *riban* deductum, praeposita adspiratione et sibilo, unde *reiben*, *riefeln*, *Griffel*, *Brief*, *graben*. *Ritan*, secare, rumpere, aeque antiquum Angli in verbo *writ* acceperunt. Postquam hoc carmen audiveris, ipse existimes, num *Amyntas* aliquis contra contendere possit. Ipsius laus laudem Menalcae quamdam reconditam habet, qui solus ei dignus vi-

*) cf. Davis. ad Cic. de div. I, 40. Liv. XXV, 12.

deatur, quocum contendat et cujus jam prius exspectatum carmen, quo certaretur, antea ei laudatum fuerat v. 55. *Jubeto ut* Hafn. *D* habet.

16—18. Profecto ego jocabar tantum, Menalcas suscipit, quum Amyntam tecum compararem, qui tantum tibi cedit, quantum olivae salix, rosae nardus. *Salix* pallida quidem fronde olivae haud dissimilis est, sed utilitate quantum ab ea distat! *Nardus* odorem quidem *rosae* aemulatur, flos autem exiguus in serta ne necti quidem potest. *Saliuncam* Virgilii *Nardum Celticam* sive *Valerianam Celticam L.* esse, temere dubitari videtur. Dioscorides quidem docet, nardum Celticam in Alpibus Liguriae et in Istria nasci, ab incolis Aliungiam dictam; parvum fruticem esse, radicibus manipulatim convolutis, foliis oblongis et flaventibus, flore luteo. Scribonius Largus, primi saeculi medicus, nardum Celticam c. 104 diserte *Saliuncam* dicit. Plinius *) narrat, saliuncam non magis, quam irin, ad coronamenta pertinere, quamvis nobilissimi odoris utramque; foliosam quidem, sed brevem et quae necti non possit, radici numerosae cohaerere, herbam verius quam florem, densam veluti manu pressam, breviterque cespitem sui generis; Pannoniam hanc gignere et Noricum Alpiumque aprica: urbium Eporediam (Jurieam, Ivream Pedemontiii) tantae suavitatis, ut metallum aequiparare coeperit; vestibus interponi eam, gratissimum esse; radicem in vino decoctam vomiti-

*) H. N. XXI, 19.

ones sistere, stomachum corroborare *). Tantummodo quoniam Plinius *Gallica* i. e. *Celtica nardo* memorata domesticum nomen *Saliuncae* negligenter praetermisit, dissensio esse creditur: sed, quaecumque ibi **) dicuntur, ea in Celtica nardo Dioscoridis locum habent. Valerius Cordus auctor est, a Germanicis Alpium incolis hoc medicamentum etiam nunc *Seliunk*, quasi ad instaurandas animas aptum, nominari. Serpit humilibus caulibus, qui e geniculis radices mittunt, refertum oblongis et pallidis foliis, et in brevi scapo spicam habet parvorum florum flavescentium, quorum apex purpureus extrinsecus, cinereus intra est; propter saporem radicum et caulium saepe ex Austria et Italia Turcis venit. Etiam haec planta argumento est, hujus Eclogae in Virgilii patria, non in Sicilia rem agi. In Theocrito V, 92 — 95 par est similium comparationum:

Non potis est conferre cynosbatos aut anemona
Se cum flore rosae, quae ad muros nascitur horti.

Ad quae his contenditur:

Non glandis simile est pomum silvestre; habent nam
Leve suum tegumen glandes, sunt dulcia poma.

Speciosiores hae sunt; facetiores Virgilii esse videntur.

19. Laudantem Mopsus interpellat, ne quid ad laudes respondere oporteat; et, postquam, frigidum antrum ingressi, in muscosa rupe fortasse recubuerunt, consuetum exordium, ἀναβολήν, idem in fistula instituit, tum carmen lugubre, quod, quum limaturus

*) Plin. XXI, 83.

**) Plin. XII, 26.

in fago descripsisset, nunc quidem memoria tenet. *Succedere antro* simile Lucretiani *succedere soli* V, 287. Hafn. *C succedimus.* Ascensius et Cerda versum hunc insuper Menalcae tribuunt; nimirum, quod *puori* blanda appellatio, si ad Menalcam, aetate provectiorem, referretur, parum iis apta videbatur.

20—44.

Julius Caesar, anno DCCX ab U. C. ex medio splendore et rerum gestarum et consiliorum de ordinanda republica Romana sublatus, rusticae Musae ingenuus et formosus pastor est, Daphnis aliquis in flore juventutis morte praereptus. Obitum ejus lugebant 20—28: Nymphae agrestes et mater (dii praesides reipublicae et Venus, ex qua illius originem comminiscebantur), reliqui pastores una cum gregibus (magistratus et populus), ipsaeque ferae (subjecti populi). Nam ipse inter Bacchi asseclas 29—31 majorem rebus et naturalibus et humanis cultum adhibuit; nobismet decori erat 32—34; et statim post ejus interitum 34—39 ingens solitudo facta est. Quare 40—44 instituendis luctibus et sepulchrali honore memoriam ejus colamus.

20—23. Crudelem mortem Daphnidis Nymphae et in fruticetis et ad rivos flebant, dum mater miserans corpus caesi filii amplectebatur. — *Daphnidis* nomen pastoritium de victore duce gentium Julio Caesaro, Veneris progenie, consulto dictum videtur, quod simul et δαφνης, lauri, et herois Siculi memoriam excitet. Caedem poëta, generosos observans libertatis propugnatores, *crudele* tantum funus dicit, quod ipsa *crudelia fata* voluerint.

Regni admiratores, quales posteriora saecula eos tulerunt, vix a se impetrare potuissent, quia matrem saltem exsecrationes aliquas erga impios homicidas dicentem facerent. *Nymphae* altrices II, 46 fruticesarum convallium et pratorum *irriguorum*, in quibus formosus Daphnis laetos olim greges pastum egerat, Deos Romae praesides Lb. I, 498 significant, Caesarem, delicias suas, desiderantes. Non nisi data opera tristis occurrebat tarditas ordientis versus cum magnificis Molossis et *flebant*, spondeo, ad proximum gradum facientis. *Coruli* montium v. 3. I, 14, et *rivi* delabentes, quasi sentientes et conscii, in testimonium auditae lamentationis adhibentur. Similis imago in Bionis de Adonide luctibus est v. 19:

Et Nymphae plorant in montibus; acriter errat
Per querceta Venus tristis crinesque soluta.

Venus, mater Aeneae, cujus e filio Julo gens Julia orta esse gloriabatur, in Ovidii quoque *Met.* XV, 761 caedem Caesaris materna ira lamentatur. *Crudeles* prae dolore *deos* et *astra* vocabat, quipppe qui, ex prisca opinione, fata filii acceleraveriut. *Gnati*, vetusta ratione a *genao*, *genasco*; Lengnichius *nati* reperit. *Atque atque* poëtice pro *et et*. *Vocat* pro *vocavit*.

24—28. Luxerunt omnes pastores una cum gregibus, etiam bestiae ferocissimae. Quodsi Daphnis pastor Julii Caesaris personam gerit; hi *pastores* camporum primum et potissimum reliqui magistratus civitatis sunt, quae civitas etiam tum, quod Caesar, quique cum eo sentiebant, simulabant, res-

publica tantum restituta erat; secundo loco (nam uni magistro pecoris plures pastores parebant) quicumque singulares quoque tractus regionum in ditione et possesione habebant; *greges* autem plebs inferior, *ferae* victi populi sunt. Debilitati moestitia *pastores* pastos *boves* (pars pro toto) ne potum quidem agere volebant; etiam *greges* non custoditi et armentorum et pecoris propinquam aquam vel libare VII, 11, immo circa se herbam attingere obliti sunt. Nimis exaggerata aegritudinis significatio, quae ne nimis presse dicta putetur de inedia per aliquot dies continuata. Ita Moschus in Bionis nenia:

Montes sunt muti, vitulae miserantur, euntes
Cum tauris, casum, tristes et pascere nolunt.

Hafniensis liber *A* habet *ulla neque amnem*, et *A ad flumina nulla* conjunctim legit. Scilicet correctores isti parum assequebantur partitionem, quae facta est post *nulla*, *nec nec* particulis, pro quibus pari modo *vel vel* dici poterat. Sed infelicissima correctione *flumina nota* emendabant, quum *frigida* adjectivum ante scriptum sit. *Quadrupes*, Ulpiano si fidem habemus, proprie omne animal mansuetum dicebatur. *Graminis herba*, recentia germina graminis: quemadmodum *frumenti herba* Lb. I, 134, *herbae algae* Colum. VIII, 17, 6, i. e. *algae* plantae variae, Ecl. VII, 42, et ὕπνου κῶμα Theocr. Epigr. III, 6 soporis languor. Ipsae *ferae* peregrinae, inter quas *punici leones*, Daphnidis obitum lugebant *in saltibus*, qui, aeque ac coruli et rivi v. 21, etiam nunc luctus *testes* sunt. Pascua Daphnidis allegorici sunt universum imperium

Romanum, cujus Daphnis etiam ferocissimos populos potestate et prudentia mansuefecerat. *Punici leones* in sua *solitudine* populi sunt veteris et bellicosae Carthaginis, anno DCVIII ab U. C. dirutae: quam, postquam C. Gracchus tribunus anno DCXXXI ab U. C. frustra id tentaverat, anno DCCVIII Julius Caesar simul cum vastata Corintho missis eo colonis restituere aggressus est; verum, morte impeditus, efficiendum opus Octaviano Caesari reliquit. De vero pastore vel circa Mantuam vel in Sicilia, ubi nulli leones sunt, parum esset haec imago veri similis, nec ullo modo Theocriti de Daphnide Siculo querimoniis excusanda, qui inter lugentes belluas antiquitatis, ab avis nimirum traditos rumores sequutus, etiam leones et thoës posuit I, 71:

Daphnin vel thoës, Daphnin luxere lupique,
Daphnidis atque obitum silvis flevere leones.

Montesque silvaeque, pro, silvae montium, saltus: poëtice diductum poëtico *que que*. In hac amplificatione inferiorum partium orationis patrius sermo semper jacebit; quodsi quid praeterea nancisci posset, a tritas semitas dicendi terentibus soloecismum fecisse arguitur.

29—31. Quamobrem communis illa moestitia? Hanc ob rem, quod Caesar rempublicam vitiose institutam prudenter et bene instituens emendare volebat. Similitudine facta, propterea, quod *Daphnis*, ut agros agricultura et humanitate excoleret, *Bacchi* sacerdotio fungebatur. *Bacchus* primus cum *Cerere* feritatem hominum silvestrium et vagam pastorum vitam ad mitiorem et conjunctiorem consuetudinem

agricolarum conformaverat, itaque in mysteriis, aeque ac illa, humanitatis conditor, θεσμοφορος, habebatur. Juveniliter blando, ad laetitiam et elationem animi procellenti amico hominum festi dies cum *choreis* (*thiasis*) a pueris et puellis inter tympanorum sonitus et crepitacula aenea celebrabantur, in quibus res a Deo gestas, praesertim serius inventum triumphantis de India in curru mansuetarum *tigrium*, lyncum vel pantherarum reditum repraesentabant, et concutiendis *thyrsis* sive baculis hedera et pampino cinctis, vinum, mel, oleum et omnem felicitatem aureae aetatis, III, 89 ec solo excutere somniabant. De tigribus Armeniae vel Hyrcaniae Lb. IV, 510. In ejusmodi curru Bacchus Ovidio erat, quum Ariadnen raperet *art. am.* I, 549:

Jam Deus e curru, quem summum texerat uvis,
Tigribus adjunctis aurea lora dabat.

Majore cum sedulitate Claudianus haec Orgia in laudibus Honorii quartum consulis VIII, 602 expressit:

Hoc si Maeonias cinctu graderere per urbes,
In te pampineos transferret Lydia thyrsos,
In te Nysa choros; dubitassent Orgia Bacchi
Cui furerent; irent blandae sub vincula tigres.
Talis Erythraeis intextus nebrida gemmis
Liber agit currus, et Caspia flectit eburnis
Colla jugis; Satyri circum, crinemque solutae
Maenades adstringunt ederis victricibus Indos.
Ebrius hostili velatur palmite Ganges.

Nobis, etiam libere loquentibus, difficile est, has opiniones, ab ingeniosa et hilari Graecorum natura conceptas, conscia mente et candido animo nostris sensibus assimilare, et in immensa arrogantia M. Antonii, quum, quod Demetrius Poliorcetes, Antigoni

Ptolemaeus quartus, Ponticus Mithridates ante fecerant, alter Bacchus et Osiris Athenis et Alexandriae coli vellet, vel in superbia C. Marii, quum post Cimbricum triumphum Bacchum, barbararum gentium domitorem, poculis imitaretur VI, 17, majus aliquid, quam irridendas nugas, conspicere. *Curru* tertius casus vetusta positione. *Inducere Baccho*, facilius intellectu, quod Hafn. *A. D* habent, vix scriba aliquis in *Bacchi* mutavisset. Conjectura, qua Julius Caesar in memoriam victoriae, anno DCCVIII ab U. C. die Liberalium (a. d. XVI Cal. April.) de Cnejo et Sexto, Pompeji filiis, ad Mundam Baeticae reportatae, Bacchi sacra amplificasse potuerit, futile est effugium sollicitorum de expedienda similitudine interpretum. *Hasta*, primo germen, affine nostro *Ast*, *gesum*; deinde lancea. Etiam *Speer*, *Spiess*, *Stange*, *Stab*, quemadmodum *pilum*, *telum*, proprie de arbore se promittente dicuntur.

32—34. Continuatio est prioris sententiae. Daphnis, qui paene efferatos homines ad cultum erudientis Bacchi traduxit, una secum pascentibus aeque decori erat, atque in arbustis maritatae ulmo vitis, viti uva; in pecuaria gregibus taurus, et in agricultura agris seges: quae res pulchritudine maxime eminent inter omnem rem rusticam a Daphnide expolitam. Nec minus suo in loco Theocriti comparatio valet VIII, 79:

Glans querceta decet, decori sunt pomaque malo,
Et vituli vaccis, vaccae pastoribus ipsae.

Sive XVIII, 29:

Quale decus segetes campis surgunt in opimis,

Thessalus ad currus equus, aut cyparissus in horto:
Sic Helenes roseum decuit Lacedaemona corpus.

Quodsi plures libri scripti *est* omisissent; equidem *decori*, *ut* scriptum reciperem.

34—39. Postquam tu, decus nostrum, nobis ereptus es, vel pascua, vel agri et horti deserti sunt. — Iterata consideratio est universae rei pastoritiae. Desertam rempublicam in sua ipsius patria, Gallia cisalpina, ipse poëta maxime sensisse poterat; quam quum Caesar prae caeteris foveret provinciam, et hoc praetore inde ab anno DCLXXXXVI usque ad annum DCCV maxime ea floruit, et ab eodem dictatore anno DCCV civitate, quae adhuc citra Padum valuerat, in transpadana quoque regione donata est; bello autem Mutinensi anni DCCXI paulo post ejus caedem atrociter vastata est. *Pales*, dea pastorum, ipseque *Apollo* pastor Lb. III, 1 agros reliquerunt, a quibus Daphnis aberat, gregibus curam suam et salutem, pastoribus laetitiam et cantum adimentes. Uterque deus peculiari praeterea ratione ad Caesarem pertinebat. Quippe Palilia a. d. XI Cal. Maj. inde ab anno DCCVIII, quo pridie vesperi de victoria Caesaris ad Mundam reportata Romam nuncius allatus esset, non tantum ob Romam conditam, sed Caesaris in honorem agebantur *); ludi Apollinares a. d. III Idus Quintiles in diem natalem Caesaris incidebant. *Ferre*, auferre IX, 51. Lengnichii liber cum tribus aliis *tulere* habet. *Agri* quoque (nam Virgilii pastores agros colunt), in quibus *gran-*

*) Dion. Cass. XLIII, 42.

dia saepe et electa semina Lb. I, 197 reddenda sulcis *mandavimus*, nunc quidem neglecti herbas tantum pejores factas et inutiles ferunt. Erant inter veteres, qui contenderent, triticum et *hordeum* corrupti seminis *lolium* *), hordeum etiam *sterilem avenam* **) fieri. *Hordea*, audacem pluralem, Bavius et Maevius, ad ulciscendum III, 90 credibile est, hoc versu hexametro perstrinxerunt:

Hordea qui dixit, superest ut tritica dicat.

Ad argumentationes similiter invidiosas (quod genus, qui dicit *dieweil*, eidem etiam *alldieweil* et *sintemalen* revocandum erit!) viri inter nostrates descendunt, qui digni erant, ut justi essent. *Lolium* ***) est *Lolium temulentum L.*: herbae genus inter hordeum et avenam praesertim pullulans, cujus arista semen fert obtundens mentem, et, quod veteres dicunt, oculos obcaecans †). Sunt, qui huc praeterea referant *Agrostemma Githago L.*, rutilos flores, sed semen nigrum et rotundum ferens. *Avena sterilis*, *Avena Fatua L.*, et ipsa inter hordeum et avenam pullulat. Pro *nascuntur*, quod incipientem feritatem exprimit, duo Hafnienses *C. D*, una cum libro Lenguichiano *dominantur* habent ex Lb. I, 154. Ipsi *horti* pro floribus carduos et spinas ferunt. *Viola* II, 47 hoc loco viola sativa est pallidis foliis, sive λευκοϊον, quod flores fert et

*) Theophr. h. pl. VIII, 7, 1. cf. Plin. XVIII, 44, 3.

**) Plin. XVIII, 44, 1.

***) Plin. XXII, 77. Diosc. II, 122.

†) Geopon. II, 43.

candidos et purpureos et luteos. *Narcissi* unum genus II, 47 quod circiter aequinoctium auctumni florebat, *purpureum* calycem habebat, qui Romanorum in lingua Lb. IV, 123 flos appellabatur: quare et hic ipse hoc loco aeque bene *purpureus* narcissus dictus videri possit atque a Gallo *Cir.* 96 *suave rubens narcissus* dicitur. Attamen Plinius XXI, 5 s. 12 cf. 19 s. 75. docet, lilia quoque purpurea esse, quae *narcissi* appellentur (II, 48); alterum eorum genus flore candido, calyce purpureo esse, tertium genus calyce herbaceo: quae cuncta circiter aequinoctium auctumnale florere. Utinam ne excerpti a Plinio toties Graeci male intellecti essent! *Paliurus* veteribus est fruticosi generis *), spinosus, vivis sepibus inserviens, folia habens decidua et supra folia in aliquo nucleo tria vel quatuor semina, plena pinguitudinis et similia lini seminis **). Haec indicia *Rhamnus Paliurus L.* (*Zizyphus P. L.*) habet, quae propter sacrem coronam ex spinis factam *paliurus spina Christi* et *spina Judaeorum* a nostratibus, a Graecis autem corrupto nunc quoque nomine *Paliru* dicitur: flos luteus orbem nuclei parum elevatum fere cum tribus loculis relinquit, in quibus laeve et oleosum semen conditur. Diomedes Grammaticus *purpurea narcissus* simul cum *atra silex* et *amara cortex*, tamquam poëtica audacia novata, laudat, nec dubium est, quin ad hunc locum

*) Plin. XVI, 53.

**) Dioscor. I, 121 Theophr. h. pl. IV, 3, 4. Plin. XIII, 19 s. 33. XXIV, 13 s. 71.

respexerit. Graeci quoque, quod Heinsius observavit, ναρκισσω et ὑακινθω, foeminei generis, usi sunt.

40—44. Quare sepulchrum ejus ad fontem fronde et floribus spargamus, et quod ei in optatis est, umbrosum nemus circum seramus; supra sepulchrum collis et monumentum cum titulo sit. — Ad *sepulchra* nobilium funerum loca celebria et procul conspicua, imprimis ad vias publicas IX, 59 et ripas, veteres adhibebant, ut quam plurimi honorificum titulum cognoscerent. Homines rustici carissimos suos ad *fontes* maxime frequentatos sepelire solebant, umbrosas arbores circum serentes, ubi quiescentes pastores et viatores benefici hominis, cujus etiam mortui beneficia durarent, recordarentur. Nicias Milesius in Anthologiae I p. 248 (ed. Jacobs. 182):

Hanc, si fessus eris, frondem ad conside, viator!
Populeam; celeri i pede potus aquam.
Fontis tunc memor at procul esto, quem prope Gillum
Simus defuncto constituit puero.

Solum autem saxosum et siccum circa fontem montanum requirebatur, quoniam mortuos natare sinere dirum habebatur. Augebat etiam honorem elatus supra sepulchrum *tumulus*, et monumentum ibi lapideum cum poëtico *titulo* impositum. *Daphnidi* quidem solius adhuc sepulturae honos ad puteum, ex pluribus venis confluentem, contigerat. Ejusmodi *fons in unum collectus fontes* appellabatur. VII, 45, X, 42. *Cul.* 146. Theocr. I, 2. V, 47. Verum nunc, jacturae magnitudine commotus, pastores Mopsus adhortatur, ut, nova funebria instituentes, *fronde*, floribus et vario ornatu, quod solebant, sepul-

chrum circa spargant (φυλλοβολια), et *umbrosas arbores*, quas beneficus Daphnis desideret, una cum *colle* et *monumento* adjiciunt. De supremo honore *sparsarum frondium* v. Lb. IV, 545 una cum Nemesiani I, 64:

Felix, o Meliboee, vale, tibi frondis odorae
Munera dat, lauros carpens, ruralis Apollo;
Dant Fauni, quod quisque valet, de vite racemos,
De campo culmos, omnique ex arbore fruges;
Dat grandaeva Pales spumantia cymbia lacte;
Mella ferunt Nymphae, pictas dat Flora coronas.

Tota haec actio rustica refert historiam. Nam Caesaris corpus quum anno ab U. C. DCCX in foro inter tumultum injectis coronis et ornamentis crematum esset: raptim tantum ejus reliquiae in Mausoleum gentis Juliae illatae sunt, et ara cum columna, quam in ustrina Parenti Patriae populus exstruxerat, a consulibus eversa est. Sed in principio anni DCCXII non solum omnes Dictatoris leges a triumviris ratae habitae sunt, verum etiam decretum est, ut ἡρῷον sive lararium ei in ustrina fieret. Hic titulus Theocriti I, 120 imitatio est:

Daphnis ego suetus tauros huc pellere pastum,
Daphnis ego huc vitulos, vitulas adigens et ad undam.

Ipse Daphnis ego ille fui in *saltibus*, communi pastione pastorum: hinc *usque ad sidera* notus, cujus fama universum orbem terrarum usque ad convexa siderea, quae terram concludere videbantur, peragravit. Idem in epigrammate de Menandro *Anth. Gr.* III p. 268 dicitur:

Aeternus vives, laus et ramanebit Athenis,
Quae te aliquando oram siderum ad usque feret.

Simili modo Silius III, 654 spatium a medio orbe terrarum *ad finem* i. e. ad terminos *caeli* porrigit: nec aliter Theocr. VII, 93 intelligo:

Eximium, tulerunt quod laudes ad Jovis arcem.

Proverbialis amplificatio, apud ipsum Homerum Odyss. IX, 20. XV, 328, quum numquam ad literam proverbia intelligi velint, etiam in veri pastoris laudem cadere posset, multo magis in laudem allegorici, cujus pascua v. 27 orbis Romanus essent. *Formosi* pecoris ipse custos *formosior*, quod de juvene Daphnide dicitur, ad immaturam mortem Caesaris relatum, proprie quidem redeuntis ad virtutem populi ipsum ducem meliorem declarat v. 29—34: nec tamen formositatis corporis significatio excludi videtur. Etenim Caesar, quod historia narrat, excelsa statura erat, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetisque oculis, valetudine prospera [*]); etiam aetate provectus (obiit anno LVI) formae speciem tam sedulo curabat, ut jocis eam ob rem obtrectatorum obnoxius esset, et populi opinionem confirmare volebat, qua Venus, ejus avia diligentissime ab ipso culta, cujus armato sigillo obsignare solebat, formae quamdam gratiam ei tribuisse credebatur.

45—52. Menalcas Mopsi quidem, tamquam perfecti artificis, carmen laudat, et committendo suo carmini, quod Daphnidis, omnibus benefacientis, consecrationem habebit, modeste praefatur. — *Divinus poëta*, a deo aspirante, divino spiritu,

*) Sueton. v. Jul. Caes. 45.

mente altioris naturae instinctus. Homeri Odyss. XXII, 347:

> A memet didici: varios mihi pectore cantus
> Insevit deus.

Tuum carmen nunc de Daphnide mihi sollicito aeque solatium fert, atque fesso fert *sopor* in molli gramine, sitienti in aestu meridiano frigida *aqua* ex praecipite torrente hausta. Duae similitudines, ex praesente natura aptissime petitae, quas tamen in detrimentum aliarum (Theocr. I, 7. VIII, 81), quae non minus bene in suum locum conveniunt, admirari nolim. *Tuum nobis*, elegantius junctum, quum contraria ad acriorem contentionem arctius componantur, et *tale carmen* longiore circuitu actuatur, Heinsius quidem apud Probum in arte Grammatica reperiebat, nos in Hafn. *C*; in tritiore junctura quum *nobis* postponatur, inepta id gravitate effertur, praesertim quum post incisionem *tale tuum carmen* spondeus iste sono sit flexo. *Aestus*, aestivus meridies Lb. I, 297. Pro *restinguere* Hafnienses duo *A*. *C* *restringere*, coërcere, habent. *Rivus aquae*, canalis aquarum profluentium. Non solum *fistula*, quod opinabar v. 2, sed etiam *cantu* summus artifex es. Accuratius id definitum: tu quidem celebri tuo magistro par es, in utraque virtute dignus, fortunate! qui secundus post eum, alter ipse, nomineris. *Aequiperas*, vetustum pro *aequiparas*, antiquissimis libris scriptis et Grammaticis apud Heinsium et Burmannum, ad quos Lengnichianus liber accedit, confirmatur. *Magister* Mopsi fictus est artifex silvester musicus, quales Amyntas

et Stimicon. Theocritum sive calamo sive voce assequi, unum idemque esset; nec Daphnis comparationem permittit, praeterea uterque diligentiorem notationem requirebat. Quamvis tibi cedendum sit *tamen*, quoad potero, cantum ego, quod par est, tecum committam, in quo consecratio Daphnidis *tui*, tam pie a te laudati, dicetur; nam et ipse benefico ejus amore fruitus sum. *Haec nostra* i. e. carmen, quod statim sequetur. De scripto cecinisse nec Menalcas neque ante Mopsus putetur. *Ad astra tollere* primum est inter deos referre, tum, verborum pondere imminuto, laudare; hic vero consecrationem praedicare, cf. VI, 45. 62. Versus 51 in Hafn. *A* ab aliena manu adscriptus est. *Amor* pastoris Daphnidis, qui usque ad Menalcam pertinebat, nihil est praeterquam Caesaris supra laudata erga Galliam citeriorem v. 34 beneficentia, qua factum est, ut ipsa regio trans Padum sita aeque ac citerior civitatem acciperet Romanam. Ut Julius Caesar ipse poëtae ingenium vel cognoverit vel foverit, frustra id scilicet optatur. Nam anno DCCV, quum Caesar Rubiconem transiit, Virgilius annos natus XXI ne Culice quidem se jactare poterat, qui anno DCCIX demum, hoc est anno ante Caesaris caedem, scriptus est. Et vix eum credibile est, vel hunc ludum juvenilis otii, vel Alexin, etiamsi is ante annum DCCX in lucem emissus fuerit, vel alias post spretas nugas occupato terrarum expugnatori misisse. Alioquin ab audace juvene, nisi singulari carmine laudationem, nomen, credo, fautoris inscriptum haberemus; neque Grammatici, qui Ciceronis pro suis

deliciis approbationem mentiti sunt (Arg. VI), tam insignis favoris vel tenuissimam umbram reticuisset.

53—55. Noli, Menalca, carmen tuum imminuere; mihi id quidem munus erit gratissimum, cum propter argumentum suum, tum ob prudentem tractationem, de qua ipsa fama loquitur. — Daphnis *puer* poëseos sublimitate imago strenui et audacis Caesaris est, qui saluti gentium vitam diuturnam promittebat. Tamquam formosum juvenem cantus eum Mopsi lugebat, priusquam, inter deos relatus, sempiternae deorum juventutis, quam alii hac vocant, recordationem movere potuit. Modesto animo fingit Virgilius, Menalcam, cujus sub persona ipse sibi meliorem partem carminis vindicat, non id ex tempore fundere, sed multo ante id meditatum esse. *Jam pridem*, quum aliquibus amicis id recitares, laude dignum erat; quanto majore post tam diuturnam limam. Hoc commendationis argumentum nullo modo ad *nuper* supra v. 13 positum spectat. *Stimicon*, nomen pastoris mere inventum. Erant veterum, qui Maecenatis sub eo personam latere putarent, sed cui poëta vixdum ea aetate notus esse poterat; alii ipsius Theocriti patrem Simichonem, a quo ipsum Theocritum VII, 21 Simichidam se appellare. Ita allegoria carminum interpretando perverti potest.

56—80.

Menalcas, postquam, quod fieri solebat, fistula, quam v. 85 dono dat, prolusit, cantum contentionis suae orditur, qui, quum multo ante perfectus esset, sine ullo consilio adhibito ejusdem longitudinis factus est. Haec insunt: Daphnis ad deos evectus est

56—57. Quare laetantur 58—64 dii agrorum et pastores, pacatae bestiae, ipsique montes et campi. Deo salutifero 65—66 ad ejus natalitia celebranda duas aras propter Phoebi aras statuam, et 67—73 bina quotannis solemnia celebrabo, ambarvalium alterum, alterum gratiarum actionis. Hi festi dies anniversarii semper 74—80 ab omnibus hominibus rusticis multo cum successu habebuntur.

56—57. Daphnis ad deos supra arcem sideream evectus est. — Populus ipso anno DCCX, laudatione funebri Antonii incensus, divino cultu Caesarem dignatus est: nec solum aram in ustrina statuit, et tamquam Deo sacrificare coepit, sed etiam in stella crinita inter ludos, quos Octavius, ipsius pronepos et filius ab eo adoptatus Veneri Genetrici edidit IX, 47, Divi animam radiantem cernere sibi visus est *). Anno tamen DCCXII primum solemnis consecratio facta est. Calendis enim Januariis, quum triumviri et universus Senatus in Caesaris leges jurarent, simul constituerunt, ut lararium ei in parte fori fieret, qua corpus ejus crematum fuerat. Imaginem ejus in pompa Circensi (Lb. III, 22) una cum imagine Veneris praeferebant, et, quoties victoria nunciata esset, ipsi aeque ac victori singularis supplicatio decernebatur. Natalitia ejus (a. d. III Idus Jul. a. DCLIII) laureati et hilares omnes obire jubebantur; hac cautione adhibita, ut, si quis id neglexisset, et Jovi et ipsi Caesari sacer esset, et, si vel Senator vel filius senatorius is esset, ut ducenta et

*) Sueton. v. Jul. Caes. 88.

quinquaginta millia denariûm solveret. Dies natalis quum in ludos Apollinares incideret, ille quidem ut pridie ejusdem diei celebraretur, curabant, quoniam, festo Apollinarium die sacra alius alicujus dei facere, oraculum Sibyllinum vetabat. Imago ejus, qui vere deus esset, ne ulla cognatorum in funebribus praeferretur, cavebant; et, si quis ad ejus lararium profugisset, eum ne vel propellere vel rapere liceret: quantum veniae ne deorum quidem ulli praeter eos, qui sub Romulo facti sunt, datum est *). Nunc de poëtica adumbratione. Anima *Daphnidis*, quae ex purissimo aethere creata fuerat, quum primum, a mendis terrestribus purgata, antiquo *candore* suo ad patriam coeli stelliferi rediit, intrans in *limine* splendorem *Olympi* sive arcis Deorum in apice extremi orbis coelestis positae miratur, infra se vel *nubes aëris*, qui usque ad circulum lunarem porrigitur, vel in magis magisque attenuato *aethere* reliquas *stellas errantes* conspiciens. Nomen Thessalici montis *Olympi*, cujus aprica juga dii Homerici incolebant, a seriore aetate, quum notitiae mundi et rerum divinarum amplificarentur, sublimioribus sedibus deorum super coeli templo inditum est: quod coeli templum philosophis concavus et sideribus ornatus globus supra stellarum errantium cursus videbatur; plebi autem opiniosae et si, qui mathematica disciplina leviter imbuti erant, fornicum etiam tum istud Homericorum instar erat, qui in ora orbis terrestris insisterent; praeterquam quod doctrinarum aliquid

*) Dion. Cass. XLVII, 18. s.

parum intellectarum admiscebatur Ep. Myth. I, 27. II, 8. Erat igitur tum demum *Olympus* vel universum coelum superum, quae sedes essent deorum; vel ipse apex, *arx coeli*, supra medium orbem terrarum elatus, in quo circa lacteum circulum, Olympum Homeri imitati, et Jovis regiam et reliquas aedes deorum mentiti sunt. Divos heroës, alii erant, qui, non conspicuos, super crasso aëre telluris nostrae in ipso confinio aurae lunaris, aetheriae quidem, sed etiam tum crassioris, habitare, alii, qui stellas factos supraque aërem et aetherem elatos denso agmine de via lactea fulgere censerent, qua via sensim sensimque emendatos (*Joann. in Arist. meteor. I*, 8) ad altius coelum emergere. At *Caesar* eximius, quem populus sub signo stellae crinitae cernere putabat, illico post mortem, divinae claritatis plenus, inter sidera lucet, quodque in Polluce, Hercule, Baccho, Quirino, post etiam in Octaviano (Hor. III Od. 3. Lb. I, 503) factum est, arcem aeternorum deorum est ingressurus, cujus ipsum *limen* exterius, quanto magis interior magnificentia, admiratione eum implet. Simili modo Telemachus Odyss. IV, 74 atrii magnificentia Menelai non minus percellitur, quam Jovis *aula*:

Haud secus esse puto Jovis intus Olympii in aula.

Nam cum ipso atrio divinarum aedium ut id comparet, a se non impetrat. Unus ex Hafniensibus habet *Olympo*.

58—64. Deos inter relato dii rustici et pastores 58, etiam pacatae bestiae 60, ipsique laetificati montes et campi 62 gaudent. Contentio facta

cum communi luctu in Mopsi carmine. Sapientior antiquitas quum defunctorum virtutem lacrymis turpari putaret, in diis factis et in veris diis ab omni memoria tristium casuum abstinuit, omnibusque signis *laetitiae* v. 72 (nam hic cardo erat sacrorum) tantum potentiam et beneficentiam beatarum animarum celebravit. Maximus Tyrius XXXVIII, postquam monimenta deorum ex sincera materia et emendata forma humana, quae dignissima et maxime divina est, quam novimus, imbecillitatis humanae necessitate excusavit, et divis animalibus Aegyptiorum, quorum mors lugeretur, praetulit, haec gravia verba adjicit: Graecus etiam beneficis hominibus (heroibus) sacra facit, sed eorum virtutes tantum colens, oblitusque eorum infortunii; Aegyptius vel deos ipsos lacrymis honorat! — Dii agri pascui, *Pan* Arcadicus II, 31 et *Nymphae Dryades*, quippe altrices pascuorum silvestrium X, 62, hoc quoque loco deos declarant Romae tutelares; ipsi *pastores* viros majoris minorisve potentiae. Disturbata collocatio verborum cum sera caesura v. 59 (hephthemimeri) insolenter exsultantes significat. Etiam imbecilliores *bestiae*, et ferae et mansuetae, securitate gaudent ab insidiis, quam novus genius praebet. *Oves* et *caprae* (*pecus*) per tenebras insidiantibus *lupis* obnoxiae sunt Lb. III, 537; *cervi* intra oppositos *casses* canibus et funibus pennatis truduntur Lb. III, 371. *Mansuetae bestiae* Romanum, *ferae* victos populos indicant. Nunc tandem in pacata divi Caesaris tutela inermes cives Romani ab incursionibus rapacium populorum e provinciis (nam cogitatio de Ro-

mania ducibus et civibus sub iis militantibus expulsa est) et servientes innocui populi ab avaritia praetorum Romanorum tuti sunt. Lepida adhortatio ad cruentos triumviros (Arg. IV) facta, ut consecratum suum Caesarem, qui, quod Florus dicit, belli civilis miseriam beneficentia exaequabat, imitarentur, et ab agrorum divisione, quam minati erant, desisterent. Eodem modo Theocritus XXIV, 84 divum Herculem laudat:

Mox erit ille dies, quando cervum recubantem
Mordax conspiciet lupus et sic laedere nolet.

Bonus, antiquissima verbi potestate sensibili, fortis; post, intelligibili, beneficus, benignus; ita ut *Jupiter optumus maxumus* cruda in antiquitate potentiam tantum, in mitiore facta benignitatem quoque haberet. Nostratia *gut*, *edel*, *fromm*, *heilig* eadem via progressa sunt. Undique, Menalcas dicit, ubi *bonus Daphnis* felicitatem pacis restituit, laudes et laetitiae de novo numine aures meas circumstrepunt; pastorum et venatorum, in ferissimis *saltibus*, vinitorum, in apricis rupibus, agricolarum inter *arbusta* segetum. Similitudine remota: universum imperium Romanum, Italia omnesque provinciae salute gaudent, quam divus Caesar tulit. *Intonsi montes* hoc loco sunt, quorum longinqua juga nec ligna caedentes neque frondatores adeunt; verum pastores aestate et venatores pervagantur; cf. Lb. IV, 277. Paulo infra depressi montis ad *rupes* vites satae sunt Lb. II, 522; et arationes in valle maritatis *ulmis* distinguuntur Lb. II, 275. Similiter gradibus factis circa praedium Plinii minoris (*Ep.*

V, 6) montes erant cum illaesis nemoribus in capite, post caeduae silvae cum collibus frumentariis, infra vineae; inferius arbusta, postremum prata planique campi. Et in Longi I, 1 montes villa divitis Lesbii habebat feras alentes, planities tritici, colles vitiferos et pascua cum pecore. *Deus! deus!* Graecis (Eust. Il. II, 478) solemnis exclamatio in precationibus erat.

65—66. Salutari deo tibi tua ad natalitia celebranda duas aras ego cum aliis pastoribus propter Phoebi aras statuam. — *Sis nobis*, qui te colimus, *bonus* et *felix;* mala averrunca, et bona praebe! Formula sacrorum, ex majore antiquitate petita; in qua antiquitate tantum aberat, ut cuncta dii benigno suo numine amplecterentur, ut, nisi blanditiis et donis emolliti, eximia beneficia non conferrent. Daphnis cum *Phoebo Apolline* conjungitur; nam, quod v. 56 vidimus, Caesaris dies natalis in sacrum Apollinare incidebat (III Id. Jul.): et propter oraculum tantum Sibyllinum id cautum est, ut pridie ejusdem diei celebraretur. Igitur hoc quidem loco honor *natalitius* significatur. Daphnidi pacis amanti incruenta sacra frugum in *aris* simplicibus feruntur; Phoebo autem hostiae in *aris in altius elatis, altaribus*, caeduntur. *Ara* commune nomen erat mensarum sacrificarum sive cumulorum (ab *αἴρω*, effero) ex terra, lapide, cespite, cornibus exaggeratis et similibus: in quibus vel munera tantum campi dicabantur, vel suffimenta, verbenae, carnes, adeps et ossa crurum comburebantur Ep. Myth. II, 38—40. Sed ad hostias adolendas *ara* interdum affabre factum

capitulum habebat impositum, *altare* sive plurali numero *altaria* (ἐπιβώμιος), unde universa post ara ita dicta est; cf. Servius ad VIII, 105. Una in Plinii X, 13 s. 17. XV, 30 s. 40 accensae eodem tempore arae et altaria dicuntur. Una in Lucretii quoque IV, 1230:

— — — et multo sanguine moesti
Conspergunt aras, adolentque altaria donis.

In cacumine Olympi, Solinus IX refert, aram esse Jovis, in cujus altaribus cinerem extorum nec difflari ventis, nec pluviis dilui. In Lucani quoque III, 404 melior lectio aras cum diris altaribus erectas habet. Et Quintilianus famem dicens *Decl.* XII, 26 lamentatur, aris nulla altaria imponi potuisse; hoc est, nullas hostias homines adolere valuisse. In his altaribus argenteis, quod Curtius III, 3 tradit, agminibus Persicis ignis sacer praeferebatur. Quod Varro dicit apud Servium, diis superis altaria, terrestribus aras, inferis focos dicari, eam regulam fuisse credibile est: sed praeter regulam etiam Laribus I, 7. 44 et diis inferis VIII, 64. Lb. III, 490. Aen. IV, 509. 517 sacrificia in altaribus caesa sunt. Tamen Daphnidi inter deos relato, qui otio suo ipsa animalia camporum laetificat, sacra tantum sine nidore in aris simplicibus placere possunt. *Duae arae* saepe statuebantur, non tantum diis, quemadmodum, quod Pausanias VIII, 30 narrat, templum Jovis Lycaei Thocnae duas aras et duas mensas cum aquilis habebat; sed etiam nobilioribus mortalibus defunctis et consecratis hominibus Lb. IV. 541. Aen. III, 63. 305. Causa, cur id factum sit, in tanta obscuritate

rei sacrificae tam parum dici potest, quam quare Neptuno Aen. V, 639 quatuor arae positae fuerint. Fortasse hoc uno consilio, ut auctius sacrificium fieret, quod est Lb. IV, 538—540. *Duas altaria*, quod Heinsius legendum censuit, ipseque Servius *duas aras, quae sunt altaria*, interpretatus est, duo Hafnienses quoque libri *A* a prima manu et *C* habent; erant, qui *duo* corrumperent, alii, ut versui mederentur, *duoque*.

67—73. Praeter sacra natalitia *binos* quotannis *festos dies* tibi voveo, in principio et aestatis et hyemis: nempe quoties 74—80 agros lustrabimus, et diis agrorum quoties vota solvemus. Quoniam in Daphnide cogitatio salutis superior est, gratiarum actio priore loco dicitur. De humano genere bene meriti si qui consecrati fuerant, Graecus eos inter heroas, Romanus inter *Lares* patrocinantes habuit I, 7. 44. Tales facti honoris *Ambarvalium* mense Aprili, quibus agri lustrabantur, Lb. I, 338 participes erant; quando Cereri et conjuncto Baccho lac, mel et vinum spargeretur, et hostia ter circum agros ducta, prouti res tulit, vel porcus, vel agnus, vel vitulus, caederetur: nec minus gratiarum actionis auctumnalis (*Liberalium*, *Dionysiorum*) post vindemiam mense Novembri vel Octobri Lb. II, 393. 527; quum Baccho haedus, conjunctae Cereri scrofa vel porcus, et utrique cum reliquis geniis primitiae agrorum, sacrificarentur. Ad Ambarvalia adhiberi eos, Tibullus I, 1, ad gratiarum actionem I, 10 commemoravit; quos locos ad Ecl. I, 7 laudavimus. Haec una interpretatio recte digeri potest, parum,

quae de Compitalibus alii infarciunt. *Compitalia* *) Laribus semel quotannis et post Saturnalia demum mense Decembri vel Januario et a solis servis (quod hunc locum dedeceat) celebrabantur sive, quando per temporis rationem licebat, in apertis sacellis in conjunctione viarum, *compitis*, sive ad focos domesticos. Dies iste festus autem, qui in urbibus mense Majo ineunte Laribus publicis, geminis Larae ex Mercurio filiis, et adjuncto imperatori, in memoriam arae consecratae, edebatur, ad homines rusticos non pertinebat. Annus quum ortu et occasu Vergiliarum in serenam aestatem et pluviam hyemem divideretur, illaque sermone populari *messis*, haec satio appellaretur III, 42. Lb. I, 253; *ambarvalia*, quae post dolia reclusa itaque post priora Vinalia a. d. IX Cal. Majas **) habebantur, in principium *messis* incidebant, quum *umbra* arboris aut veli extensi amabatur; et *gratiarum actio* in *frigus* incipientium *pluviarum*, a quo frigore grandi in peculiari *foco* igne, praeter focos sacrificos vel aras, et pone casas ex frondibus structas sese tuebantur. De hoc *igni refovente* Virgilius Lb. II, 528 dixisse videtur; certe Tibullus II, 1, 15, quum in Ambarvalibus Diis patriis futuram gratiarum actionem promittit:

Cernit, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras,
Vinctaque post olea candida turba comas.

---

*) Dionys. Halic. ant. R. IV, 14 p. 671 s. ed. Reisk. cf. Plin. h. n. XXXVI, 70. Varro l. l. V p. 58 ed. Bip. Schneider ad Caton. de re rust. V, 4. Hard. ad Plin. h. n. III, 9.

**) Plin. h. n. XVIII, 29, 69, 3.

Dii patrii, purgamus agros, purgamus agrestes,
Vos mala de nostris pellite limitibus.
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres tardior agna lupos!
Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris
Ingeret ardenti grandia ligna foco.
Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet et ex virgis exstruet ante casas.

Benefico Daphnidi Menalcas in utroque die festo incruenta munera divitis agri vovet; nempe *bina pocula novi lactis* pecudum post partum primo mulctarum II, 22, ut sint primitiae aliquae, quales Daphnidis et Chloës in Longi III; *duasque* majores *amphoras* (*creteras*, proprie amphoras ad miscendum vinum) *oleo* completas, ut in *utraque* ara collocentur: ubi sacerdos summum in flammam infundebat, reliquum, aeque ac liba Lb. II, 394, domum ferebat. Idem sacrificium Lacon Theocriti Nymphis fert V, 53:

Magnaque ponetur nivei tunc amphora lactis
Nymphis: tunc olei ponetur et amphora dulcis.

Hinc in hilaritate *epularum sacrificarum* Menalcas dulcissimum *vinum* se libaturum vovet. *Fundere*, effundere, profundere Aen. V, 98 *vinaque fundebat pateris*, Hor. Od. IV, 5, 34 *mero diffuso pateris*. His innocentibus donis plures deos agrorum separatim precabantur iisque gratias agebant, dum diis principalibus utriusque diei festi, Cereri et Baccho, hostias caedebant v. 74. In secunda mensa solemnis coenae *nobiliora vina* diis libabantur Lb. II, 102; interque peregrinorum nobilissima *Chium* habebatur, imprimis Phanaei promontorii Lb. II, 98, et

Ariusium, a lapidosa regione Ariusa dictum, quod vinum Strabo tamquam praestantissimum Graecorum vinorum laudat. *Nectar*, nomen dulcis et suaviter conditae potionis deorum, melli quoque eximio et dulci vino inditum est; et Tournefortius refert, etiam nunc vinum, quod in regione Ariusia insulae Scio hodie dictae ex uvis mediocriter siccatis prematur, ab incolis nectar nominari. Silius VII, 210:

Tmolus, et ambrosiis Ariusia pocula succis.

Graeco vino, Plinius XIV, 14, 16 s. dicit, usque ad memoriam nostrorum avorum tanta gratia erat, ut singulae potiones in convictu darentur; verum postquam Lucullus, ex Asia rediens, abunde id populo largitus est, et Caesar Dictator in coena sui triumphi tantum Falerni et Chii in convivia distribuit: circiter septingentesimum Urbis annum alia omnia in nobilitatem venerunt. Quare anno DCCXII etiam Mantuano agricolae, qualis Menalcas, in honorem convivii dierum festorum parvulum cadum Chii, cujus pretium, fieri non potuit, quin valde jaceret, sibi comparasse licuerit; praesertim quum ei praecepta nostrorum artium scriptorum, quid pastores deceat, nota nondum essent. Similiter Tibullus rusticus in Ambarvalium die instituit II, 1, 27:

Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis, et Chio solvite vincla cado.

Calathus, proprie fiscina forma lilii sese laxantis II, 46; tum vas similiter fictum ad latices servandos Lb. III, 402. *Calices* hujus formae in Martialis XIV, 107 imagine bacchantium ornati sunt, quoniam

eorum, quemadmodum hoc in loco, in orgiis usus erat; nam hic est titulus *calathorum:*

> Nos Satyri, nos Bacchus amat, nos ebria tigris,
> Perfusos domini lambere docta pedes.

Veteres quoque calathos Martialis IX, 60, 15 cum aliis sculptis poculis conjunxit. Inter epulas sacrificas *cantus* simul cum arte musica, et imitans celebrium artificum *saltatio*. Pridem opinabantur, salutaribus diis hilaritatem placere v. 58. Lb. I, 347. II, 386; ipsique legislatores hilaritatem festorum dierum cum saltatione et arte musica VII, 4 ad excitandam industriam et ad erudiendos homines necessariam esse censebant. Nomina artificum, et alterius origo ex Cretica urbe *Lycto*, ad montem Dicten sita, tamquam celebria aliqua illius regionis ficta sunt. Ita Theocritus VII, 71:

> Inflabit calamos par pastorum, ille Acharneus,
> Hicque Lycopitas; cantans sed Tityrus adsit.

Saltatio quoque *satyrica*, sive rhythmica imitatio gestuum eorum et saltatuum, ad Bacchi cultum pertinet, cujus in comitatu hi dii silvestres VI, 13, quippe leves aliqui et dicaces saltatores adsunt. Nonni XV, 70:

> Et quis conspiciens tunc Thyadis Orgia Musae
> Et satyros imitans choreas saltabat alacres.

Plutarchus *Symp.* VII, 8 inter alia in conviviis saltationem Satyri et Amoris permittit. Ipseque pater Anacreon cecinit XXXVIII:

> Ego senex quidem adsum,
> Silenum at inter omnes
> Salto senex adaequans.

Ex his pompis imitantibus rusticorum Bacchanalium drama Satyricum Lb. II, 380 in Attica ortum est.

74—80. Uterque dies festus tibi, non tamquam familiari alicui Lari a me uno, sed tamquam publico ab omnibus agricolis semper celebrabitur: et quum in hiemali occasu Vergiliarum (circiter principium mensis Novembris) diis praesidibus agrorum, una cum Baccho et Cerere, χαριστηρίοις vota solvemus, et quum in aestivo ortu Vergiliarum (circiter mensem Majum) piaculis et votis agros ad tutelam commendabimus. Nempe cum *Baccho* et *Cerere*, diis principalibus horum dierum festorum, simul reliqui dii praesides rei familiaris et agrorum singularibus sacris et precibus colebantur, et post singulas invocationes, ut nemo omitteretur, communis invocatio insuper adjiciebatur, Lb. I, 21. In Calpurnii II, 65 olitor auctumno, dum alii Baccho capros mactant, Laribus suis et Priapo lancem tantum fructuum fert, mel et liba:

> Nos quoque pomiferi Laribus consuevimus horti
> Mittere primitias et fingere liba Priapo,
> Rorantesque favos damus et liquentia mella:
> Nec fore grata minus, quam si caper imbuat aras.

Hos eosdem dies solemnium gratiarum actionum, quum rusticus, quod ait Aristoteles Eth. VIII, 9, post fruges collectas a laboribus quiescens, Diis primitias ferebat, Horatius Ep. II, 1, 139 intelligit:

> Agricolae prisci, fortes parvoque beati,
> Condita post frumenta levantes tempore festo
> Corpus, et ipsum animum spe finis dura ferentem,
> Cum sociis operum, et pueris et conjuge fida,

Tellurem porco, Silvanum lacte piabant:
Floribus et vino Genium, memorem brevis aevi.

Nunc pastores quoque pro data pastione *Nymphis* sacrificabant id, quod vel Ambarvalium die, vel Palilibus circiter idem tempus (a. d. XI Cal. Maj.) celebratis, *voverant*. Calpurnius II, 63:

Saepe cadit festis devota Palilibus agna.

Nymphis sacrificabatur lac et oleum, interdum vinum et flores, fieri quoque poterat, ut ovis vel agnus, capra vel haedus: Theocr. V, 12, 53, 149. Hor. Od. III, 13. Ovid. Fast. III, 300. In errorem inducti propterea, quod v. 70 ante focum domesticum sacrificetur, resque Siciliae agatur, sunt, qui huc festum quemdam Siculorum diem Athen. VI, 13 p. 250 *a* trahant, quo noctu Nymphis in domibus ebriis saltationibus sacra fiebant. Te, Daphni, omnes Deum habebunt, dum *universa natura* erit. Haec a pastore considerata: *saltus* pleni ferarum, fluvii pleni piscium, *valles* et horti pleni apum Lb. IV, 8, *agri* cum arbustis pleni cicadarum II, 13. Lb. III, 328. Grandiore eam ratione heros Aeneas in terram et coelum, illamque vicissim in maria ex aquosis convallibus, et montes silvis obsitos describit Aen. I, 607:

In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet.

Feri sues, Aristoteles *) inquit, in locis maxime inviis pariunt, in dejectibus praecipitibus, specubus et fruticetis. Ex *flore thymi* **), prae quo *apes*,

*) Arist. h. a. VI, 28.

**) Plin. XI, 14.

teste Plutarcho, violas albas, rosas et hyacinthos contemnunt, optimum eae inde a solstitio mel, sive, quod ante ferebat opinio, ceram suavissime fragrantem ad mel comprehendendum colligunt Lb. IV, 112. Communis *thymus* Romanorum *Thymus* est *vulgaris L.*, parvus frutex erectus et ramosus, spicis florum suaviter olentium, qui plaga meridiana sua sponte in macro et lapidoso solo nascitur *). Thymus in usum apium ex Attica petitus, cujus capitulati, candidi et purpurei flores etiam melius condiunt, *Creticus* sive Graecus thymus est, *Satureja capitata L.* **), *Maretimo* ab Italis, quoniam auram maritimam desiderat, dictus. *Cicada* plagae meridianae, cicada surcularia (*Baumgrille*), *Cicada plebeja* et *Orni L.*, quae etiam cantor (*Singer*) et a Batavis in America lyricen (*Leierer*) dicitur, rotundior est, quam *locusta*, e viridi nigra vel fusca et luteis maculis conspersa, alis pellucidis, quae fuscis maculis conspersae sunt, venis intervenientibus vel argenteis vel ferrugineis, infraque membranae in pectore, quae acrem susurrum efficiunt; ex ore tria fila cava et cornea exeunt, quibus succum foliorum et florum, at ex opinione veterum nil praeter *rorem*, sugit. Neque campos apertos, nec frigida et umbrosa nemora habitat, et in aestu circiter solstitium canit, quum e tettigometra exiit ***). Hesiodi scutum v. 393:

*) Dioscor. III, 44.

**) Consentit Sprengel ad Theophr. h. pl. I, 12, 2.

***) Plin. XI, 26, 32.

Cyanea insuevit quum primum arguta cicada
In viridi ramo residens edicere messem,
Foecundi potu roris nutrita ciboque,
Totos perque dies per mane et fundere cantus,
Corpora quum torret flagranti Sirius aestu.

Quemadmodum a *Baccho* et *Cerere*, potentissimis ac mitissimis largitoribus frugum et fructuum, ita votis a te quoque verno tempore agricolae salutem precabuntur; tuque non minus ipse, quam illi, potens ac mitis, precibus eos concessis obligabis, ut auctumno primitias solvant, quas voverunt. Heinsius correxerat *damnabis voti*, post vero docuit, etiam sextum casum recte se habere.

81—84. Animo commotus in Daphnidem carmine amici natu majoris Mopsus dono ei gratias acturus est. Hafn. *A* habet *carmine vota*, adscripto *dona*. Tres istae similitudines ex anni tempore et loci natura natae sunt. Calore aestivo v. 5 quid magis juvare potest, quam sibilus *venientis*, lente appropinquantis, *austri* per arbores spirantis? Simulque fremitus *orae* leniter a fluctibus circumstrepitae? non maris (nam hic pastores loquuntur Mantuani); sed Benaci lacus a Mincio penetrati Lb. II, 160, qui maris instar erat, et cujus in publice locatis saltibus nunc pascunt. Postremum quid dulcius esse possit, quam murmur *torrentis* praecipitis, qui pastores et greges invitat? Non minus ad locum Theocriti comparatio expressa est I, 7:

Dulcius, ecce, tuum, pastor, carmen mihi lymphis,
Rupe suum stillant quae flumen desuper illic.

Litus, oram maritimam, Plinius IX, 7 quoque minor ripam Larii dicit: *Ad mare tu, ego ad*

Larium lacum. Hujus in litore plures villae meae. Pro *decurrunt* Hafn. *B* falso habet *discurrunt.*

85—87. Menalcas donaturo amico donans antevertit *fistulam*, ex calamis cicutae II, 36 compactam, quam simul et imminuit et auget dicendo. Quamvis *fragilem*, tamen se eam duo non ignobilia carmina rustica *docuisse*, dum pangens vicissim vocum mensuram v. 14 experiebatur. Hae secunda tertiaque Eclogae sunt, quas solas ex prioribus operibus poëta modestus, quamvis sub Menalcae persona pastoribus adjunctus v. 1, dignas existimavit, quas nominaret. Haec ipsa ecloga, quod in argumenti narratione expositum est, ad poëtam commendandum sive Caesari Octaviano sive Maecenati mittebatur; cui additamenti loco utraque nunc laudata adjecta est. *Ante*, prius; quam tu me donabis. Theocritus quoque VI, 42 par contendentium, qui cantu se aequant, muneribus se invicem honorantes facit:

Fistulam hic hinc socio, socius dat tibiam et illinc.

Mopso, fistulae perito, insignis supellex imprimis grata esse debebat.

88—90. At Mopsus *pedum* tradit, quo paulo ante v. 12 haedos pastum egerat, laudans ejus pulchritudinem. Saepe id amabilem *Antigenem* (fictum nomen pueri, quod longe abest, ut aliquem poëtae amicum significet), sed frustra petivisse: tantum id praestare naturae bonitate et crustae illigatae artificio. Pastorale baculum, *pedum, agolum*, cujus in exsanguibus novitiorum hominum poëmatis pastoritiis ad taedium usque mentio fit, aeque ac Franco-

Gallorum *houlette*, firmus fustis erat ex ligno oleagino, *nodoso* sente vel junipero, sed furca addita, qua pecoris crura comprehenderent, longo infra et ferreo spiculo, quod orbis vel Cyprii vel alius aeris ad lignum alligabat. Graeci id vel repandum baculum, *καλαυροπα*, vel clavam, *κορυνην*, vel jaculum in lepores, *λαγωβολον*, dicebant, quoniam id pastor non in greges tantum conjiciebat III, 96, sed etiam ad venationem adhibebat II, 29; quemadmodum vel David id, quum contra Goliathen pugnaturus esset, secum tulit. Vel ab hoc vel a lituo Romanorum augurum lituus eorum originem duxit, qui hodie animas se pascere velle praedicant. Tamquam idoneum pro parvo contentis pastoribus munus Theocritus quoque VII, 128 id a Lycida amico impetrat:

— — — Arridens mihi suavis, ut ante,
Tradidit ille pedum, Musarum pignus amicum.

Hafn. *D* habet *ipse* pro *saepe*, et *B rogarit*. Pro *tum*, quod pristinam, sed nunc praeteritam, amabilitatem indicare videtur, malim *tam* reperire, aut *condignus*, quod primum in *cum dignus* et mox amplius corruptum esse potuerit.

Emendetur

p. 32 v. 12 *transvehantur* p. *transvehant*
p. 56 v. ult. *laborare* p. *loborare*
p. 71 v. 7 post *meliorum* adde *librorum*
p. 124 v. 19 *bipedum* medium interpone inter *etiam* — — *in*
p. 130 v. 10 post *Delphinii minoris*, adde *modo*
p. 149 v. 9 a. f. *DCCXIV* p. *DCCXLV*
p. 150 v. 19 *usuros* p. *usores*
p. 155 v. 9 *dicit* p. *decit*
p. 161 v. 10 *humanum* p. *hamanum*
p. 164 v. 5 post *opiniones* adde *ille*
v. 18 *quem Apollinem* p. *qui Apollo*
p. 167 v. 20 *Pollionis* p. *Pulliones*
p. 168 v. 4 *aetate* p. *aetata*
p. 169 v. 10 *voluntate* p. *voluntata*
p. 173 v. 16 *gramina* p. *gramnia*
p. 175 v. 3 *exspectare fortasse*, p. *exspectare, fortasse*
v. 23 *sive* p. *siva*
p. 177 v. 11 *tellurem* p. *tellurum*
p. 178 v. 5 a. f. *quemadmodum* p. *quamadmodum*
p. 179 v. 26 *triticeam* p. *triticiam*
p. 183 v. 8 post *significaretur* adde *id*,
p. 184 v. 7 a. f. *qua* p. *quod*
p. 186 v. 2 *relligioso* p. *religioso*
v. 9 *circa* p. *circae*
p. 188 v. 13 *vel* p. *rel*
v. 7 a. f. *heroica* p. *horoica*
p. 191 v. 9 *mutuum* p. *mutum*
p. 201 v. 16 *sublimem* p. *sublimen*
p. 208 v. 9 a. f. *mavult* p. *vult*
p. 220 v. 13 a. f. *sacram* p. *sacrem*
p. 222 v. 2 a. f. *remanebit* p. *ramanebit*
p. 223 v. 4 a. f. *modeste* p. *medeste*.

JOHANNIS HENRICI VOSSII

COMMENTARII

VIRGILIANI.

IN

LATINUM SERMONEM

CONVERTIT

Dr. THEOD. FRID. GODOFR. REINHARDT.

PARS II. SIVE ECLOGAE VI—X CUM COMMENTARIO
ET TABULA DE LAPIDE EXPRESSA.

LIPSIAE ET PARISIIS,
APUD BROCKHAUS ET AVENARIUS.

MDCCCXXXVIIII.

ECLOGA SEXTA.

VARUS.

Prima Syracosio dignata est ludere versu
Nostra, nec erubuit silvas habitare, Thalia.
Quum canerem reges et praelia, Cynthius aurem
Vellit, et admonuit: Pastorem, Tityre, pingues
Pascere oportet oves, deductum dicere carmen.
Nunc ego, namque super tibi erunt, qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant, et tristia condere bella,
Agrestem tenui meditabor arundine Musam.
Non injussa cano! Si quis tamen haec quoque, si quis
Captus amore legat; te nostrae, Vare, myricae,
Te nemus omne canet. Nec Phoebo gratior ulla est,
Quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen.
Pergite, Pierides. Chromis et Mnasylos in antro
Silenum pueri somno videre jacentem,

Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho:
Serta procul, tantum capiti delapsa, jacebant;
Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.
Adgressi (nam saepe senex spe carminis ambo
Luserat) injiciunt ipsis ex vincula sertis.
Addit se sociam, timidisque supervenit Aegle,
Aegle, Naiadum pulcherrima; jamque videnti
Sanguineis frontem moris et tempora pingit.
Ille dolum ridens: Quo vincula nectitis? inquit.
Solvite me, pueri; satis est potuisse videri.
Carmina, quae voltis, cognoscite: carmina vobis,
Huic aliud mercedis erit. Simul incipit ipse.
Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere; tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes,
Nec tantum Rhodope mirantur et Ismarus Orphea.

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animaeque marisque fuissent
Et liquidi simul ignis; ut his exordia primis
Omnia et ipse tener mundi concreverit orbis;
Tum durare solum et discludere Nerea ponto
Coeperit, et rerum paulatim sumere formas.
Jamque novum terrae stupeant lucescere solem,
Altius atque cadant summotis nubibus imbres:
Incipiant silvae quum primum surgere, quumque
Rara per ignaros errent animalia montes.

Hinc lapides Pyrrhae jactos, Saturnia regna,
Caucasiasque refert volucres, furtumque Promethei.
His adjungit, Hylan nautae quo fonte relictum
Clamassent, ut litus Hyla, Hyla omne sonaret.
Et fortunatam, si numquam armenta fuissent,
Pasiphaen nivei solatur amore juvenci.
Ah, virgo infelix, quae te dementia cepit!
Proetides implerunt falsis mugitibus agros:
At non tam turpes pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus, quamvis collo timuisset aratrum,
Et saepe in levi quaesisset cornua fronte.
Ah, virgo infelix, tu nunc in montibus erras:
Ille, latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas;
Aut aliquam in magno sequitur grege. Claudite, Nymphae,
Dictaeae Nymphae, nemorum jam claudite saltus:
Si qua forte ferant oculis sese obvia nostris
Errabunda bovis vestigia! forsitan illum,
Aut herba captum viridi, aut armenta secutum,
Perducant aliquae stabula ad Gortynia vaccae.
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam.
Tum Phaetontiadas musco circumdat amarae
Corticis, atque solo proceras erigit alnos.
Tum canit errantem Permessi ad flumina Gallum,
Aonas in montes ut duxerit una sororum,
Atque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis;

Ut Linus haec illi, divino carmine pastor,
Floribus atque apio crines ornatus amaro,
Dixerit: Hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,
Ascraeo quos ante seni; quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo;
Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo.
Quid loquar, ut Scyllam Nisi, quam fama secuta est,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris,
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto
Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis?
Aut, ut mutatos Terei narraverit artus;
Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit;
Quo cursu deserta petiverit, et quibus ante
Infelix sua tecta supervolitaverit alis.

Omnia, quae, Phoebo quondam meditante, beatus
Audiit Eurotas, jussitque ediscere laurus,
Ille canit; pulsae referunt ad sidera valles:
Cogere donec oves stabulis numerumque referre
Jussit, et invito processit Vesper Olympo.

ECLOGA VI. EXPLICATA.

ARGUMENTI NARRATIO.

AB U. C. DCCXV.

L. Marcio Censorino C. Calvisio Sabino, Coss.

AESTIVO TEMPORE.

Virgilius annum agens 30—31.

Silenus ebrius et a duobus Satyris vinctus carmen, ut solvatur, dicit de rerum origine, ex opinione ab Epicuro concepta, indeque, popularibus ex auditionibus, res persequitur usque ad tempora heroica gestas: ex quo carmine pauca poëta, quemadmodum recordatione quasi obviam fiunt, vel accuratius vel strictim iterat.

Aliis autem poëmatis formae Theocriteae etiam antea Virgilius cognitus hoc quidem dicat exordiens bellicoso Varo, laudibus alius amici, Galli poëtae, in cantu divino v. 64—73. additis.

Quippe in nona ecloga v. 26, quae tempore aestivo anni DCCXIV. conscripta est, Varus vir esse conspicitur, a quo Virgilius praedium sibi, quod vi veteranorum militum praeterque Caesaris Octaviani promissum ereptum fuerat, restitutum iri speraverit; ita, ut Grammaticis facile fidem habere possimus, agris

eum dividundis praepositum fuisse Galliae Transpadanae, et, post Pollionem inde profectum, provinciae cum imperio praefuisse. Vari, poëta promiserat, si Mantuam servaret, carmine laudes celebrare; conditione, aliqua ex parte certe, expleta, haec ecloga Vari laudem fert. Igitur aetas sit anni DCCXV., quum, tricesimum annum poëta agens, post pacem Brundisinam extremi anni proxime superioris (Arg. IV.), Octaviano imperatore, ad tranquillam patrii agelli possessionem redisset, ut, moris maturis v. 22., deorum silvestrium sppeculari cantus potuerit.

Eam rem, ex blanda Galli apellatione conjicere liceat, hunc et ipsum, quippe utrique amicum, nonnihil adjuvisse; quum, Servio auctore, a triumviris censere ei eas urbes mandatum fuerit, quarum agri non distribuebantur. Gallus, qui anno septingentesimo vicesimo octavo, quadragesimum annum agens, Aegypto cum imperio praefectus, manum sibi intulit, tunc quidem in annum vicesimum septimum ingressus erat; quam in aetatem et auctoritatis gravitas et firmata poësis laus v. 64. cadere potest.

Grammaticorum denique fabella, Ciceronem quoque hanc eclogam, quum a Cytheride meretrice cantaretur, stupefactum audisse, et laudem de se et de poëta exclamasse, quam in Aeneidis XII, 168. postea illatam esse, ea nulla animadversione digna est. Ad X, 2. docebimur, quam parum istos homines de Galli deque Cytheridis consuetudine animis deliberasse.

Annotata.

1—12. Poëta in nona ecloga anni proximi superioris v. 26. laudes commemoraverat Vari ducis, tresque versus quasi memoriter fecerat cantari. Nunc, uti videtur, expetitus carmini se heroico praetendit parum sufficere, eclogam pro illo dicans altioris spiritus. — Tenuis arvorum poëta carmen ego heroicum susceperam, sed Apolline irato. Quare alii, o Vare, fortiter a te facta canent: equidem carmina tantum bucolica, non quae Apollo vetat, audeo. Tamen etiam haec, sicubi forte placent, tuas laudes sonabunt, eoque surgent animosius.

1—2. A Thalia excitatus cum paucis inter Romanos primus ego leviora carmina formae Theocriteae experiri dignatus sum, nec ad tenuia negotia pastorum silvestrium moratus erubui. Mutatum: *nostra Thalia*, quae mihi meique similibus favet, prima hunc ludum industria sua dignata est. Poëta, *ego* superbum reveritus, unus de multis videri vult. Nobiles Romani an una cum eo eclogam experti sint, nescio; Cruquii scholiastes quidem ad Horatii I. Od. 6. de Varii eclogis sermonem facit; cf. IX, 35. Pari potestate *primus* Lb. III, 10. dictum est. Burmannus carmina tamen intelligit, primae adolescentiae studia, quae bucolica erant, unde poëtam, audaciorem factum, si possit ad epica transitum facere, sed frustra, periclitatum esse. Quasi jam tum carmen epicum poëta serio susceperit! *Thalia*, e Musis sive nymphis animum inspirantibus III, 85. VII, 21. X, 1., nomen a *θάλλειν*, germinare, invenerat, et, Plutar-

cho auctore, *Symp.* IX, 14., sacra erat agricolis plantarum quasi germinantium nutrix; Apollonii scholiaste autem auctore, agriculturae quasi arborumque sativarum inventrix. *Versus Syracusii*, ad exemplum Theocriti Syracusani, qui pastores Siculos meliora canere docuit IV, 1. *Syracosius*, Graeca dicendi forma. In *saltibus* majores per aestatem greges pascebantur.

3—5. Ego, cui gloriae est, quod aliis ruberi, quum *praelia* et *reges* canere auderem, iratus Apollo ad greges me remisit. Carmen de *praeliis* et *regibus* susceptum, quod v. 6—7. comprobant, nullum aliud erat, nisi Vari laudes, quas carmine se celebraturum esse IX, 26. significaverat: qui Varus, sub utroque Caesare dux factus, si minus contra reges Gallicos, contra viros tamen Pompejanae factionis praepotentes, qui more Romano *reges* appellabantur Lb. II, 498. 504., in bello civili, contraque reges cum illis conjunctos excelluisse videtur. *Bellum civile* etiam veteres interpretes apud Servium intelligebant: quum alii de regibus Albanis, quorum nominum asperitate poëtam deterritum a perficiendo abstitisse, alii de Aeneide, Minoë rege in Scylla fabula (cf. v. 74.) et de tragoedia quadam Thyeste nugarentur. Virium imbecillitatem Horatius quoque praetexens petitores sciebat repellere. Varo quo minus stomachum faciat, risum de semet ipse movet Virgilius, Apollo quomodo auribus leniter vellicatis de tenui officio eum monuerit. *Cynthius*, Apollo, a Cyntho, monte Deli, in quo natus est. *Aurem pervellentes* quasi auditi aliquem commonefaciebant:

quem morem Maretus in nummis aeneis, quibus μνημονεύε, *memento*, inscriptum erat, animadvertit. In auricula, Plinius inquit*), memoriae locus est, quem tangentes antestamur. Quod Servius tradidit, auris memoriae consecrata est, frons Genio, digiti Minervae (rarum id inter nostrates), genua Misericordiae. Pastorem agens poëta, uti alias Menalcam, ita hoc loco *Tityrum* se dicit, non illico tamen propterea cujusque Tityri in eclogis obvii personam suscipiens. *Deductum carmen*, carmen orationis ductu leniore; proprie carmen fili tenuioris [*pingues* autem, in exitu versus pondere auctum, tenuitati carminis consulto opponitur]; similitudine a nendo petita, quod artificium etiam tum nobilissimae quaeque matronae exercebant. Quintilianus VIII, 2. p. 67. observavit, Virgilium ita dicere ausum esse. *Vocem deducere*, attenuare vocem, *reddere tenuem et tinnulam*, Macrobio auctore *Sat.* VI, 4., Pomponius quoque, Bononiensis Atellanarum poëta, dixerat; et *Voce deducta*, voce summissa, et ipsi Afranius et Cornificius: quod Propertius II, 33 (24), 38. suscepit, et Nemesianus II, 11. cum aliis in *tenui filo sonare*, sive subtili voce loqui, transformaverunt. Non improbans Horatius II. Ep. 1, 225. *tenui deducta poëmata filo* carmina dicit subtili stamine detexta, eleganter polita: quae imago inter nostros quoque homines trita est.

6—8. Quare fortiter a te factorum, Vare, laudes aliis ego relinquam celebrandas; ipse carmen

*) XI, 103 (45).

pastoritium tenui arundine canere instituam. — Varus, e quo anno DCCXIV. poëtae salus pendebat, parvam, vix suspicatus sit, juvenis Andini eclogam nomen ejus magis celebraturam esse, quam sua ipsius facta fortia. Virgilii tantummodo causa eum novisse cupimus, Virgilii tantummodo opera verisimilis aliquid nanciscimur. Vir, cui Caesar Octavianus in agrorum dividundorum gravi negotio eam potestatem permittere poterat, cujusque virtutem bellicam ad aequales laudari licebat, iste demum, quod videtur, inter clarос tum temporis Caesarianos nominandus certe fuerit. Atqui ab ipso Julio Caesare *Q. Atius Varus* quidam in bello Gallico VIII, 28., et in bello civili III, 37. praefectus equitum fortis atque prudens fuisse praedicatur. Is quum, praeter fidem praeterque fortitudinem animi et prudentiam, Galliae quoque utriusque notitiam haberet: agris Transpadanis Caesar Octavianus, quum describendos ab Antonio impetravisset legionibus, anno DCCXIII. sane eum praeponere potuit; et legatus Antonianus, Asinius Pollio, postquam extremo anno DCCXIII. Perusiam L. Antonio obviam iverat, Brundisii vero cum M. Antonio se conjunxerat, vacantis eidem vel summam potestatem provinciae committere. At legatus, qui agros Transpadanos legionibus descripsit, *Alfenus Varus* a Grammaticis (Donat. *vit. Virg.* 30, p. IV. Serv. VI, 6. IX, 10. 29.) uno ore paene, numquam *Atius*, dicitur. Verum alii Grammatici, objicere licet, ad VI, 6. nostrum Varum cum celebri *P. Quinctilio Varo* commiscent, qui anno DCCXLI. consul erat, anno DCCXLVII. in Syria legatus opibus se ditavit, anno

demum DCCLXIII. cum tribus legionibus in Germania periit, itaque vix anno DCCXV. ultra otiosam juventutem aetate processisse poterat: quidni illi cum celebri ICto. *P. Alfeno Varo*, qui anno DCCLV. ad consularis dignitatis gradum adscendit, eum permiscuerint? Certe id a more Grammatico non ita abhorreret, nisi Servius IX, 10. ex antiquioribus vel nominatim orationem Cornelii, Cornelii Galli uti videtur, in *Alfenum* laudaret, in qua hic ad Mantuam mandata sua migrasse arguebatur. A tam grati testimonio pro Alfeno Varo levis facultas, qua is Atius fuerit, momento longe praeponderatur. At quis fuit denique hic *Alfenus Varus?* Ad speciem quidem praefectus militum fuit, qui, quod in aliis quoque ejus similibus fiebat, nullam insignem famam in historia adeptus, utrumque Caesarem in victoriis reportandis adjuvit, et in agris dividundis, quod mandatum habebat, propter Virgilio habitum honorem honore est dignus habitus, ut ad posteros tamquam eximiae vir fortitudinis traderetur. Juris consultus quidem post celeber factus *P. Alfenus* (sive Alfinius) *Varus*, e disciplina Servii Sulpicii, quocum veteres Grammatici quidam (Serv. IX, 35.) eum confuderunt, vix esse potuerit: quum nec nostro bellicoso Alfeno Varo a laudante poëta juris scientiae studium, neque illi bellica laus usquam tribuatur; juris consultum vero, nisi Horatius Serm. I, 3, 130, ejus certe interpres in juventute Cremonensem tonsorem, aut, quod alii falso contendere videntur, sutorem fuisse praedicet. *L. Varum* Epicureum vero, Caesaris amicum in Quintiliani VI, 3, 78. p. 381. (idem

fortasse, quem Horatius Od. I, 18. Epod. 5. canit, et Quintilianus X, 3, 8. p. 241. testem citat de lenta Virgilii opera, Philargyrius autem ad Ecl. II, 70. quasi interpretem Virgilii) hunc eumdem, quem nostrum Alfenum Varum, fuisse, non negare audeo: quamquam in tenui verisimilitudine negare et tutius et acutius haberi solet. Quodsi Cato aliquis, si Brutus, si Varro, si Asinius, si Gallus bellicam scientiam cum philosophia conjungere potuerunt; quidni *L. Alfenus Varus?* Profecto Donatus Servius, Phocas, sane post antiquiores auctores, testes sunt, et nostrum Varum et Virgilium v. 31. Syronem Epicureum, magni factum a Cicerone *ep. fam.* VI, 11., *de fin.* II, 119. [c. 35.], audisse: quod commodissime causam docere posse videtur, Varo militi quamobrem cantum Virgilius ita ab Epicureis praeceptis ordientem de rerum origine dedicaverit; praesertim quum etiam Gallus additus ex asseclis esset Epicuri v. 64. Itaque per dubie lucentes historiae reliquias ad *L. Alfenum Varum* aliquem pervenerimus, qui Epicuri praecepta sectabatur, et pro Caesaris rationibus in armis erat. Perperam id de ingenioso Virgilii amico *Quintilio* Cremonensi, qui nec bellator erat, nec Varus appellabatur, interpretari velle, aeque insulsum est, atque cum *Vario* poëta IX, 35 Varum commiscere, et, cujus causae Pomponius culpam subiit, cum viro docto *M. Terentio Varrone.* — Erunt, o Vare, qui *laudes* fortitudinis tuae *cupiant*, freti et elati viribus suis, ordiri, et *tristia bella* Romanorum principum v. 3. *condere*, structo carmine epico canere. Ipse vero rusticum carmen inter-

ea meditor, inter cantum tenui arundine modos modulans I, 2. *Tenuis arundo* non eximie stridens esse debet stipula ex simplici calamo vel arundine III, 27.; fistula quoque *Cul.* 99. *compacta arundo*, et apud poëtam, quem Plutarchus περὶ τῆς ἀοργησίας laudat, ὁ κηρόπλαστος δόναξ ἀχέτας *calamus cera effictus et sonans* boves pascentium dicitur; et Euripides *Or.* 144. *spiritus* habet *fistulae ex tenui arundine.* Aptior quidem ad altiorem hujus carminis agrestis spiritum est fistula.

9—12. Non ab Apolline vetitus v. 3. tam ego gravia canam. Attamen, si quis etiam haec carmina rustica, quae mihi Deus praebet, ea si quis amanti animo vel legere cupiat; sive tenuius sive altius spirantia te resonabunt. Nec paginae Phoebus alicui magis adspirat, quam cui Vari nomen in fronte praescriptum est. — *Non injussa*, non injussu Appollinis, Cerda et Ruaeus, meliores quosque auctores Servii sequentes, qui ad illud *aurem vellere* nos animos nostros retro convertere jubent, interpretantur; Catroeus jussum aliquod intelligit Augusti, quem in octavae queque eclogae v. 11. pro Pollione facit jubentem. *Si legat*, quod modestius dicitur, quam *si leget*, Heinsius in Prisciani XVIII. c. 10. §. 87. et in codicibus reperit; cf. II, 57. IV, 59. et X, 33. Humiles *myricae* altique *saltus* poëtae nostro IV, 2—3. quoque imago sunt humilioris et sublimioris carminis rustici; in decimae eclogae versu 13. myricae, carmina humiliora omnino significantes, lauris nobiliorum carminum in arce montium Musarum opponuntur. Hoc quidem in loco eclogam poëta nun-

ciat spirantem altiore aura silvestri, ad quam cogitatio cum de excelso Varo, cui inscribitur, animabit. Mos, quo, qui in agris canebant, accuratiora carmina inter cantus et fistulae alternas vices in cortice insculpebant, ad V, 13. annotatus est. *Pagina*, latus conscripti folii, sive e cortice, sive e ligno, sive e papyro vel charta Pergamena sit: vocabulo ex agricultura petito, ubi *actum quadratum* sive *aream* declarat: unde translatum *plagulam* primum *quadratam* scriptorum versuum indicat. Ita *pagina* est in Calpurnii I, 20.:

> Sed quaenam sacra descripta est pagina fago,
> Quam modo, nescio quis, properanti falce notavit?

Ipsos *versus* dicens, aratri quasi quasdam conversiones rustico vocabulo Romanus dicebat; scripta quoque saepe exarata dicebantur. Ex *Vari praescripsit nomen* apparet, non *Silenum*, sed *Varum*, quo nomine primus Donatus *vit. Virg.* 24. eam appellat, hanc eclogam vere inscribi. Hafniensis *A* pro *nomen*, *morem* vitio scriptum habet.

13—17. Carminis de canente Sileno exordium; cujus cantum sublimem poëta accurate et callide sequuturus, *priscarum Musarum*, quippe dearum *Graecae vetustatis* nihil nescientium *Il.* II, 485, auxilio opus esse existimat. Cultus harum nympharum egregie cantricum, quarum numerum Homerus et Hesiodus novenarium constituebant, dum deae quoque aliae minore numine fontanae, quae poëtis aspirarent, aliis in terris alio numero et nomine celebantur, ex Thracia maturius erudita originem duxisse videtur. Nam *Pieria*, Strabo inquit X. 3

p. 471, et Olympus et Pimpla et Libethron regiones et montes antea Thraciae erant; nunc eos Macedones tenent; Heliconem quoque Musis Thraces dicabant, qui Boeotiam occupabant, una cum antro nympharum Libethridum: veteres quoque artis musicae magistri Thraces dicuntur, Orpheus et Musaeus et Thamyris; Eumolpo quoque (cf. Isocr. Panath.) inde nomen veniebat. *Chromin* et *Mnasylum* juvenes *Satyros* esse, ex priore consuetudine cum Sileno v. 18, ex *pueri* et *senis* comparatione facta et ex nymphae familiaritate apparet, homines quum nympharum et deorum silvestrium conspectu in furorem agerentur, *lymphati*, νυμφόληπτοι. Theocr. XIII, 44.:

Nymphae pervigiles, divae vos, terror agresti.

Et Ovidius *her.* IV, 49.:

Aut quas semideae Dryades Faunique bicornes
Numine contactas attonuere suo.

Quare licet quantumvis Nemesianus in imitatione sua Ecl. III, pastores eos eosdem habere videatur, qui hic v. 85. oves compellunt, et in Calpurnii VI, 48. pastor quoque Mnasylus dicatur: Satyros esse, veteres quoque Grammatici opinabantur, quibus et ipsa nomina ex aliis fortasse carminibus cognita erant; quemadmodum in artis operibus etiam nunc similia haud raro fingi conspicimus. *Satyri*, qui primum ab Hesiodo dii praesides silvarum Peloponnesiacarum fuisse dicuntur, et a pluribus *Sileni* quoque et *Tityri* nominantur, quemadmodum alii dii, genii montium, Panes, Centauri et Cyclopes, formam humanam cum ferarum natura mixtam habebant. Ab antiquis-

simis Graecis perquam auriti exhibentur, calvi, simi, hirsuti, colore sanguineo, cornibus hircinis germinantibus, et caudis equinis vel caprinis additis; seniores vero, eximie postea *Sileni* appellati, barbati. Posteriores artifices, partim capripedes et longioribus cornibus effingentes, ad majorem aliquam Panum similitudinem eos conformabant: Ep. Myth. II, 30. Satyrus, Baccho educato celeberrimus, doctus senex *Silenus* erat, cujus nomen ad Silenos haereditate transiit: Pindaro auctore a Malea oriundus erat, et Najadem in matrimonio habebat; quod alii dicunt, Nympham Meliam, quae Pholum ei, Centaurum Arcadiae, peperit; Theopompo auctore (*Ael.* v. h. III, 18.) Silenus ab Nympha editus erat. Amans omnibus cum gregalibus suis *Iacchi* sive Bacchi, alumni sui, potum furialem, hesternam crapulam simul cum hodiernae initio in antro silvestri nunc edormiebat: quae crapula tamen potorem adeo expertum divini cerebri non tam, quod irrisores ei objiciunt, mente cepit, quam ad sublimes cantus commovit. Ipsi poëtae, Horatio jubente Ep. I, 19, sana mente vi vini exuendi sunt, ut Satyris et Faunis suis Bacchus eos annumeret. Et Epicharmus pater brevi decidit (*Athen.* XIV, 6.):

Non Dithyrambus est, aquam si tu bibis.

Hesternam crapulam hodie resuscitatam fuisse, Sileni recens *corona modo que delapsa* et cantharus etiam nunc e manu pendens indicio est; nam id quidem ferventibus nunc horis diei agebatur, quum cantus subsequens reliquam tantum partem diei occuparet. Fortes potores frontem suam *sertis* e frondibus et floribus

refrigerabant: Bacchi amici pampinos vitium et ramos hederaceos cum flavis corymbis adhibebant. In vinolentiae turbido calore corona deo dormienti non tantum deciderat, sed, quamquam *modo*, paulo ante, id factum erat, etiam *procul* jacebat: i. e. pro ipsa rei ratione longius aberat, quam si sobrius eam amisisset. Istud *procul* satis crebrum est, quod genus Il. XXIII, 880. Aen. XII, 470. Miltonii Eva V, 10. somnii perturbationem capillis sparsis, genis ferventibus indicat. Tamen diligens senex amicum *cantharum*, in quo denique aliquid adhuc vini inerat, ansa, multo usu *attrita*, tam firmiter retinebat, ut incerto statu *penderet* quidem, sed non reclinaretur. *Tantum* cum Camerario ea potestate accipio, qua rarius dicitur, pro *modo*, paulo ante, quam eamdem potestatem *tantum quod* habet. Ita id Servius interpretatur, et ita id Valerius Flaccus VIII, 288. sine dubio adhibet:

Quaeque die fuerat raptim formata sub uno,
Et tantum dejecta suis a montibus arbor.

Faber *procul tantum* conjunctim legens, et ad imitationem τῆλε τόσον Graecorum id dictum esse putans, *satis procul* eo significari posse opinabatur; sed istam Graece dicendi rationem, nullius auctoritatis, ipse Dukerus in annotatis ad Servium refutavit. Aliam vim huic loco illatam reticeo. *Jacentem* et *jacebat* vicinum, si qui sunt, quos offendat, eorum animos *referre* post *referunt* v. 84. 85., non minus in vicinia positum, et *jussit* in eodem loco paulo post iteratum placabit. *Cantharus* proprie *scarabaeus*: vas potorium erat tumido ventre, am-

plum, ansatum, ex argilla, saxo vel metallo, quod communem quidem ad usum adhibebatur, imprimis vero Baccho ejusque comitibus sacrum erat. Quare superba arrogantia arguitur, qua C. Marius post Cimbros Teutonesque victos, non aliter atque Liber pater post Indicum triumphum, ex ejusmodi cantharis *semper* bibebat V, 29: arator Arpinas! indignatus Plinius (XXXIII, 53. Valer. Max. III, 6, 6.) addidit, manipularis (ex humili loco ad summam dignitatem perductus) imperator! De allegoria, quam Servius hoc loco divinat, v. 31.

18—22. A sene venerabili et artis musicae amanti, qui alte volitantem Bacchum educaverat et artibus instituerat, et una cum Marsya et Olympo tibias invenerat *Strab.* X. p. 470, cantum ad occasionem familiaris consuetudinis saepius jam studiosi Satyrisci promissum habebant. Quare juvenili timiditate nunc appropinquant, ut vinculis injectis dilatorem cogant; et lasciva nympha animum iis addit. Vetus populi opinio erat, obstrictis manibus vel vinculis deos ad vaticinandum et canendum cogi posse: quod a Menelao et Aristaeo in Proteo Lb. IV, 396, ab Hercule in Nereo, a Peleo in Thetide, a Baccho in Glauco Athen. VII, 12; in Fauno et Pico, Italicarum silvarum numine, a Numa factum erat. Ipse Silenus prius, quum ex Thracia Bacchum in Phrygiam comitaretur, a rege Mida in ejus rosetis fonte vino temperato ebrius factus, et vinculis injectis ad doctum sermonem coactus fuerat, cujus aliquos locos Aelianus III, 18. e Theopompo, et ex Aristotele Plutarchus *cons. ad Apollon.* servaverunt. Simile

colloquium, priscae sapientiae plenum, idem, Pindaro auctore *Aristoph. Nub.* 223, cum Phryge Olympo, musico e disciplina Marsyae Satyri, quondam instituit. Firmitas vinculi ea in re non reputabatur, quum Silenus, uti hic, ita in Ovidii quoque *Met.* XI, 91. a Phrygibus rusticis *coronis* vinciatur, Amoris instar apud Anacreontem:

Sertis Amore vincto,
Vinctum dedere Musae,
Servaret ut Venustas.

Ambo et *duo* veteres, ad imitationem Graecorum, etiam quarto casu dicebant. Hafn. *C ex ipsis* habet crebriore usu tritius. Najas *Aegle*, sive splendor, vicini fontis nympha est II, 46; eodem nomine una ex Hesperidibus v. 61, et ex Heliadibus v. 62. dicebatur. Petulante nimirum animo senis faciem pugni captu *mororum* oblinit, ut ad hilaritatem eum excitet: ita id ipse Silenus, ad Venerem non indoctus, risu suo et praemio, quod minatur, interpretatus est. Honorem aliquem alicui hac levitate habitum esse, austeri tantum opinari poterant Grammatici, qui non frustra didicisse vellent, deos et triumphantes prius, postea deos, qui agris praeerant, rubro tinctos fuisse X, 27, et Pausaniam *) de incolis insularum Satyridum tamquam de rubris semiferis dixisse. Nicander (fragm. p. 282. N. VIII. ed. Schneid.) *Athen.* II, 11. morum inter prima auctumnum nuntiare, et Columella X, 401. mororum sanguineo succo post ortum Caniculae candidam fiscellam manare dicit. Eodem tempore saltatrici Virgilii v. 21:

*) Paus. I, 23, 7. Plin. h. n. VII, 2. ibique Dalec.

Sunt et mora cruenta et lentis uva racemis,
Et pendet junco caeruleus cucumis.

Sanguinea pro rubra, quales ebuli baccae X, 27. et myrti agrestis Lb. I, 306, ad Pyramum et Thisben nihil id respiciens. Mora *Mori nigrae L.* terris tepidioribus quum sua sponte crescant, *mora Rubi* (Niclas ad Geopon. V, 44.) intelligere non opus est.

23—26. Suavis senex, cui Aegles venustae lasciva petulantia non minime arridet, ridet de captura, et Satyriscos sedulo etiam nunc vincientes hortatur, ut denique solvant; etiam sic se perspicere, quid pueri valeant. Vidisse satis est, futurum fuisse, ut vos possetis! *Pueros*, juvenes Satyros lepide dicit, dum forte factum eorum, quod vix fieri potuisse visum sit, se admirari simulat; quemadmodum in Lycophrone *Athen.* X, 5. cavillatricem narrationem allocutione orditur:

Pueri, patre e probo vel improbissimi!

Plane sciens, iis quid debeat, carmen, quamvis nemine poscente, promittit; nymphae autem, quod moris eum tinxerit, aliud aliquid praemii, quod illa vix a debitore exegerit; cf. v. 47. *Voltis,* prisce dictum, Heinsius in aliquibus libris manu scriptis reperit.

27—30. *Numerus*, rhythmus in cantu inclusus, sive ad concinnam rationem dinumerata, et pro argumenti varietate varians saepe agitatio et motus membrorum versuum, quod veteribus poëtis efficacius esse videbatur, quam sonor adventicius Lb. IV, 175, nunc effecit, ut *Fauni* et *ferae silvarum* ad audiendum approperantes, paribus motibus exsultarent,

ipsaeque arbores prae libidine cacumine nutarent. Tam admirabilis modulati cantus effectus, nostra aetate a cantu aliena (qua pauci versum accurate dimensum sensu vix vel ad aures, nedum ad animum accidente legere sciunt) non defore non dubito, quibus ad ridicilum usque exaggeratus esse videatur. Virgilii aequales, qui rhythmus quid in cantu et in oratione possit, et ipsi planius sentirent (tam plane, ut, Cicerone [*Orator.* c. 63] auctore, aliquando in foro, quum dichoreus apte caderet, populus Romanus laetitia gestiret et applauderet), et qui cumulatas numerorum conformationis laudes ex artis magistris nil admirati audirent: ii ea in re consecratarum fabularum de Amphione, Orpheo et Arione et opinionis recordabantur, quae etiam tum vigebat Lb. IV, 64, qua pastoris, venatoris et apes curantis dimensis sonis ipsae ferae obedirent. *Faunus*, Pici filius, priscus rex Latii, ex iis, qui primi aliquam humanitatem afferebant, post obitum numen agrorum factus vaticinans, *Fatui* i. e. dementis nomine colebatur. Graeca sacra quum irruerunt, ipsum quidem esse *Panem* Lycaeum sive Lupercum, *Faunos* autem, ab eo et a Fauna sive Fatua editos, quorum vox ex silvis, saepeque terrore Panico in proeliis audiretur, Panes esse fabulae a Graecia nuper illatae interpretati sunt. Est, quod notatu dignum videatur, Horatium, quoniam in usum elegantioris et translationum intelligentis Romani scripsit, numquam Arcadico nomine Panem, sed Faunum dixisse; contra in Eclogis Virgilium non nisi Panem, quoniam Graeca soboles Meliboeorum, Tityrorum et Menal-

carum patrio nomine tantum eum dicere consuesset: *Faunos* ut pro Panibus poneret, in hac una a se ecloga impetravit, quae altius spirat. *Ludere*, saltare, I, 10. Hafn. *C cum; B* aeque ac Longobardicus *mutare*, quod ex *nutare* videtur exortum, quod, facile verius, alii legunt: *nutare quoad cacumina*, cacuminibus nutare, cf. IV, 50. Diis animos excitantibus, *Phoebo Apollini* et Baccho, *Parnasus* sive Parnassus sacratus erat, mons Phocidis altus, duplex cacumine, cujus in radice Delphicum oraculum situm orbis Anaximandrei umbilicus esse dicebatur. Scilicet cantus Apollinis, sicuti *Orphei* Thracii Lb. IV, 454, rupes et feras excantaret necesse erat. *Rhodope* montes continui ex Haemo Thracio erant, in quibus Orpheus mortem Eurydices lamentabatur. Propius mare Aegaeum mons *Ismarus* erat Lb. II, 37, Homeri Ciconibus in urbe Ismaro et vino Maroneo illustris. Propertius III, 12, 25. [IV, 11, 25.], quemadmodum et ipse Lucretius V, 30, Graeco more et plurali numero *Ciconum mons Ismara* dicit, et II, 13, 5. [III, 4, 5.] in valle Ismaria, sicuti in vicina Pieria, quercus et feras cantum senis Thracis sequutas esse affirmat. Hafn. *A.* quoque versu subdititio additum habet: *Quantum omnis gaudet mundus cantante Sileno:* ex Servii id interpretatione mendaci enatum; nam ex prioribus mente adjicitur: quantum silvae, quae circum erant.

31—81. Carmen Sileni, ex quo aliqua tantum poëta repetit, Epicureorum sequutum opiniones, mundus, narrat, qui factus sit, et quos eventus ad

tempora heroica usque habuerit. Quatuor elementorum primordia coëunt et componunt, leviora quidem aërem et aethera, graviora terram et mare 31—36; sole et pluvia plantae et animantes fiunt 37—40; vices aetatum terrestrium usque ad diluvium 41—42; tempora heroica, Argonautae 43 — 44; Pasiphaë 45 — 60; mala Hesperidum 61; Phaëton 62 — 63; nemus Gryneum 64 — 73; Scylla 74 — 77; Tereus et Philomela 78 — 81.

31 — 36. Syronem Epicureum Virgilium aeque ac Varum audisse, ea res a Donato, Servio et Phoca coram aequalibus plane inveniri non magis poterat, quam alioquin parum perspicimus, quid causae sit, cur ab Epicureis decretis carmen ordiens Varo inscriptum fuerit. Servius ea auctoritate confisus etiam hanc miram allegoriam proponere ausus est: Silenum esse Syronem, Chromin et Mnasylum poëtam et Varum; nympham autem supervenientem praeceptum Epicureum repraesentare: nil sine voluptate summum perfectumque esse. Verum quid alienis testimoniis opus est? Ipse Virgilius in Catalectis, quorum sincerae originis fidem cum Grammaticis Quintilianus quoque et Ausonius faciunt, praeceptorem suum Syronem laudat VII, 8:

Nos ad beatos vela mittimus portus,
Magni petentes docta dicta Syronis,
Vitamque ab omni vindicabimus cura.

Decimo in carmine quoque *ad villam Syronis* prope a Roma, ubi, dum agri describerentur militibus, quod videtur, inde a vere anni DCCXIII. usque

ad pacem Brundisinam auctumni DCCXIV, cum suis delituit IX, 4, memor ejus animus loquitur:

Villula, quae Syronis eras, et pauper agelle,
Verum illi domino tu quoque divitiae:
Me tibi et hos una mecum, quos semper amavi,
Si quid de patria tristius audiero,
Commendo, in primisque patrem. Tu nunc eris illi
Mantua quod fuerat, quodque Cremona prius.

Ad v. 74. videbimus, Gallum quoque, cujus fit mentio, e disciplina Epicurea fuisse. Ex *Epicuri* opinione (Lucr. V, 417. Plut. *plac. Phil.* I, 3, 4. Diog. Laërt.), quam a Leucippo et Democrito fere petebat, principio infinitum *inane* erat, in quo *atomi*, sive aeterna, individua et quae mente tantum sentiri possent *primordia*, varia et forma et magnitudine et pondere, temere ultro citroque ferebantur. Multo impetu facto, in vasto inani hic et illic deformes moles cogebantur, quae quum seorsim versarentur, innumerabiles mundos constituebant. Nam quum in turbulenta concursione primordiorum sensim sensimque paria cum paribus cohaerescerent; secernebantur variis et formis et sedibus, graviora quidem deorsum, sursum lata leviora: ita, ut ex his atomis non aliter ac *seminibus*, principia rerum, *terra*, *aqua*, *aër* et *ignis* aethereus orirentur. Nam haec quoque corpora, quae ab Empedocle elementa esse dicuntur Lucr. I, 713—717, ex primordiis fiunt, quae ipsa Empedocles Plut. I, 13. cognatas et rotundas particulas, Leucippus et Democritus Arist. *cael.* III, 2. τὰ πρῶτα σώματα, *prima corpora*, Epicurus autem atomos, et Lucr. I, 502. *semina rerum* et *primordia*, principia originum,

prima quoque IV, 187. sive primam materiam dicit. His igitur, quippe *primis rebus*, jam omnia *exordia*, et, quamvis sit *tenerrimum*, ipsum *coelum* componebatur liquidissimi aetheris. Ita Lucretius quoque V, 431. *exordia rerum*, rerum primas dicit origines, id est, quod addit, terrae, maris, coeli et animantium. *Anima*, aër Lucr. I, 716; ψυχή in Orphei *fr.* XIX. [?]. *Liquidus ignis* i. e. limpidus ignis Lucr. VI, 204. hoc loco dicitur, qui magis aether dici consuevit. *Orbem mundi*, i. e. *coelum orbe versans*, Lucretius quoque V, 511. cavam convexitatem aetheris extremam dicit, quae orbe volvitur. *Tener* is orbis non propter praesentem juventutem dicitur, quod genus Lb. II, 343. tenerae res terrae; sed quoniam prae caeteris mundi partibus ex tenerrimis exordiis factus est: quam durantem teneritatem Cicero *N. D.* II, 25, Plinius II, 7. et Marcianus Capella agnoscunt. Gravia terrae corpuscula, quod Lucretius ait V, 450, infimum locum in medio occuparunt; tum primum nebulae instar ex condensata massa multo minores res igneae levis aetheris, laeves et rotundae, evolabant, et circum sternebantur, tamquam involucrum aliquod, sub quo stellae errantes ferebantur. Postea ad mare recipiendum quum terrae pars subsideret, tellusque, aethere et sole siccata, salso sudore profundum expleret, dum circa saxa horrentia molliores valles deprimebantur: plura quoque levia corpuscula vaporis et aëris se extulerunt, et coeli fulgentia templa densaverunt. Sic terrae concreta moles constitit, coagulata totius ex sentina; et, defaecata, ni-

tidis corpusculis mare, aër et aether manserunt, levioribus quibusque gravioribus impositis, quum aether purissimus levissimusque certo motu supra incertas tempestates spirantis aurae flueret. *Nereus*, filius *Ponti*, sive cavernae maris, et *Γαίας*, terrae solidae, imperabat cum quinquaginta filiabus, Nereïdibus, mari mediterraneo, quod antiquissimis Graecis depressum orbis terrestris umbilicum explere videbatur. De diis, qui ad actum terrae formandae adfuisse in fabulis dicuntur, v. *Ep. Myth.* I, 3, p. 13 — 17. Verbum poëticum *discludere* Virgilius, cujus rei Macrobius [*Saturnal. VI*, 4.] testis est, a Lucretio V, 439. petebat. *Formae rerum*, conformatio terrae continentis ad curvas oras, montes, valles, flumina delabentia; sed nullis etiam tum plantis et animantibus.

37 — 40. Terra etiam tum vasta et vacua, crassis vaporibus aër impletus erat. Ecce! repente (rem paene dicendo oculis poëta subjicit), quod quasi sensu rerum natura animata miratur, *novus sol* splendore suo ex nebula exit; et *nebula in altum elata* et in *nubes* coacta, postquam *pluvia* facta est, terram siccitate adstrictam tingit. Nebulae quemadmodum deciduae hilaritatem ferunt Lb. I, 401, ita *summotae* in pluviam vento et sole dissolvuntur Lucr. VI, 513. Novus sol non, qui quotidie renovatur, est Lb. I, 249, qualem esse Epicurus narrabat magis quam credebat. Ex terrae solo praegnante, primum, pluvia et sole elicitae, *plantae* fiunt, herbae, frutices et arbores, denso foetu erumpentes, *silvae*; postea *spirantes animae*, beastiae et ho-

mines, qui adhuc bini fere in *saltibus* alimenta quaerunt Lb. II, 340. A principio, Lucretius inquit V, 781, ita crescebant circa terrae superficiem herbae et arbores, quemadmodum plumae et pili circa adolescentia corpora bestiarum oriuntur; postea animata quoque genera: quae, sicut adhuc post pluviam limus tepefactus multas bestiolas excludit, ita tum temporis, propter juveniles vires tumentis calore et humore terrae et gignentis aetheris, et frequentiora et majora prodibant. Primum verno calore *volucres* ex ovis, uti nunc e folliculis cicadae aestate, exibant; deinde intra terrae sinum uteri fiebant, e quibus maturati et *bestiae terrenae* et *homines* ad lucem per foramina enitebantur, et fontibus lactis, mox autem feris terrae fructibus perpetuo vere alebantur. Pauci adhuc *animantes*, *animalia*, non magis bestiae sunt quam homines, quos Lucretius quoque V, 789. 791. (cf. V, 820. 821.) *animalia* et *mortalia saecla* dicens complectitur. Non secus Horatius, Serm. I, 3, 99:

Quum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus.

Hic *tenuis* adhuc numerus *spirantium et animatorum corporum* primum pererrat per *montes ignotos* quidem, sed fructuum plenos silvestrium, qui tunc quidem Lucr. V, 935—942. et largiores et majores atque generosiores crescebant. *Ut* post *novum* in Hafniensibus quoque libris deest; *splendescere C; cadunt B; incipiunt A. Ignaros*

pro *ignotos*, exquisitius dictum, quod in Virgilii est Aen. X, 706, Heinsius in libro quodam Mediceo, quamvis non optimo, et in Vaticano reperit.

41—42. Origines rerum humanarum ex Epicuri quidem disciplina Silenus canere non poterat, quoniam hunc ipsum Epicurus cum omnibus diis somnia esse censebat. Fabulae de Deucalionis lapidibus, Saturni regno et furto Promethei, ut et cum ante dictis mundi initiis et inter se apte cohaereant, ex rebus varie et traditis et intellectis hic ordo cogitandus sit. Primo loco recens creati *Krono*, sive, quem Romani dicebant, *Saturno* rege Titanio aureum saeculum innocentiae degerunt, semper juvenes, nullo labore et morbo, sempiterno vere et fructuum sua sponte nascentium abundantia, donec post longam felicitatem quasi sopiti obierunt. Proximo loco, *Ζεύς* sive Jupiter quum regnaret, gens erat argentea, jus post centum annorum pueritiam, raro a justitia conventi juvenes moerorem sibi et immaturam mortem stultitia sua parabant, dum nocebant alter alteri, et diis honores et sacra recusabant. Nunc factum est, ut Jupiter, efferatos quum vellet necessitate solertes et honestos reddere, Saturniae felicitatis vestigia a terra deleret ignemque absconderet Lb. I, 131. Sed Titanis Japeti filius *Prometheus* (prudenter prospiciens), qui, una cum fratre Epimetheo (sero sapiente), homines e terra crescentes viribus donaverat, inepta misericordia correptus, sapiens Jovis consilium irritum reddidit; dum in fungosa ferulae medulla, *νάρθηξ* X, 25. ignem, unaque cum igni artis scientiam, aut e Vulcani atque Minervae com-

muni officina, aut de Solis curru furtim abstulit, et ad amatos suos deportavit. Quod ad delictum ulciscendum Jupiter eum in rupe montis *Caucasi*, sub extremum Occidentem antiqui orbis terrarum Graeci, revinciri, et ab *aquila* jecur quotidie redintegratum dilacerari jussit. Dono gens aenea plane corrupta est, quae, omni expulsa justitia, fructu agresti non amplius vescebatur, taurum aratorem caedebat, arma et domos ex aere struebat, et bellum tantum et vim moliebatur Lb. II, 536; donec postremum aeneam gentem nefariam (Apollod. I, 7, 3. Schol. Vill. Il. I, 126.) eluvione perdendi Jupiter cepit consilium. Promethei consilio usi filius ejus, princeps Phthioticus *Deucalion*, et ejus uxor *Pyrrha*, Epimethei et Pandorae filia, in arca fugerunt et ad Parnassum appulsi sunt. Jupiter, ut ope eorum meliorem gentem humanam restitueret, oraculo iis praecepit, ut *lapides* supra caput jacerent Lb. I, 62. Inde a Deucalione jacti fiebant viri, a Pyrrha feminae: gens quidem etiam tum dura, sed justior et melior heroum et semideûm, qui ad Thebas et ad Trojam fortiter factis gloriam adepti sunt, et post mortem Fortunatorum insulas sub rege Saturno in Oceano tenuerunt. Minus trita fabula est, quam Etymologicum (ἰκόνιον) tradit: post undas Deucalioneas Jovem Prometheo et Minervae imperasse, ut simulacra e limo fingerent, et ventis, ut ad ea spirarent et ea viva facerent. Ab illis altero loco creatis ferrea gens, quae adhuc est, ortum habet, quae singulis generationibus pejor fit, et aliquando, summe inquinata, aureae aetati redeunti cedet IV, 4—7. Has res,

quae ante diluvium erant, quoniam Virgilius suis hominibus satis notas esse suspicari poterat, quum nobis ruptim tantum sint traditae; non raro consilio usus primum finem suum proposuit, restitutionem generis humani a Deucalione et Pyrrha factam, postea, a quo initio et qua via homines ad diluvium usque pervenerint. Scriba hoc loco versum assuit: ***Hinc lapides Pirre jactos, primordia rerum, hinc hominum pecudumque genus, Saturnia regna, Caucasiasque*** . . . . ; et aliqui alii: ***Hinc hominum quondam genus et primordia rerum***, vel ***regum***. Suaves monachi homines desiderabant in superioribus creandos, quod tantum „***Animal***, bestia" edidicerant; et poëtae socordiam sarcire volebant.

43—44. Post undas Deucalioneas aetas ***heroum*** erat, cujus, uti par est, paucas tantum res, vel sua sponte vel temporis et loci respectu eximias, Silenus eligit. Electarum quoque poëta tamquam memoriter tantum mentionem facit. Tertia aetate ante Trojam eversam quum ***Argonautae*** vellus Colchicum petituri navigarent IV, 34, et in litore Propontidis ad Mysiae vel Bithyniae urbem Cium, quae post Prusias dicebatur, appellerent; formosus Hylas, Theodamae filius ab Hercule amatus, quum aquam hauriret, a Nymphis aut fontis, qui ipsius nomine appellatur, aut Ascanii fluvii abreptus est. Inops consilii Hercules cum amicis, in litore silvestri quaerentes eum, frustra clamabant; imago tantum voci resonabat, sive, quod Theocritus XIII, 58. narrat dulcius:

Ter clamavit: Hyla! quam guttur ructat apertum,
Ter puer audierat: tenuis vox exiit undis
Sed tamen: et, praesens etiam, procul esse videtur.

Etiam sub Imperatoribus (Strab. XII. p. 564.) puero inter Deos relato a Prusensibus dies festus celebrabatur, quum bacchantes in montibus Hyla clamarent. Ad fontem, Antoninus Liberalis inquit, ei sacrificant; post quod ter eum sacerdos nomine vocat, terque imago voci resonat. Alter versus argumentum sono suo suum imitatur, Graeca ratione dimensus; quum extrema vocalis *a* non proxima vocali liquescat, sed corripiatur, praeterquam in arsi, quae, quamvis brevia, producit: *Hy̆lă, Hy̆lă omne sonaret.*

45 — 46. Canit quoque, infelix *Pasiphaë* quomodo nivei tauri amore solatium acceperit. Poëtice, solatur eam, quemadmodum v. 62. cortice circumdat. Pasiphaë, a Sole (Ἥλιος) et Perse sive Perseide partu edita, soror Colchici regis Aeetae et Circes; quod verisimile est, filia alicujus principis ex interiore Asia, quae vix ad Persiam usque nota erat, nupsit Cretico regi Minoi, Jovis ex Phoenissa Europa filio et avo Idomenei, bellatoris Homerici. Minos, mari potentissimus, quoniam taurum a Neptuno creatum, propter eximiam formam, non immolaverat, sed, ut gregem nobiliorem redderet, destinaverat; Neptunus iratus taurum in furorem impulit, et Pasiphaës tam acrem in eum concitavit amorem, qualis, quo Europa olim permota fuerat, ut ex deo taurum per mare sequeretur. Alii dicunt, ipsam Venerem, ut Solem proditorem ulcisceretur, filias ejus turpi amore irretivisse. Daedali solertis in vacca lignea

voti Pasiphaë compos facta est, et conjugi Minotaurum taurino capite peperit, qui hominibus vescebatur, et a Theseo Ariadnes auxilio vincebatur. ***Fortunata***, ***nisi*** —: contentione acriter pungente, ex qua altitudine ad quam humilitatem adversa eam fortuna dejecerit. ***Candidum*** colorem sacrum, quem, sicut hic, ita in Propertii II, 23, 113. et in Philostrati imagine I, 16. ***taurus*** habet, auctor Neptunus dederat. Nam huic et ipsi non semper atri tauri Odyss. III, 6, sed, laeta victima, candidi quoque offerebantur, ut in Aeneidis V, 236:

> Vobis laetus ego hoc candentem in litore taurum
> Constituam ante aras voti reus.

Ita Bellerophontem Pindarus Ol. XIII, 98, ut, ob Pegasum domitum, equorum domitori Neptuno ***candidum taurum***, ταῦρον ἀργόν, mactet, hortatur: quem candidum taurum interpretes erant, qui, a scholiaste in eum errorem inducti, cum nigro, qui pinguitudine niteat, commutare vellent.

47—60. Rei amplificatio. Verum quid causae sit, aliae fabulae quum ornatum suppeditarent non minus auditu dulcem, quamobrem hanc potissimum, cujus lascivia cautionem requirebat religiosissimam, Sileno tam volupe sit enarranti? Finge tibi animo vultum venustae Najadis, quum, a juvenibus Satyris derisa, sexus sui cavillationem exaudit; et etiam tum de senis irrisoris facetiis dubita, qui praeter promissum praemium nonnihil adjiciens ante diem pernumerat. Nihilo minus tamen non praeter fines decori latus, de amore tantum solatii adhuc experte canit, quem tamquam miserabilem aliquam ***demen-***

tiam excusat. *Puellas* et *virgines* Graeci et Romani uxores quoque adolescentes et matres, qualis Pasiphaë, blande appellaverunt. Ipse poëta et orator C. Licinius Calvus, Catulli amicus, de Io vitiata ita dixerat:

Ah, virgo infelix, herbis pasceris amaris.

Proeto, regi Tirynthis, urbis Argolicae, cujus Acrisius, Persei avus, frater et successor erat, tres erant filiae, Lysippe, Iphinoë et Iphianassa: quae quum vel Bacchi sacra vel Junonem sprevissent, porriginem in capite, qua pili exciderent, et lichenes in toto corpore habebant, et furentes per Argos et Arcadiam discurrebant; donec postremum Melampus Lb. III, 550, cujus de rebus poëma Hesiodi erat, suffimentis et lustrationibus iis medebatur, et Iphianassam in matrimonium ducebat. Quod *vaccas* se esse putaverint, ejus rei antiquiores testes perierunt. *Agros* agnoscit Macrobius *Sat.* IV, 6. et scholiastes Statii Theb. V, 590. *Auras*, quod scribarum vitio in aliquibus libris est, lente dicitur, quoniam Proetides tunc non per campos apparent discurrentes. Levior terra vaccis *arabatur*, quae jugum in cervicibus impositum habebant Lb. III, 167. *Levis* frons calva videri possit; sed *cornua*, quae opponuntur, frontem desiderant, quae sine cornibus sit, eaque et ipsa magis est decora. *Demens*, ut olim illae, *tute nunc* in saltibus vagaris, ut taurum quaeras amissum, qui, te non curans, alicubi interea in umbra quiescit, aut dilectiorem vaccam persequitur. *Tauri* cum grege suo tempore tantum admissurae pascebantur, ad quod Graeci menses Aprilem et Ma-

jum destinare solebant; alias liberi in silvis meabant, quoties libebat, ad septa euntes Lb. III, 224. Hunc insuper Neptunus auctor efferaverat. *Hyacinthus*, caeruleus gladiolus II, 18. Versus, qui pedem Ionicum in exitu habent, Graecis in nominibus Romanus amat, simulque et Graecam conformationem et Graecam metiendi rationem sibi permittit; quemadmodum hoc loco *tus* in *fultus* producitur II, 24. Lb. IV, 137. Hanc elegantiam qui primus audebat, quid censetis, laudatusne sit? Candidus taurus supra purpureum hyacinthum in frigore ilicis VII, 1. ex viridi nigrescentis herbas ex viridi pallentes quam speciose ruminat! Ita aucta pulchritudine flagrans cupiditate Pasiphaë amatum sibi mente fingit; isque amorem ad aemulam ex late diffuso grege suum avertat? *O Dictaeae Nymphae!* plena libidinis exclamat, claudite tortuosas valles horum saltuum, ut errans taurus possit exquiri, et, ubi exitum ei reliqueritis, inde aliquibus vaccis ad stabula Gortynia allici. Pari vehementia in Anthologiae *Steph.* I. p. 37. Amori clamat:

Monte vagum tu me taurum quod amare docebas,
Mugitu quoque me doceas clamare marito.

Saltus X, 57. In *Dicte* monte silvestri, qui ad orientem solem in insula Creta spectat, pascua aestiva armentorum Minois erant, cujus sedes Gnossus erat interior in vicina planitie. Sed prope *Gortyna* sive *Gortynam*, urbem secundo loco potentissimam, viginti quinque millia passuum a Gnosso sitam in campo Str. X, 4 p. 372, ad quem Europam Jupiter abripuerat, pascebatur, quod Servius ex perditis poëtis refert, can-

dida armenta et Soli sacrata, quae in montes non compellebantur, eaque, quod verisimile est, ab hujus filia Pasiphaë custodita. Huc, optat, ut nunc amatum taurum, sive pascua sive gregis appetitus eum in deserta deduxerit, postquam devii tramites clausi fuerint, per aliquas pulcherrimarum vaccarum allicere possit. Institutum et eventum artis Daedaleae cantor reticet. Pro *forte* Hafn. *C.* *saepe* habet; et paulo post *aut herba in viridi captum*, quod Burmannus ex Mediceo *herbam* legendum esse suspicabatur.

61. *Atalantam*, Schoenei in Boeotia, quod alii dicunt, in Argolide aut in insula Scyro filiam, venustate et celeritate claram, oraculum a matrimonio dehortatum fuerat. Quare cum procis pater id pactus est, ut cursu vel de nuptiis vel de morte certaretur. Permulta, quae pro tropaeis in stadio erant, deterrebant capita, quum *Hippomenes*, Megarei Onchestii filius, Neptuni nepos, adveniret. Venus mala ei aurea dederat: quae, simulatque Atalanta cursu eum praeibat, singula in viam conjecit, illaque dum admirabilem fructum collegit, ad metam ipse approperavit. Victor autem quoniam gratias reddere obliviscebatur, Venus eum instigavit, ut cum sponsa sua Cybeles in sacrario concumberet: quam ad rem ulciscendam severa dea leonum formis utrumque induit, et juga junxit. Theocritus III, 40:

Hippomenes quando voluit sibi ducere nuptam:
Cursum mala manu perfecit habens. Atalanta
Ut videt! ut furit! ut toto se immergit amore!

Eadem posteriores de Atalanta fabulantur, heroide Arcadica, Iasi (Iasii, Iasionis) filia, quae apro Ca-

lydonio insignis facta est, et de Melanione, ejus amatore. *Hesperides*, quarum nomina Apollonius Hesperen, Erytheida et Aeglen dicit, custodiebant, quod Hesiodus dicit, in insula Oceani sub occidentem solem sita, quod Pherecydes, in radice Atlantis hyperborei (sive Atlantis praeter spiritum Boreae, a montibus Rhipaeis contenti, siti) in hortis Junonis, *aurea mala*, quae dono nuptiali a terra data fuerant. Ab Hercule in Graeciam translata, haec *aurea*, *hesperia* vel, quod Athenaeus dicit, *citrea poma*, quae *Citrum Aurantium*, *orange* nos dicimus Lb. II, 126, primum ob speciem tantum et odoris gratia ad serta, mensas secundas et vestes servandas adhibebantur, vel ad veneni vim depellendam sumebantur; Plinii autem aetate a quibusdam propter saporem diligebantur. Vetera carmina Dionysia Athen. III, 7. Baccho et reliquos fructus arboreos et haec poma inventa tribuebant: quamobrem Orpheus *fr.* XVII. inter Bacchi mysteria poma quoque Hesperidum canorarum aurea refert, et Theocritus ea II, 120. Bacchi poma dicit. Ad quem locum scholiastes tradit, Venerem, quae arborem Cypri, Ovidio auctore *Met.* X, 647, fulvas frondes et aureos fructus ferentem habebat, Hippomeni, ut Atalantam vinceret, Bacchi poma e corona sua donavisse, et hunc versum, cui Casaubonus medebatur, Philetae Coi, poëtae elegiaci Alexandri aetate, affert:

Mala tulitque sinu, quae Bacchi munere Cypris
Quondam accepta dedit, tempora despolians.

[cf. I p. 69.] *Tum*, *tum* v. 62. *tum* v. 64. Poëtae ad enumerationem idem in principio vocabulum

iterare solent, quale Homerus in scuto Achillis ἐν, et Theocritus XI, 45. ἐντί.

62—63. Tum Phaëthontis filias muscoso cortice vestit, et alnos factas erigit: i. e. mutationem earum in alnos factam aeque speciose cantu proponit, ac si praesens ea fiat IX, 20. *Cortex* hoc loco Virgilius, quod veteres observarunt, sexu femineo ausus est, quum alias Aen. VII, 742. sexu virili id dixerit. Linguae custodes, qui eadem aetate fuerunt, tale quid parum Latinum esse arguebant. *Phaëthon*, lucens, quod ab Homero Solis nomini adjicitur, singulare posterioribus ejusdem nomen erat, Orph. *fr.* VII. Virg. Aen. V, 105. Sil. XI, 371. Val. Flacc. III, 213, et crebro apud Nonnum, secundum quem suum ipsius nomen Sol filio dederat: plane sic, ut *Phoebus*, purus, Apollini adjectum, postea, quum ἀλληγορία deum utrumque misceret, Solis nomen factum est. Ergo *Phaëthontides* sive *Phaëthontiades*, ex communi loquendi usu, *filiae Phaëthontis* sive Solis, alias *Heliades* dictae, quibusdam auctoribus sunt tres, aliis quinque vel septem sorores juvenis cognominis, quem, e Solis curru delapsum, ad Eridanum lugebant. Hesiodo auctore, siquidem Hygino *f.* 154 fides habenda est, parentes erant hujus Phaëthontis, qui perierat, Clymenus, Solis filius, et Merope, nympha Oceani; Euripide Strab. I. p. 33. et plerisque auctoribus, inter quos vel Hesiodus a scholiaste Germanici, a Didymo Odyss. XI, 325. et ab Lactantio ad Ov. Met. II, 325. numeratur, Sol erat et Clymene, nympha Oceani, uxor Meropis, regis ulterioris Aethiopiae. Hunc Phaëthon-

tem Tzetzes tamen *chil.* IV, 137. alium quemdam esse existimat; aurigam autem solis delapsum et Heliades opinatur (sed multa is et alia mira opinans) Solem cum Prote, Nelei filia, edidisse. Tertium aliquem Phaëthontem, quem Pindari scholiastae Ol. VII, 131. minimum natu dicunt, Homeri scholiastes autem Odyss. XVII, 208. ipsum illum nobilem esse tradit, Rhodus vel Rhode nympha ex Sole peperit. Ab his Aurorae soboles (filius, teste Hesiodo Th. 986, ex Aurora et Cephalo genitus et Veneris aedituus factus; eorumdem, Apollodoro teste III, 14, 3, nepos, patre Tithono) non minus diversa est, quam Phaëthon, Aurorae equus jugalis Odyss. XXIII, 246. — Fabula de *Phaëthontis cursu* cum sole perfecto quum edi coepta est, terra orbis adhuc rotundus et ab Oceano circumfusus esse videbatur, situs ille sub coeli camera montibus sustentata et in Cimmeriam noctem et lucem Aethiopicam divisus Lb. II, 116. In hoc orbe terrestri, qua simul ad aquilonem et ad occidentem solem spectabat, defluxit de montibus Rhipaeis, citra quos circa sinum Sardoum Ligures (*Λίγυες*) habitabant, in Oceanum Eridanus sive post Rhenus dictus Lb. I, 481. Ep. Myth. I, 15. II, 12. (50.) per noctem Cimmeriam, quae, postquam ad ultimas partes occidentis solis felices Hyperborei deducti fuerant, sensim sensimque una cum aditu ad inferos ad aquilonem versus protrudebatur Ep. Myth. II, 16. 18 (54. 56.). Phaëthonti roganti, quod Hesiodus cecinit, Sol currum commisit; sed aurigam despicientes, limitem equi migrabant, et omnia incendebant: Aethiopes sive post Indi dicti ad

laevam partem propinquo sole nigrescebant, et, quum vel ad dextram versus supra terram currus aveheretur, Phaëthontem fulmine Jupiter in Eridanum procellebat. Ibi prostratum sorores reperiebant, et moerore in populos nigras mutabantur, quarum lacrymae ab noctu redeunte sole ad electrum (lapidem solarem) sive succinum indurescebant; et Cycnus, vicinus princeps Ligurum, Phaëthontis cognatus, querulus olor fiebat. Fabellam etiam ante Homeri aetatem (nam is ipse novit electrum) Phoenices invenisse credibile est, qui ab Eridani ostio, Cassiteridibus opposito, pretiosum succinum in Graeciam asportabant, et mercaturam, quam soli faciebant, diris Oceani prodigiis, et, si quis, qualis Herodotus, curiosior ad investigandum quaereret, inscitia, quam praetexebant, tueri volebant. Ab hac opinione ordiens, si quis reliquas, quae in doctrina de terris factae sunt, mutationes persequitur: cunctae ei, quas Plinius [XXXVII, 11, 2—3.] nobis et alii tradiderunt, Graecorum de Celtico electro narrationes congruunt, specie quamvis dissimillimae. Primus Pherecydes, quod Hyginus et scholiastes Germanici referunt, Padum, a Phocaeis nuper detectum, Eridanum alii postea Rhodanum quoque eumdem esse dicebant; ita ut vel in Apollonii IV, 627. idem fluvius tribus alveis et in septemtrionalem Oceanum illic, et in mare Ionium sive Adriaticum, inque Sardoum hic influat. Deleta Poenorum mercatura maritima, una cum insulis Cassiteridibus Eridanus quoque electrifer amissus est, donec nominibus aliis aliaque specie denuo reperiebantur. Etiam nunc veteris fluminis opi-

nati vestigia manebant, et in imperitissimo quoque scriptore firmissima Lib. I, 481. Nomen Eridani autem Pado Adriatico, qui celebratissimus erat in erroribus heroum, constitutum manebat: Strabo quamquam, quoniam Eridanum veterum in Celticum Oceanum influere videbat, tantum in vicinia Padi eum positum quaerebat. Nunc vel ad *Padum*, vel in insulis electridibus ante ejus ostium, vel ad vicinum aliquod stagnum sulphureum, silvam esse fabulabantur arborum electriferarum, sive populorum nigrarum, sive *alnorum*, quae ad Padum frequentiores erant, sive laricum aut pinuum, quarum Gallicum nomen *Pades* fluvius habere dicebatur: dum quaerendi studiosiores etiam tum originem succini aut septemtrionali Oceano, ubi ad occidentem solem spectat, aut arboribus resinosis et sole noctu redeunte calentibus, quae ibi essent, tribuere non destiterunt.

64 — 73. Inde Silenus *nemoris Grynei, Apollini sacrati*, fabulosam originem canere instituit; sed ipse, vino quamquam elatus, quomodo id vel elatius vel Apollini jucundius facere possit, quam *Gallus?* Canit igitur: Gallus quemadmodum, quum primum poëtica auderet, ad Heliconem pavide errans, ab una Musarum in montem ductus fuerit; omnes Apollinis poëtae et poëtriae futuro principi praesagientes honorem quomodo habuerint, et de sede sua surrexerint; et Linus, auctoritate gravissimus, quemadmodum a Musis jussus Hesiodi fistulam ei tradiderit, ut *nemus Gryneum*, quo Deus laetaretur, caneret. In hac quoque, ut in reliquis fabulis, diligentiorem expositionem, quae

Galli ex carmine repetenda sit, mente nobis poëta adjiciendam reliquit. Dubito, an proposito inveniendae eclogae, in qua cum praedicatione Galli poëtae Vari, bellatoris Epicurei, laudes scite conjungerentur, acutiore consilio satisfieri possit.

64—66. *Cornelius Gallus*, praenomine dubio, in urbe Gallica Foro Julii anno ab U. C. DCLXXXVIII. natus est, et anno DCCXXVIII. quadragesimum annum agens obiit. Ex ignobili genere tam mature prudentia et fortitudine animi emersit, ut, quum minorem natu Messalam v. 74. triumviri metuerent, ipsum jam anno DCCXI. Asinius Pollio Ciceroni tamquam familiarem suum nominaret, et consuetudinem ei cum hilari sene invideret. Bello Mutinensi utrum cum Pollione M. Antonium, an, quoniam Romae adesset, Caesaris Octaviani propiores vires sequutus sit, nescimus quidem, sed opinamur posterius. Anno DCCXIII. quum agri dividerentur, quod Servius refert, triumviri pecunias eum jusserunt a municipiis exigere Transpadanis, quorum agris parcebatur. Una cum amico Asinio Pollione, Antoniano praefecto hujus regionis, et L. Alfeno Varo, cui a Caesare agri ad dividendum commissi erant, cuique et ipsi Gallus, quum tantis laudibus in carmine ad Vari honorem destinato cumulatus sit, interiore, quam muneris, necessitudine conjunctus esse debebat, nunc quidem, quod Donatus affirmat, ad Virgilianum praedium servandum conferre poterat. Juvenilibus quibusdam carminibus vires experiens circa Heliconis radicem modeste adhuc erraverat, nuper vero Euphorionis de nemore Gryneo, Apollini

dicato, fabulam tam praeclare cecinerat, ut non secus atque Musarum amico, Hesiodum ad sequendum consecrato, Virgilius ei gratulari potuerit. Clariorem etiam quatuor elegiarum libri, venustae Lycoridi X, 2. inscripti, mox eum fecerunt, quibus ejus immortalitatem Ovidius *am.* I, 15, 29. tribuebat:

Gallus et Hesperiis, et Gallus notus Eois,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

Quamquam Quintilianus X. p. 226. duriorem eum in isto genere esse putabat, quam sequentes elegiarum auctores, tersum Tibullum, et, quem alii praetulerunt, Propertium, vel lascivum Ovidium. Traditos ejus habemus, praeter longius carmen juvenile, Cirim v. 74, paucos versus, quos Virgilius X, 46—49. servavit, et vix aliquas reliquias. Quae prius ejus esse dicebantur, ea partim posterioris cujusdam Maximiani, partim fatui alicujus subjectoris sunt. Dicendi facultas, quae in Cornelio Gallo, Ciceronis et Asinii consuetudine mature uso, fuerit, uno ore a pluribus laudatur. Virgilius ei postea non tantum decimam eclogam inscripsit, sed in Georgicorum libro quarto egregiam quoque ei laudationem habebat, quam autem ut deleret post infelicem amici exitum coactus est. Parthenius quoque, qui Graecis literis Virgilium instituit, Erotica sua, quae adhuc supersunt, eidem consecravit. De Aegypto expugnanda Gallus tam praeclare meruit, ut Caesar Octavianus eum ad ejus provinciae praefecturam proveheret. Anno DCCXXVIII. de imprudentibus ad familiares sermonibus et de suspectis conatibus accusatus, Caesaris sententia et severo senatusconsulto ad necem

compulsus est, illacrymante ei Caesare in Senatu: quod sibi soli non liceret amicis, quatenus vellet, irasci [Suet. Aug. 66. Dion. Cass. LIII, 23.]. — *Permessus*, Strabone auctore, cum Olmeio conjunctus, ab Helicone in lacum Copaidem defluit. Hesiodus Theogoniam a narratione orditur, Musas, undis Permessi vel Hippocrenes vel Olmeii lautas, in Heliconis vertice choros celebrasse, et poëtam agnos ad Heliconem pascentem ad cantum excitasse. In Propertii quoque II, 10 (III, 1), 25. Permessus imagine dicitur tenuiorum carminum, quae sublimiores fontes nondum appetiverint:

Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes,
Sed modo Permessi flumine lavit Amor.

Aones montes, eximie Heliconis vertices, dicti ab Aonibus ex montanis populis priscae Boeotiae, ad quos cultum Musarum Thraces v. 13. postea perferebant. *Aones in montes* pro *Aonios*; quod genus, *Medus Hydaspes*. *Atque viro*, quod Arusianus Messius legit, et quod, praeter alios, Hafniensis *C* quoque refert, praeferendum mihi esse videtur, quoniam *ut duxerit* tam prope abest, et actus deducendi et cum salutatione surgendi arcte conjuncti sunt. *Adsurgendi* honos, qui initiando juveni firmatae aetatis (*viro*) propter futuram praestantiam habetur, mos erat et Homerici Olympi et posterioris Graeciae atque Romae. Sophocles senex, a filiis suis quasi delirans in judicium vocatus, quum Oedipo Coloneo, quam nuperrime perfecerat, recitata respondisset; judices adsurrexerunt, magno poëtae admirationem suam ut testarentur. Accius, tra-

goediarum scriptor Romanus, senatori alicui nobili J. Caesari, quoties is in poëtarum coetum veniebat, numquam adsurgere solebat, non immemor quidem, illius ordinis, sed quoniam hic, ubi de scriptis, non de majorum imaginibus, certamen esset, sibimet ipsi plus tribuebat. Virgilio et ipsi, quum ex ejus versibus in theatro audirentur, universus populus Romanus adsurrexit, et forte praesentem inter spectatores poëtam non secus atque Augustum reveritus est. Postremus versus e rarioribus exemplis est, in quibus versus incisio cum incisione sententiae non congruit; versus quidem ad *Phoebi*, sententia demum ad *chorus* residit; cf. III, 33. Eximius quidam poëta, cujus praeclara etiam in doctrinam versuum merita nemo me religiosius veretur, ex his exemplis colligit, veteres versus hexametros nulla incisione scribere sustinuisse, et nobis quoque praeceptum post longam vel brevem syllabam in tertio ictu, et post longam in quarto incidendi negligere licere. Sed nemo Graecus Romanusve ante novissimos Byzantinos hanc regulam migravit; nemo unus versus hexametros scripsit, quibus vel volubilior illa mora *uno individuo vocabulo* retardaretur, quod genus:

> Jetzt, wie die wogende Meerflut | donnerte, hob sich Poseïdon.

Sane vero:

> Jetzt, wie des wogenden Meers | Flut donnerte, hob sich Poseidon.

Qualis versus hexameter, quoniam post *Meers* lenis requies est, non tantum conceditur, sed, ob longi-

tudinis depositione depressae pondus *Flut*, etiam commendatur. Johannes Tzetzes Byzantinus primum per non angustos, sed elegantia et gravitate circumscriptos limites Graecae rhythmi agitationis tam saeve rupit, ut novae post eum formae aut difficili negotio aut plane non inveniri possint. Nostra autem gloria ne sit, versibus ad Byzantinum exemplar Germanis contra Homerum concurrere, sed ad Graecum exemplar Germanis cum eo contendere.

67—71. In Helicone monte, Aganippe fonte ad laevam relicto, Pausanias ad Musarum nemus recta adscendens, primum imaginem Euphemes, Musarum nutricis, et postea *Linum* in parva rupe in antrum excisa invenit, cui quotannis ante Musarum sacrificium inferiae ferebantur. Iste Linus, quem Thebani a posteriore, Ismenio cognominato IV, 56, Apollinis filio, Herculem instituente, distinguebant, ab Urania Musa et ab Amphimaro, Neptuni filio, originem duxit; omnes homines et ejusdem et priorum aetatium cantus gloria superavit, et ab Apolline, quocum se comparaverat, interfectus est. Ejus memoriam cantores peculiari poëmate, *Lino* sive *Ailino* dicto, colebant, quod, quemadmodum Eustathius Il. XVIII, 570. ex Euripide refert, inter luctum et laetitiam canebant, a confidentia, ut videtur, nimia semet dehortaturi. Quare Hesiodus:

Uranieque Linum caram peperit sibi prolem,
Quem, quotquot praestant homines cantu citharaque,
Omnes inque choris plorant lautis epulisque,
Principioque Linum clamant, clamant abeuntes.

Secundum fabulas, quae perierunt, Linus, aeque ac

popularea ejus Amphion II, 24. et Hesiodus, *pastor* fuisse videtur. *Divinus*, a deo concitatus V, 45. Ex *apio* (cujus altera species est montanum apium, *oreoselinum* et *petroselinum*, *Apium Petroselinum L.*; altera, palustre apium, *heleoselinum*, *Apium Graveolens L.* Lb. IV, 121.) serta veteres ad inferias adhibebant; unde suspicari licet, Lini quoque in inferiis apio ejus imaginem quotannis coronatam fuisse; et *amarus*, peracerbus gustatu, quod adjectum est, simul ad luctum quoque quodammodo respicere. In ludis Nemeaeis et Isthmicis, quorum parentalis erat origo, et ipsis coronae victoribus proponebantur, in illis quidem humidi, in his sicci apii, quibus fortasse palustre apium, *udum apium*, et apium montanum significatur. Attamen temporis quoque ad laetioris coronamenta apium erat utile, propinquae mortis memoria laetitiam quoniam excitare volebant. Ita Anacreon in Athen. XV, 4. frontem apio coronatus diem festum Bacchi agit. Ita in comissatione pastor Theocriteus III, 22. coronam hederaceam gerit,

> Inseruitque rosae calyces, fragrans apiumque.

Athenaeus XIV, 7. vulgaris cujusdam saltationis, Anthema dictae, mentionem facit, ad quam imitante gestu cantabatur:

> Sunt ubi rosae?
> Sunt ubi violae?
> Sunt ubi pulchra apia?

Et Horatius, quando de salute summorum amicorum Diis gratias agit Od. I, 36. II, 7. IV, 11. apio se exornat et aliis coronamentis, voluntatis indicibus.

Per Linum atavum Gallo juveni Musae, ut nemus Gryneum canat, plurium *calamorum* arundinem sive fistulam tradunt, qua senex olim Hesiodus, alter Orpheus, silvas ad se excantabat. *En aspice* Hafn. *C.* Exemplar majus aliquod, quam recens Euphorion X, 50, cui fabulam Gallus, sed non Grammatice doctam et obscuram eloquutionem debebat, senex ille Ascraeus fuit, inter heroicas personas Heliconis cultus; is in carmine, quod per aetatem periit, eamdem fabulam de Calchantis et Mopsi hariolorum certamine, quod Gallus in oppido Grynio collocaverat, ante Euphorionem cecinerat, et orationem Galli quasi modulatus erat. Ex epistola Parthenii, fabulis, quas Gallo ille epicarum narrationum et elegiarum in usum collegerat, praeposita, ossa tantum Gallum Graecis e fabulis exilia legisse, easque sua ipsius libidine finxisse, discimus. Sincerior haec et Hesiodo aliquo non indigna alieni argumenti tractatio, non obsequiosa interpretatio, disertas Gallo a Virgilio et hic et in decima ecloga laudes impetrabat. *Ascra* vicus Boeotiae in aspera et montuosa regione ad dextram Heliconem adeuntibus dicebatur, quo pater Hesiodi ex Cyme Aeolidis migraverat. *Ornus*, fraxinus silvestris, brevi, *duriore*, quam caeterae fraxini, et nigriore trunco, et foliis latioribus, et laureae frondis non dissimilibus, quae folia ad pecora pascenda non minus utilia quam ulmi folia erant, *Fraxinus Ornus L.* [Colum. de arborib. XVI, 1.]: nostri eam, de elegantia nominis admodum securi, *Mannaësche* dicunt: quoniam manna (ἀερόμελι) Neapoli ex cortice sudat, quod ventrem ad solven-

dum a medicis adhibetur. Magis inter externos externam arborem (quemadmodum cedrum, cupressum, platanum) suum ipsius nomen deceat, quod facili negotio in nostram linguam transit, neque incommode ad aures accidit.

72—73. *Grynion* sive *Grynia*, apud Servium *Gryna* et *Grynus*, apud Stephanum *Γρύνοι*, urbs Aeolica Myrinaeorum ad sinum Lesbium erat prius nobilior, post Alexandri expugnationem oppidulum tantum cum portu. Non inde procul locus Apollini sacer et vetus oraculum et splendidum templum lapidis candidi aberat. Pausanias I. p. 19. c. 21. aeque ac Servius amoenum nemus, quod circa templum erat, admiratur, in quo arbores fructiferae et non fructiferae, suaves odore et adspectu, viridi gramine, variis floribus cujusque anni temporis et crebris fontibus variatae erant. Erat igitur, quale nostrates dicerent, *un parc;* cujusmodi Longus quoque I. *prooem.* nemus nympharum Lesbium fuisse dicit: Jucundum nemus erat, refertum arboribus, plenum florum et irriguum; unus fons omnia alebat, et flores et arbores. *Luci*, Strabo IX. p. 412. inquit, quaeque loca sacra a poëtis dicuntur, etiamsi arboribus careant. Etiam mare Aeschylus *Pers.* 109. *πόντιον ἄλσος*, sacrarium marinum, dicit. Talibus a templis summae pulchritudinis et dignitatis, omni amoenitate naturae circumdatis, tristi animo ad informes istas, situ plenas, moles lapideas respiciamus, in quibus nos inter sepulcra et cruces et semiruta monimenta deum caritatis quasi contentiosum aliquem vindicem apprecamur. Veteres fabulas de *nemore*

Gryneo, quas Gallus ex chiliadibus Euphorionis Chalcidici, ut libere eas ad colorem quemdam Hesiodeum conformaret, elegit, Servius has tradidit. *Grynus*, filius Eurypyli Mysii, quem Telephus, Herculis filius, genuerat, contra hostes Pergamum, regem Epiri, filium Neoptolemi, ex Hectoris muliere vidua Andromache editum, advocavit, et in memoriam victoriae duas urbes condidit, quarum alteram Pergamum, Grynum, ex Apollinis responso, alteram appellabat. In luco, quem ejus filia Apollini conseverat, Calchas Homericus fatum complevit, quo ei moriendum erat, quum primum in valentiorem vaticinatorem incidisset. Id erant, qui ita narrarent. Vicinus augur Calchantem, qui, quod videtur, oraculo praefuit, vites in nemore serentem conspiciens, vinum eum non gustaturum esse, praedixit. Vites crescebant vindemiaque fiebat. Nunc Calchas una cum aliis augurem ad coenam vocavit, et, quum diis in focum libare vellet, se non solum poturum esse dixit, sed etiam diis daturum et convivis. Eadem, quae ante, ei augur respondit; ad quod, deridens eum, Calchas adeo ridere coepit, ut repente, intercluso spiritu, poculum abjiceret. Ex altera fabula cum Mopso, non illo Argonautarum augure, sed filio Apollinis, aut Rhacii ex Manto, Thebani Tiresiae filia, Calchas certabat. Periclitabantur, pomorum numerum, quae in arbore essent, edicere. Calchas victus est, et aegritudine periit. Illud certamen plerique Clari, urbe Colophonia, quae oraculum Apollinis a Manto institutum habuit, alii in Cilicia collocabant. Inter hos quidem Sophoclem Strabo XIV. p. 642, inter illos Hesiodum habet, cujus hos

versus refert. Mopsus, in vicinia, uti credibile est, oraculi materni habitans, a Calchante peregre eunte interrogatus est:

Miror ego mea mens intusque stupet, caprificus
Quot grossos habeat, gracilis; numerum mihi dices.

Ad quae Mopsus respondet:

Millenae numero decies, modus estque medimnus;
Tantum est una super, modius quam cogere nescit.
Dixerat; et numerus modii verus fuit ille.
Calchantemque simul leti texit sopor umbra.

Pro *Grynei* Hafniensis *D* *Cyrnaei* habet scribae vitio.

74 — 77. Ex his versibus tres posteriores e Ciri v. 59 — 61 ad verbum expressi sunt, nisi quod pro *Ah timidos*, ferventiore, *depressos* ibi lente dicitur. Praeterea alii quoque eximii loci ejusdem poëmatis sunt, quos Virgilius in summa ipsius opera transtulit. Quaeritur, utrum ex suo carmine juvenili, quemadmodum plura e *Culice*, in perfectiora opera emendatos transscripserit; an ab alieno et a quonam eos petiverit; nam recentiorem aliquem furtivis coloribus tam incallide suas plumas exornasse, id ipsa ad Messalam inscriptio redarguit. Virgilii autem vix esse carmen potest, quum, praeter temerarium aliquem apud Servium VI, 3, id ei ne Grammaticus quidem tribuat, neque exordium cum ejus aetate et rebus privatis, nec sermo cum ejus suppari tempore scriptis congruat. Auctor ubi Messalam alloquitur v. 1 — 47: Quamquam ab laudis amore et a fallaci aura populari ad Atticos hortos sapientiae i. e. Epicureae disciplinae se convertat, Messalae tamen hoc munus, ait,

insuper se conficere velle, antequam Musas suas quiescere sinat. Messala quidem, docto juvene, sublime carmen philosophicum dignius fore, ad quod efficiendum sibi autem vires adhuc colligendas esse. Interea tradere se haec, quae possit, diligentiora rudimenta juventutis; exordia non magnarebus ab illo gerendis praemissa. Juvenis ergo poëta, qui, vario modo ingenii vires experiens, ambiebat gloriam, nunc dedicat, quum per aliquod tempus Epicureae philosophiae se dediturus sit, limatissimum, quod in juventute composuerat, carmen ingenioso et ad praeclara facta adspiranti juveni Messalae. *M. Valerius Messala*, nobilis orator, dux et patronus artis Musicae, quam ipse exercebat, anno ab U. C. DCXCV simul cum Livio natus est, et anno DCCXI, quum Antonius triumvir eum proscriberet, ad Cassium et Brutum in Macedoniam transfugit. Post pugnam Philippensem anno DCCXII adolescens octodecim annos natus delatum sibi imperium reliquorum civium libertatis studiosorum recusavit, et plerosque permovit, ut secum ad Antonium transirent. Antonium constanter sequebatur, donec et ipse, non minus quam Asinius Pollio (Arg. IV), post pacem Brundisinam anni DCCXIV luxuriantis imperatoris in Cleopatram obedientiam aegre ferens, Caesaris Octaviani partes praeferebat: quem anno DCCXVIII in victoria de Sexto Pompejo, et anno DCCXXIII consul factus in victoria Actiaca de Antonio reportanda adjuvit. Illud carmen igitur, quod juveni Messalae inscribitur, qui adhuc doctrinam tantum et facultatem ad res gerendas ostenderat, ante bellum Mutinense conscriptum essse debet; ut etiam anno

DCCXII Virgilius versu quinto et undecimo secundam eclogam emendans versus ejus 208 et 370 imitari posset. Et cujusnam magis id, quam *Galli* opera scribi potuerit, qui, quod vidimus v. 64, anno DCCXI juvenis 22 vel 23 annorum una cum sedecim vel septemdecim annos nato Messala Romae vivebat, et ingenio suo Asinii Pollionis amicitiam et ad senem Ciceronem propiorem aditum meritus erat? Fieri non potuit, quin duo tam strenui et eloquentiae dediti juvenes, familiaris Ciceroni alter, alter eodem studio triumviro Antonio, capitali Ciceronis inimico, invisus, amicitia sibi obviam venirent. Singulares ejusmodi fabulas, quales erant de Scyllae Nisaeae conversione et de nemoris Grynei origine, plures Gallus exsequutus esse debet; quoniam Parthenius ei Erotica in usum epicarum narrationum et elegiarum ex instituto collegit. Ita demum Gallus Ciris in principio aptissime de se praedicat: *vario* adhuc laudis amore se jactatum esse, nempe quum arti poëticae, eloquentiae, arti militari operam daret; irritaque praemia *fallacis vulgi* se expertum, hoc quidem imprimis, quum caussas oraret forenses. Quae pauca Virgilius ex hoc carmine petiit, ea minime paupertatem arguunt nativae inventionis (vere pauper rapinam factam facile immutans occultasset), sed gratum animum. Aperte id eclogae produnt, in quibus depromta quaeque in secunda, tertia, quarta, sexta, octava et decima, itaque in talibus quibusque leguntur, quae cum respectu vel Asinii Pollionis, Galli amici, vel ipsius Galli scriptae sunt. Nec minus aperti honores sunt, qui in altera parte habentur quarti libri Georgicon, quae Galli

laudes prius continuit. Vide Lb. IV, 394. Mirifice autem Gallo blandiri debuit, quod hoc quidem in loco Silenus animo elatus non tantum novissimum et maturissimum de nemore Gryneo carmen, laudans id, quasi munere Musis ab ipsis sibi imposito, cantu refert; sed etiam ex hoc antiquiore, quocum ad Heliconis radices Gallus adhuc erraverat, locum aliquem, leviter eum emendans, repetit, ipsique de luscinia fabulae v. 81 probabilem ex eodem carmine versum infert. Video, Gifanium quoque et, post eum, Barthium, qui primum negaverat, et novissime Fontanini Italum Cirim Gallo tribuisse; verum eorum argumentationem quum non magis, quam Schraderi refutationem, cognitam haberem, mea mihimet ipsi ingredienda ratio erat.

74 — 76. Quid referam, ut Scyllam — — deest, proposuerit, *narraverit* e versu 78; quae formula continuationis Romanis admodum trita est. *Quid loquar*, *ut*, quod liber Romanus habet, legi videtur necesse esse; quoniam *Quid loquar aut Scyllam* ad auditoris animum, qui *aut* quidem, quod sequitur, sed *ut* non aeque cogitatione praecipit, nihil aliud sit, nisi: Quid de Scylla praeterea sermonem faciam; quod illepide dictum esset. Hafnienses omnes *aut* falso habent, et *D quid loquor*. — *Scylla*, cujus fluctus pericula nautis tum oram imperite legentibus minabantur, rupes infamis Italiae ad fretum Siciliense; σκύλλα i. e. *canis* nomen ab undis invenit latrantibus, quae inter dentata saxa caecae scopuli radicis rotabantur. His nauticae fabulae et vetera in heroos errores carmina monstrum superaddiderunt horribile; Homero quidem auctore Odyss. XII,

73, dracaena erat sex capitibus, quae celso ex antro exesae rupis duodecim pedes priores et sex colla immanis longitudinis porrigeret, quibus belluas marinas piscabatur, et sex homines Ulyssi simul auferebat. Posteriores poëtae aetatis Pindaricae (Epp. Myth. I, 33) paulatim formam ejus mutabant, et postremum nympham marinam in radice rupis Scyllaeae fingebant, cauda delphini vel piscis vel hydrae, et circa inguina phocis vel lupis exstantibus, quorum et numerum et positionem ad suam unusquisque voluntatem inveniebant. Ortus quoque variabat. Apud Homerum Crataeidis filia quum esse diceretur, parentes ab Hesiodo Phorbantem et Hecaten accepit; ab Acusilao et plerisque Phorcyn, patrem Graearum et Gorgonum, et Hecaten cognomine Crataeidis; a Stesichoro Lamiam; ab aliis, quos Hyginus et Eustathius non nominant, Typhonem et Echidnam, vel Tritonem, qui, quod videtur, quum primum fabula traderetur, jam tum cum filia sua semimarinae belluae imagine fingebatur, Epp. Myth. II, 23. Verum etiam Megarensi *Scyllae*, *Nisi* regis filiae, Lb. I, 404, quae, quod Minoëm adamabat, patri suo capillum purpureum absciderit, et, poenam ut solveret, ciris, avis marina, facta est, Propertius et Ovidius et enarrator Lycophronis formam semiferae illius nymphae marinae tribuunt, et Gallus in *Ciris* v. 54 auctor est, multorum et praeclarorum poëtarum hanc opinionem fuisse. Enarrator Lycophronis tradidit, in mari quoque pulchritudinem suam ab initio incolumem servasse, et a Neptuno amatam esse; sed invidam Amphitriten venenis effecisse, ut mutaretur et sex singularia ca-

pita mutata haberet. Ex reliquiis carmine a multis celebratae fabulae *Nisaea Scylla*, postquam mutata fuerat, primum ad Argolicum promontorium Scyllaeum prope urbem Hermionen habitasse videtur. Enarrator Euripidis Hippol. 1200 refert, postquam Minos eam, ad puppim navis religatam, per sinum Saronicum traxisset, in mare praecipitatam, bestiam factam esse, mutata tamen non natura ejus: quo additamento monstrum significatur cum parricidae crudelitate. Cadaver, Strabo VIII. p. 373, Pausanias II. p. 77, et Eustathius Dionys. 422 inquiunt, fabulas in historias convertentes, ad promontorium Scyllaeum prope Hermionen, ubi sepeliebatur, appulsum est. De pluribus ejusmodi fabulis Hermionii gloriabantur, ad quas pestis aliqua dilacerans in illis litoribus, quae caecis scopulis fortasse prominebant, non parum quadrabat. Inde enim ab iis breve iter ad inferos esse dicebatur; quare nihil pro vectura mortuis addebant. Iidem templa et aras deorum inferorum habebant, et terrae monstrabant voraginem, per quam Hercules Cerberum eduxerit, Plutoque Proserpinam rapuerit. Praeterea non tantum Lucretius IV, 737. V, 890 et Statius *silv.* V, 3, 280 Scyllam plus unam agnoscunt semimarinam, canibus succinctam; sed ipse Virgilius Aen. VI, 286 plures in vestibulo Orci posuit: quas Servius umbras *Nisaeae* et *Phorcyniae* fuisse interpretatur, quoniam et illa secundum quosdam auctores in piscem i. e. in belluam marinam conversa fuerit. At quid umbrae? Ipsa monstra, quando fabularum sedes clarescerent, una cum sedibus ad terrarum terminos parum cognitos aut ad inferos proferebantur: Lethe,

Avernus, Eridanus. Quod majus sit, Orpheus subdititius Arg. 1134 propter Oceanum, qua ad occidentem solem et ad septemtriones spectat, ipsam Hermioniam reperit, prope ab eo, qui tum erat, ad Orcum aditu. Quare quid mirum, quod, qua aetate, quum saepius litus Argolicum navibus adiretur, Nisaea Scylla biformis locum suum non amplius tenere posset, poëtae aliqui in fabuloso etiam tum freto Siciliae eam posuerint: partim in vicinia prope Homericam filiam Crataeidis, sive posteriorem Phorcynida; partim etiam pro illa. A Niso, comminiscebantur tum, monstrum originem duxisse, quod, oppositum Charybdis gurgiti, praetervehentis Ulyssis comites nonnullos canibus suis succingentibus dilaceraverit.

76—77. Quemadmodum haec ipsa *Scylla* et origine et forma sua ab Homerica discrepat, ita reliquae quoque partes fabulae. Nam Homericus Ulysses neque regnabat *Dulichii*, neque a Laestrygonibus plus *unicam navem* servaverat. *Dulichium* ex insulis Echinadibus ad limosum ostium Acheloi Il. II, 635 erat, quarum princeps Meges cum quadraginta navibus ad Trojam proficiscebatur, quum princeps Cephalleniae, Ulysses, duodecim non amplius haberet. Ipse Herodotus II, 10 alteram partem Echinadum limo aggesto cum continenti terra continuatam vidit, et Thucydides cunctarum brevi tempore similem sortem futuram praedixit. Inter primas *Dulichium* Homeri, tritici ferax et herbosum, cujus quinquaginta duo nobiles juvenes Penelopen ambiebant, accrevisse videtur. Strabo enim X p. 458 reliquas, quae quinque vel quindecim stadiis i. e. intra dimidium milliarium

Germanicum ab ostio, numero adhuc idoneo, erant, asperas omnes et parum fertiles dicit; itaque suam ipse opinionem refellit, Dulichium Dolicham adhuc esse manentem, quod nomen plures insulae a longitudine sua [δολιχός] habebant, Spanh. Callim. Dian. 187. Pausanias causam adjicit, cur factum sit, ut Achelous aliquas adhuc Echinades reliquerit; sed Eustathii aetate Dionys. 435 omnes una cum Tapho continens terra factae erant. Ulysses regnabat Cephallenitis in insulis Ithaca, Samo sive Same, quae postea cognomen suum Cephalleniae, quo ab aliis distinguebatur, in nomen accepit, porro in insula Zacyntho et aliis quibusdam minoribus, nec non in ista Acarnaniae paeninsula, ubi Nericus urbs erat, quae post Leucas insula facta est. Dulichium, quum oblitesceret, quemadmodum Taphus ab aliis, ita ab Hellanico (Strab. X p. 456) eadem, quae Cephallenia insula, fuisse dicebatur; a Pherecyde, quem auctorem Pausanias et alii sequuntur, eadem, quae Paleis, urbs Cephalleniae; ab Androne autem, quocum scholiastes Homeri ad Odyss. I, 246 consentit, certe insula quaedam regni Cephallenii esse putabatur. Ipsam Ithacam, erant, qui id esse censerent: nam non Servius tantum de Ulyssis domestica insula Dulichio, ubi mons sit Ithacus, sermonem facit; sed etiam fabularum intelligens Propertius II, 14 [III, 6], 4 et ipsam nomine Dulichia, et, quemadmodum Ovidius in pluribus locis et Martialis XI, 70 [69], ita Dulichium omne vocat III, 5 [IV, 4], 17, quod ad Ithacam pertinet. Nunc ipsum Dolichia portus dicitur Theaki sive Ithacae insulae quidam, qui ad orientem solem

spectat. Qua re Wheelerus in eum errorem inductus est, ut hanc insulam Dulichium Homeri, et, quod non minus Odysseae repugnat, Jothako, rupem aliquam procul remotam, Ithacam esse putaret. Pro *lacérasse* in Hafniensi *D lacerare* est.

78—81. Conversio lusciniae et hirundinis quomodo facta sit, id diversissime a Graecis traditur; nisi quod illa semper mater, quae partum suum necaverit, haec vitiata illius soror sit. Apud Homerum Odyss. XIX, 518 *Aëdon*, Milesii Pandarei filia, Itylum, suum filium, e Zetho editum, dum filium se Niobes, invisae suae adfinis, ferire putat, interficit, et luscinia fit. Hanc fabellam Ionicam Boeus Ant. Lib. XI ita mutatam habet: Ephesii Pandarei filia *Aëdon* Polytechno nubit, Colophonio artifici, ex eoque Ityn parit; maritus in *Chelidone*, ejus sorore, peccat; sorores ambae Ityn caedunt, patrique eum in mensa apponunt; post aliquas turbas, tota domo conversa, fiunt: Pandareus haliaeetos, uxor ejus alcedo, Polytechnus pelecanus, a πέλεκυς securis, Aëdonis frater epops, ipsa fit luscinia, quae *Ity* lamentatur, et Chelidon hirundo. Magis trita altera fama Phocidis et Atticae, propter Athenis, quod verisimile est, editas in theatro fabulas, facta est. In his et in Thucydide II, 29 et apud omnes antiquiores, inter quos jam Hesiodus Lb. 568 numerandus est Ael. v. hist. XII, 20, ita historia fertur. *Procne*, filia Attici regis, Pandionis prioris, qui ex Nisi istius majoribus fuerat, nupsit *Tereo*, principi Thracum, qui Daulidem sive Dauliam Phocidis occupaverant. Ejus filius, *Itys*, quum adolesceret, Tereus

Athenas profectus est, Procneque eum permovit, ut Philomelam inde secum sororem adduceret. In itinere eam vitiavit, et linguam, ne facinus palam fieret, ei exsecuit. Telam texens id Philomela sorori patefecit; quo facto utraque, ut se ulciscerentur, Ityn mactatum patri cibo apposuerunt. Is eas, cognitis reliquiis, quum telo persequeretur, miserationem illae a Diis precatae, omnes mutatae sunt. *Procne*, *luscinia* facta, in silvas avolabat, *Ity* miserans; *Philomela*, domestica hirundo, curto stridore, ob detruncatam linguam, *Tereu* pipilabat; et Tereus, etiam quum epops esset, *Pu* sive Ubi exquirens clamabat. Hesiodo auctore perpetua insomnia luscinia punita est, quae Graecis in proverbium venit; hirundo, propter levius crimen, semisomnis facta est. Gorgias, quod Aristoteles Rhet. III, 3 narrat, quum ab hirundine conjiceretur: Turpiter, inquiebat, egisti, Philomela! Hanc Atticam fabulae formam, pauca immutantes, Apollodorus, Varro, Pausanias, Anthologia, Nonnus, enarratores spectatarum fabularum et Tzetzes retinuerunt. Aliqui recentiores tamen servabant quidem historiam, sed permutato utriusque sororis nomine: ita ut *Philomela*, Terei uxor, *luscinia*, et vitiata *Procne hirundo* fieret. Haec exempla Eustathius Odyss. XIX, 518 sequitur, praeterquam quod postremum, suimet ipse oblitus, ex antiquiore narratione repugnantia nomina affert. Haec Virgilius quoque et hic et Georg. IV, 15 et 511 sequitur, ubi *Procne hirundo*, et *Philomela luscinia* est; haec Petronius quoque, poëta Aetnae, alii. Haec opinio inter Romanos, qui nomen Philomelae fortasse de cantus amica interpreta-

bantur, regnasse videtur. Inde apparet, quare conversionem utriusque sororis, quamquam maximum ea ornatum dicendi suppeditabat, Ovidius tamen *Met.* VI, 433 — 674, cujus in narratione, plane ad Atticam conformata, Procne luscinia fieri debebat, egens consilio, ut dissimulare nequiret, et ambigue dicens dimiserit:

— — — Petit altera silvas,
Altera tecta petit, neque adhuc de pectore caedis
Excessere notae, signataque sanguine pluma est.

Alio loco *am.* II, 6, 7 — 10, quemadmodum Virgilius et plerique Romani, matrem esse Ityos querentem Philomelam facit:

Quid scelus Ismarii quereris, Philomela, tyranni?
Magna, sed antiqui causa doloris Itys.

Contraque *fast.* II, 853 — 856, utroque narrationis genere permixto, Procnen, hirundinem, Terei autumat esse uxorem, quae Ityn peperit:

Fallimur? an veris praenuntia venit hirundo;
Et metuit, ne qua versa recurrat hyems?
Saepe tamen, Procne, nimium properasse quereris;
Virque tuo Tereus frigore laetus erit.

Hoc tertium Atticam fabulam narrandi genus, quod, servato utriusque sororis nomine, conversiones earum factas permutat, apud neminem Graecum, sed apud plures Romanos poëtas ego reperio; Servius quoque et Probus ad hanc eclogam affirmant cum Hygino XLV, Procnen, impiam matrem, hirundinem factam esse; vitiatam Philomelam lusciniam; quamvis Servius ad Lb. IV, 15 opinionem vere Atticam defenderit. Quarta, quae esse possit, fabulae immutatio,

qua Philomela, mater, hirundo facta fuerit, apud neminem est, quod ego sciam. — Videamus nunc de Virgiliana imagine, quae, ex secundo illo narrationis genere, *matrem Philomelam lusciniam* constituit, et summa lineamenta tantum horrendi exitus complectitur. *Philomela*, mater Ityos (mater enim quomodo abesse possit?), postquam *Tereus* conjux *dapes* modo finiverat, caput ad eum et pedes mactati filii *dono* projicit. Dum Tereus persequitur, omnium fit conversio; mater autem in se animorum attentionem sistit infelix. Luscinia facta *petit* desperans *deserta* desolatorum nemorum; *ante* autem, quam illuc, Ity suum miserabile cantatura, abit, impietatis suae matrem poenitet, et *supra tecta sua* circumvolat. Vocantem epopem et vagientem hirundinem, cujus pectus sanguineas maculas sive a truncata lingua sive caedis a societate Lb. IV, 15 retinet, poëta omisit, aeque ac mutationem Ityos, qui, aliis auctoribus, palumbes, φάσσα, aliis, prave intelligentibus, phasiana avis fiebat. *Daps*, feriatorum epulae, sacrificantium coena; ex δαΐς, *davis*, *daps*, quemadmodum ὄϊς, *ovis*, *ops* X, 19. *Cursus* pro *volatus* est in Virg. Aen. VI, 194, Ovid. *am.* II, 6, 11. *art.* II, 74, Statii Theb. III. 563; de navis quoque itinere tritum id est. Hoc quidem loco desperantis matris festinationem imagine exprimit, quemadmodum *quibus alis*, quod sequitur, trepide matrem novis lusciniae alis circa domum circumvolitantem oculis subjicit, in qua, post tantas fortunas, tam infortunata facta est. *Ante*, prius, antequam in deserta volabat. Quod Mancinellus interpretatus est, *tecta*

ante sua, tecta, quae antea ejus erant, id lente dicitur, et a praeceptis de compositione verborum abhorret. In Ciris quoque v. 51, unde Virgilius concinnum hunc Galli sui versum petebat, tantum *sua tecta supervolitaverit alis* est, nullo *ante* adjecto, quod debilitet.

82 — 86. Has et alias fabulas, auditu jucundas, quas olim *Apollo* venusto Hyacintho, Laconici regis Amyclae vel Oebali filio III, 106, ad lauriferam ripam Eurotae prope Amyclas cecinerat, Silenus nunc Satyriscis et Najadi canit, donec finem vesper canenti imponit. — Ad Orientem Spartae et *Amyclarum*, quae urbs viginti stadiis propius meridiem spectabat, *Eurotas*, non ita procul ab Alpheo ortus et Basilipotamo nunc sive regius fluvius dictus, Gythium, urbem versus maritimam, manabat. *Amyclae*, ubi in memoriam fabulae splendidum templum Apollinis et sepulchrum Hyacinthi structum erat, agrum habebant arborum et frugum fertilem Polyb. V, 19: quare praeter *lauros*, quod male habet interpretes, alii myrtos quoque et oleas, et plura etiam, ut opinari licet, arborum genera ibi reperiebant. Apud poëtam, apud quem omnia spirant, colles lauriferi X, 13 et sonum referentes *discunt;* non minus quam *flumen* ipsaque *sidera* cum voluptate audiunt. *Beatus*, fortunatus cantu; non plenus potentiae, quod Probus contendit. *Laurus* antiqua positione pró *lauros* e Mediceo libro. Pierius in antiquo libro manu scripto *racalmos* reperit, e quo *ramos* et *ranas* enucleaverunt. Verum *ra* ex *ediscere* accrevit; *calmos*, quod relinquitur, pro *calamos* ex plu-

ribus vetustis libris in Lucii editione annotatur. Aetate rerum quoque perita coelestium *coelum stelliferum* orbis erat ad speciem opinantibus prope a nubibus conglobatus cum animatis sideribus. Euripides Hel. 1503 [al. 1487] grues, tractus socias nubium, ad Vergilias et nocte obumbratum Orionem evolare jubet. Magnus igitur fertur ad sidera sonitus et a sideribus refertur Lb. III, 150. 223. Silenus, qui alta luce orsus erat v. 16, pergit canendo, donec pastores, interque pastores poëtam quoque, qui *opilionis* personam gerens v. 5 procul astitit et audiit, Vesper oriens VIII, 17 et 30 hortatur, ut in septa saltuum greges compellant, et denuo eos recognoscant Lb. IV, 433. *Cogere* quoniam *nos pastores*, quod deest, mente addi jubet, *referre* legendum est, quod, contra veterum librorum *referri*, Grammaticorum auctoritate, libris antiquiorum, defenditur. *Vesper*, stella Veneris, quum solem subsequitur, a Graecis pastoribus αὔλιος quoque sive cohortalis stella dicebatur. *Olympus* V, 56 hoc quidem loco superior *coeli complexus* cum sideribus est, quae, ad Sileni cantum attenderant, et nunc invita, Hespero adveniente, finem audiebant. Parem indignationem Soli Homerus tribuit Il. XVIII, 239:

Sed Solem tum torva tuens venerandaque Juno
Misit ad Oceani fluctus invitum abeuntem.

ECLOGA SEPTIMA.

MELIBOEUS.

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis;
Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum:
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas;
Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, et respondere parati.
Huc mihi, dum teneras defendo a frigore myrtus,
Vir gregis ipse caper deerraverat. Atque ego Daphnin
Adspicio; ille ubi me contra videt: Ocius, inquit,
Huc ades, o Meliboee; caper tibi salvus et haedi;
Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra.
Huc ipsi potum venient per prata juvenci;
Hic viridis tenera praetexit arundine ripas
Mincius, eque sacra resonant examina quercu.
Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phyllida habebam,
Depulsos a lacte domi quae clauderet agnos;
Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.

Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo
Coepere. Alternos, Musae, meminisse volebam!
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.
Corydon. Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite; proxima Phoebi
Versibus ille facit! Aut, si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.
Thyrsis. Pastores, hedera nascentem ornate poëtam,
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro!
Aut, si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro!
C. Setosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramosa Micon vivacis cornua cervi.
Si proprium hoc fuerit; laevi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.
Th. Sinum lactis et haec te liba, Priape, quot annis
Exspectare sat est; custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu,
Si foetura gregem suppleverit, aureus esto!
C. Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae,
Candidior cycnis, hedera formosior alba:
Quum primum pasti repetent praesepia tauri,

Si qua tui Corydonis habet te cura, venito!
Th. **Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis,**
Horridior rusco, projecta vilior alga,
Si mihi non haec lux toto jam longior anno est!
Ite domum pasti, si quis pudor, ite, juvenci!
C. **Muscosi fontes, et somno mollior herba;**
Et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra;
Solstitium pecori defendite! jam venit aestas
Torrida, jam laeto turgent in palmite gemmae.
Th. **Hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis**
Semper, et adsidua postes fuligine nigri.
Hic tantum Boreae curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.
C. **Stant et juniperi, et castaneae hirsutae;**
Strata jacent passim sua quaeque sub arbore poma;
Omnia nunc rident. At si formosus Alexis
Montibus his abeat, videas et flumina sicca.
Th. **Aret ager; vitio moriens sitit aëris herba;**
Liber pampineas invidit collibus umbras.
Phyllidis adventu nostrae nemus omne virebit;
Juppiter et laeto descendet plurimus imbri.
C. **Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho,**
Formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo:
Phyllis amat corulos; illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corulos, nec laurea Phoebi.

Th. Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis:
Saepius at si me, Lycida formose, revisas;
Fraxinus in silvis cedat tibi, pinus in hortis.
Haec memini; et victum frustra contendere Thyrsin.
Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis.

ECLOGA VII. EXPLICATA.

ARGUMENTI NARRATIO.

AB U. C. DCCXVI.

Ap. Claudio Pulchro C. Norbano Flacco Coss.

VERNO TEMPORE.

Virgilius annum agens 31—32.

Meliboeus refert, qui factum sit, ut verno vespere caprarius Corydon Thyrsin opilionem, arbitro Daphnide, in publicis pratis Mincii canendo vicerit.

Haec ecloga quando scripta fuerit, id aegre tantum definitur. Certum est, non ante quintam, in qua Virgilius per hyemem anni DCCXII — DCCXIII de altera et tertia gloriatur, hujus ne mentione quidem facta, ejus quamquam non pejoris. Vix quoque in turbulento tempore agrorum dividundorum; tunc enim argumentum tam hilare rerum pastoralium certe non Ande in pago, aegritudine confecto, collocatum esset. Veri simile est, postquam poëta ejusque vicini sua securi denuo tenebant, post sextam aestatis anni DCCXV, quae et ipsa ad illas turbas pertinet; quodsi

verni temporis rationem habemus, proxime subsequente anno DCCXVI.

Caeterae eclogae (quarum e numero vix ipsam alteram eximamus) quum temporum a ratione omnes vel originem vel colorem suum habeant; hanc quidem rusticam esse imaginem censemus, qua adumbratur, quomodo post terrores istos secura quies et cantus ad pastores Andinos redierit. Allegoricas autem quasdam in ea significationes frustra quaeras. Theocriti idyllium octavum non ita descriptione dispar est; qua quidem re ingeniosae et inventionis et expositionis laus nostrae eclogae non magis minuitur, quam Theocriteis detrimento sit, si cum perditis exemplaribus et ipsa conferre possemus.

Annotata.

1 — 5. Res agitur, non secus atque in tertiae eclogae v. 1 — 6, in communibus pascuis publice locatis Andis pagi, quae, ad palustrem Mincium versus depressa, plena sunt graminum alentium et fruticum et dispersarum arborum. Ibi nunc verno tempore inferioris ordinis agricolae pascunt, qui, quum nulla sua prata habeant, qualia Virgilii pater I, 54. IX, 9 et senex Palaemon III, 111 habebant, pro venia publici pascui magistris scripturae apud publicanos pendunt; aestate pecus in saltus agitur I, 49 — 58. V, 82. Tres horum pastorum Gaecae originis aliquando sub vesperum ad

ilicem convenerant: *Thyrsis*, arrogantis animi opilio, modestum Corydonem caprarium commoverat, ut hic ad certamen eum provocaret; et Daphnis, boves pascens, sedebat arbiter. Quemadmodum in tertia ecloga, ita hic quoque pastores non servi, sed potius filii sunt e libertinis colonis geniti i. e. e redemtoribus vel possesoribus minoris fundi. Quodsi servi essent divitiorum dominorum, in publico agro ii non pascerent; nec minus eruditio eorum documento est, neque voluntatem iis nec vires defuisse, ut ex contemta servitute I, 27. III, 5. 16 exirent. *Ilex*, πρῖνος, *Quercus Ilex L.*, quercus est meridianae plagae semper virens, foliis serratis *), parva glande, quam Graeci ἄκυλον vocabant; Columella VI, 3 singularis cujusdam generis mentionem facit, nullas spinas habentis (*foliis integerrimis*) **). *Arguta*, susurrans, verno vento. Nec dubium est, quin Virgilius e natura eam petierit, non minus quam IX, 9 veteres fagos, quae ejus solum ad Mincium terminabant. At prope Mantuam, Castelvetrius inquit, neque ilices sunt, nec pinus, nec juniperi, nec castaneae. Id demum hodie neglectam esse utriusque illius generis culturam probaret; juniperos autem et castaneas ipse Virgilius ne finxit quidem proxime Mantuam, sed in montibus procul sitis v. 53. Qui cantu certabant, greges *in unum* sive eodem *compulerant:* vocabulo pastorum proprio, quod genus apud Theocritum VI, 1 et Nonnum XXXIV, 187 εἰς

---

*) Hoc vocabulo usus descripsit eam Willdenow in Car. a Linné species plantarum tom. IV p. 433.

**) ib.

ἓν ἐλαύνειν, et in Nemesiani III, 67 *conducere in unum*, ubi est, domum cogere. Ambo juvenes *Arcades*, Arcadico genere, etsi iidem indigenae I, 1—5, et, Arcades quum sint, ad cantandum non minus, quam ad respondendum parati. Theocr. VIII, 3:

Flavus uterque comis, puer impubes et uterque,
Fistulae uterque sciens, cantare et doctus uterque.

Arcades, narrat Polybius IV, 20 *), lege juberi ad tricesimum annum usque arti musicae operam dare. Prima pueritia hymnos et paeanes heroibus et diis patriis canere; postea modos Philoxeni et Timothei doceri, et quotannis sacris Dionysiis pueros quidem sua quaedam certamina, adolescentes autem ea saltare, quae virorum dicuntur. In conviviis gaudere non tam adventiciis delectationibus, quam invicem canentes. In aliis artibus rudem esse licere; in cantu quidem praeter leges id et turpe esse. Choreas quoque in armis saltantium publico sumtu quotannis a juvenibus in theatris dari. Polybius censet (utinam ejus sententiam civitatum nostrarum moderatores exaudiant!), artem musicam legem operosae et asperae vitae Arcadum ad lenimentum destinavisse, una cum feriis publicis et sacrificiis virorum et mulierum, choreis quoque virginum et puerorum; et efferatorum Cynaethensium exemplo Arcades admonet, caveant et sapienti instituto ne umquam minus obediant. — Sed inter elegantiores homines tamen Arcades, cantus periti, in sedum montanarum solitudine sua ineruditae et stupidae plebis instar famosi erant. Philostratus

*) cf. Athen. Deipnosoph. XIV, 5 p. 626.

quidem objurgat eos, quod *porci sint, qui glandibus vescantur;* Fulgentius deridet tardos *Arcadicos* sensus; apud Juvenalem (Satyr. III, 7, 160) aliquis

— — cui laeva in parte mamillae
Nil salit,

Arcadicus juvenis dicitur; et Erasmus de vasto crassoque stipite proverbium habet Ἀρκάδιον βλάστημα, *Arcadica foetura.* Res illa tenerrima piarum naturarum tantum non sine corpore, quas *homines pastores gentis Arcadicae* dicimus, veteribus plane ignota fuit X, 19. Ex Theocriti mentione, quam Arcadum ultro facit, hoc tantum comperimus, amatoria calluisse, Panaque, si quando parum is venationi prospexerat, alteros aliquos Samojedas factos, male mulcasse. Illud musicae studium, quod in Arcadibus erat, fieri non poterat, quin eorum idem in servis quoque esset; quorum aliqui, quippe eximie pascentes, mercatura ad Romanos dominatores perveniebant, et cum Arcadicis moribus propagabantur: quamvis Philostratus *vit. Apoll.* VIII, 7, 11 confirmet, non facile venalicios nec caeteris Graecis, libertatis amantibus, minime tamen Arcadibus appropinquare. Mummium quoque, credibile est, postquam foedus Achaicum, cujus Arcades studiosissimi fuerant, deleverat, praeter infelices Corinthios, Arcadum idoneum numerum in servitutem vendidisse; quum multo post Strabo brevem, quam de Arcadia habet, narrationem communi illius terrae solitudine, continuis bellis facta, excuset.

6 — 13. Meliboeus, qui iisdem in pratis com-

manibus, pago vicino, capras et agnos v. 15 pascebat supra, sub vesperum paulum abierat, ut myrtos, proximis in hortis satas, contra nocturnum frigus contegeret. Interea caper una cum grege ad ilicem propter aquas deerraverat, ubi Daphnis quaerentem amicus ad cantus certamen in amoena regione audiendum invitat. *Huc deerraverat* antiquissimorum codicum, quod solum sibi constat, duo Hafnienses quoque *B. C.* prae se ferunt; *hic* vel ab iis natum est, qui cum *dum defendo* id conjungebant, vel ab iis, qui, quod Ascensius, de *hoc tempore* id intelligebant. Inter coronamenta, Cato VIII, 2 praecipit, ut *myrti* quoque II, 54 in hortis serantur, sicubi vicina urbs bonum mercatum promittat. Inde a mense Februario, Palladius III, 23, 2 auctor est, ut myrti seminaria excolantur. In Transpadanis oris asperioribus tenera planta, quae vel in Italia tepida litora amat Lb. II, 112, primo vere requirebat, ut tecta a gelu nocturno defenderetur. Ita hunc locum, male ab editoribus habitum, jam Mancinellus et Ascensius interpretati sunt. Praecoces germinationes, Plinius inquit XVII, 2, evocatae indulgentia coeli, sequutis frigoribus exuruntur; qua de causa serotinae hiemes plantis quoque nocent silvestribus, quae *intorto stramento* tenerae vestiri nequeunt. *Dum defendo, deerraverat*, trita in *dum* conjungendi ratione Lb. IV, 560. *Defendere*, propie arcere; a *feno, fendo*, quod erat *fero* I, 49; quare dicitur *defendere frigus myrtis* sive *a myrtis*, et contra. *Myrtus* pervetustum pro *myrtos*, e libro Gudiano. Vagantem *caprum*, quippe *virum* suum, totus *grex*, una

cum admixtis *capellis*, non sequi non potuit. *Deerraverat* contractum, quale apud Lucretium III, 873. Caprae mense Novembri concipere et Martio mense parere solebant; tribus mensibus post capellae a matre depulsae vel solae pascebantur, vel cum aculeatis ad ora capistris gregi admiscebantur. Sed bis parientes Lb. II, 150 sub hiemem quoque partum edebant, quod est in prima ecloga v. 14: ejusmodi capellae auctumnales et hic et III, 34 intelliguntur. Ecce ii tibi, a capro usque ad capellas! Daphnis exclamat, dum demonstrat, advenienti Meliboeo obviam, cui fruticetum eos adhuc occultat. Quodsi praeterea otium tibi est, sine eos ibi pascere, et hac in umbra a fatigante cursu requiesce. Paulisper, quaeso, circumspice, quam omnia amoena sint! Tribus pastoribus humi stratis quid consilii sit, ex ipso ordine eorum Meliboeus auguratur. *Boves*, qui potum mox ipsi venient (*venient*, non *veniunt*), neminis esse alius possunt, praeterquam *Daphnidis*, arbitri evocati; nisi si qui sint, qui sine negotio eum cogitare malint. Excusat se, cur hic quiescere possit, bene institutorum juvencorum consuetudine, qui sua sonte veniant, interque suavia spectacula hoc primum laude tollit. *Prata* Andina ad Mincium descendebant, qui circa Mantuam in lacum diffundebatur. *Tenera arundo*, recens enata; post brumam caedebatur *), et ad vites, in Virgilii patria ad tecta quoque adhibebatur. Haec arundo, si cum arguto vento v. 1 mente conjungitur, excitat, poëta, qui strictim

*) Plin. XVIII, 65, 2.

dicit III, 55, id ne exprimente quidem, occultam cogitationem lenis susurri, quem vetus versus Victorini II p. 2530 laudat:

> Tale, quale vere dulce sibilat teres donax.

Non ita procul a sede *quercus* erat alta, arbor Jovi Dodonaeo *sacra*, cujus e trunco cavato *examina apum* resonabant. Hanc suavem imaginem Theocritus ita habet I, 106:

> — — Sunt prope quercus estque cyperos,
> Et prope apes dulce ad mellita alvearia stridunt.

Virgilii patria fertilis apum erat, quarum mel, saporis jucundissimi, vel cum Hyblaeo poëta I, 54 comparabat. Apes exeunt ab ortu Vergiliarum, i. e. sub finem Aprilis, usque ad diem solstitialem. Ad *ripas* quidem *viridis* pro *virides* otiose esset adjectum, quum prati ripas ultro virides fingamus animo; *Mincio* autem speciosius id adjicitur, *virenti* variis plantis palustribus, unde Lb. II, 199 idem *flumen herbosum* nominatur. Accedit, quod *virides* duobus tantum in libris scriptis reperiebatur, quoniam reliqui omnes, interque eos Hafnienses quoque, *viridis Mincius* esse ponebant.

14—20. Abiremne an manerem? Agni a lacte depulsi ante vespertinum frigus intra stabulum cogi volebant, nec aderat ancillarum aliqua. Verumenimvero quale certamen qualium poëtarum certantium, quod audire poteram! Consilium constitit et remansi. — *Alcippe* et *Phyllis* Meliboeo serviunt, qui pro ordine suo satis opulentus erat, unaque cum capris oves quoque alebat; pauperi Moreti colono Simulo

Afra tamen anus servit. Degener istud libri Medicei *hoedos*, cui *agnos* insuper adscriptum est, nullo loco numeretur; saepius enim fieri vidimus, ut capras tantum scribae caprariis largiri vellent III, 103. Meliboeus pascebat una cum capris numerum quoque *agnorum*, quorum matres alibi, serva fortasse custode, pabulabantur. *Agni* mense Novembri et Decembri II, 21 edi solebant, ct post quatuor menses depellebantur et *secreti* pascebantur et claudebantur. Varro II, 2, 17 pabuli bonitatem iis paciscitur, et curandum, ne quid vel *frigore* vel aestu laborent. Theocritus XIII, 25:

> Pleiades quando surgunt, agnique tenelli
> Extremis in agris pascuntur; ver ubi vergit.

Magnum certamen, *Corydon* et *Thyrsis!* pro eo, quod dicendum erat, inter duos illos cantores celebres. Sententia est admirantis dictioque sententiae. Principia certaminis futuri, quae Meliboeus partim tantum conspexerat, poëta et ipse mente nobis adjicienda relinquit. Thyrsis arrogans Corydonem excitat modice de se ipsum sentientem; hic, ut ignominiam ulciscatur, cantatum provocat; Daphnis, arbiter evocatus, priorem ordine canendi eum facit, cui injuria illata fuerat; qui animose injuriam intulerat, is illico respondere jubetur: vide III, 52. Quare uterque vicissim canebant: date mihi, Musae, ut alterni carminis probe meminerim! Eo conclusio quoque respicit v. 69: *haec memini*, ea sunt, quae recordor. Non secus VIII, 62 recordatio carminis a Musis petitur. In Theocriti quoque IX, 28, ubi *canens*, si

perperam referat, poenam mendacii, pustulam in lingua futuram, metuit:

> Bucolicae Musae, salvete! et dicite carmen,
> Olim quod cecini coram pastoribus illis;
> Excitet in lingua summa ne pustulam edacem!

Nam interpretis quidem ad v. 28 enarratio argumento est, φύσῃ eum legisse, idque eum ad ᾠδὰ retulisse. *Volebam*, quod una cum Servio antiquissimi libri agnoscunt, prisco more scriptum est pro *vellem*. Ita Plautus dicit *Asin.* II, 4, 46: *Sed si domi est, Demaenetum volebam;* ipseque Virgilius I, 79 *poteras* pro *posses*. *Volebant*, quod falso scriptum est, si ferri posset, Servio id interprete levissime ferremus: Musae alternis canentium meminisse volebant, aspirabant utrique; praeterquam quod *alternos* tum variata potestate sua sequitur. Verum, si ita dicatur, non magis id jejune, quam incerto consilio, dictum sit; nam idem esse posset: Musae alternorum carminum ipsae meminisse volebant; volebant, ut illi eorum meminerint; volebant, ut ego —. Pro carminibus binorum versuum, quae in tertia ecloga miscentur, hoc quidem loco omnia quaternorum versuum sunt: qualia illico invenire non facile cujuslibet poëtae erat.

21 — 24. Corydon modestiae, amicitiae et honestae dignitatis documenta edit. Deas precatur, ut sibi, quum ipse parum valeat, tale aliquod carmen, quale Codro, ipsius amico, inspirent; aut, si minus e vulgo possit emergere, renuntiare plane vult arti. Egregii aliquid aut nihil! Ita nobiles artifices sentiunt, qui, cum ingenio animi bonitatem

conjungentes, artem potius quam semet spectant. — *Libethrus*, *Libethra*, *Libethrum* quoque, in Helicone monte fons antri dicebatur, fonti cuidam Macedonico cognominis, unde veteres Thraces Musarum cultum in Boeotiam detulerant VI, 13. *Musas* Graeci antiqui *Nymphas* omnino fontium lymphantium dicebant, quorum latices fatidico terrae anhelitu repleti esse videbantur III, 85. X, 1. 10. 55. Hinc varia de montibus, quos Musae habitent, et de fontibus et de numero ipsarum narratio. Celebria carmina postquam novenarium Musarum numerum definiverant, secernebantur cum aliis *Nymphis lymphantibus Libethrides* quoque quasi quaedam inferioris ordinis X, 1; sed non ita tamen, ut non aliquando Nymphae cum Musis permixtae fuerint. Ad Nymphas quidem pastores Theocriti V, 149. VII, 92 animum suum acceptum referunt; auctorque est vetus interpres, Musas isto nomine a Lydis vocari. Hesychius quoque Nymphas, Musas esse, interpretatur. De Nymphis carmen in Apollinem apud Porphyrium (*in antr. Nymph.*) dicit:

Animantis sed aquae tibi fontes
Struxere puellae residentes
Specubus, flatibus alitae terrae,
Cantus ad vocem divinam.

Haud secus apud Augustinum de musica III Musae quasi Nymphae Hippocrenes fontis salutantur:

Ite igitur, Camoenae,
Fonticolae puellae,
Quae canitis sub antris
Mellifluos sonores;

Quae lavitis capillum
Purpureum Hippocrene!

Et Tertullianus (*adv. Marc.* I, 13), *Jovem*, inquit, *figurant isti fabularum interpretes in substantiam fervidam* (aetherem), *Junonem in aëream, Vestam in ignem, Camoenas in aquas et magnam Matrem in terram.* Thalia Musa VI, 1 nutrix erat agricolis plantarum germinantium, Nympha latices fundens. Et Virgilius quemadmodum in *Culice* v. 18 Musas quasi Pierias Naïdes invocat, votoque vitulo Ecl. III, 85 pascua ab iis opima precatur: ita apud Calpurnium VI, 61 cespitem eaedem aquis suis exstruxerunt:

Protinus, ecce! torum fecere sub ilice Musae.

Noster amor, quas nos omnes amamus. *Codrus*, fictum pastoris nomen, cui cum aliis ejusdem nominis personis nihil commune est. *Proxima*, deest *carmina*, versibus Phoebi facit, quod Servius et Ascensius ex prioribus addunt, et Burmannus versu Aen. VIII, 427, *fulmen, quae plurima* —, suadet. Ita tandem *facere*, ποιεῖν, dignam habet potestatem. *Quodsi non possumus omnes* istiusmodi carmina invenire, arti ego renuntio. Hoc proverbio VIII, 63 se unum de multis modeste esse fingit. Qui artem abdicabat suam, is deo suppellectilem suam suspendit praesidi. Ita *fistulam* Corydon cuinam alii praeterquam *Pani,* carminis rustici II, 31. IV, 58 magistro? Eidem, *Fauni* VI, 27 Latino nomine dicto, senex quoque Nemesiani Tityrus I, 14 suam suspendit:

Jam mea ruricolae dependet fistula Fauno.

Pinus v. 65 Cybelae non magis erat *sacra*, quam *Pani* Prop. I, 18, 20, qui, quod Geoponici XI, 10 fabulantur, *Pityn* Nympham, priusquam pinus facta erat, amabat, eaque de causa coronam pineam gerebat Sil. XIII, 331. Apud Longum II p. 79 Panis simulacrum sub pinu positum est, cui mactati capri pellis affigitur, et primitiae uvarum annectuntur; *ibi* Daphnis quoque decedens IV p. 175 fistulam et tibiam Pani consecrat. Faunis sive Panibus, omnibus omnino, apud Martialem X, 92 pinus et ilices sacrae sunt; sub ilice Pan apud Tibullum II, 5, 27 positus est; Arcadesque, quod Pausanias tradidit, *quercum* ei circa Tegeam consecraverant. Quare ineptum quidem non sit *quercu*, quod legitur, id si in pluribus libris scriptis reperiretur. Pinus quoque sativa sive pinus *Pinea*, Palladius inquit XII, 7, 9, inter montes et saxa vastior et procerior invenitur. *Fistulae* modi II, 36 singulis cantionibus praeibant V, 2. VIII, 21.

25 — 28. Arroganter ferociens Thyrsis respondet. Deo quamvis ab nullo adjutus, in ipso exordio coronam hederaceam expetit; nec dubium, quin Codrus ipse invidia rumpatur, aut malitiosa laude eum fascinare velit: a quo malo tamen pastores Arcadici Indigetem suum defendent. — Pastores genere *Arcadico* v. 4, cantus ex hominibus agricolis peritissimi, *hederam*, praemia, quod Horatius dicit, doctarum frontium, Bacchicum istum honorem III, 39. IV, 19, qui in vates tantum altissimorum spirituum cadit, *incipienti poëtae* non tantum decernere, sed ipsi circum tempora ligare jubentur! Sic

exordiens quomodo tandem is desinet? *Nascentem* Servius habet et antiquissimi quique libri scripti, ad quos Hafn. *A* accedit; *crescentem*, quod lentius dicatur, interpretamentum est. Ipsi Codro, qui paene Apollinis instar canit, prae *invidia*, quum a tirone se victum videbit, *ilia rumpentur*. Humillime sensum, ipsius ex animo in hominem frugi translatum, quam crasse dicitur! Non tantum sui jactatio, sed immodica quoque ex aliis laudatio, oculus saepe malignus III, 103 ultionem commovebat malorum geniorum. Quodsi malevolus fortius laudabat, quam concordante pectore, id est, *ultra placitum;* nocebat: laude, sicut nostrates quoque autumant, effascinaverat, interemerat. Tales fascinationes formula depellebant *praefiscine!* Nemesi invocata, quasi insolentiae vindice, semet ipsos conspuendo aliisque indignitatibus, quo subsidio apud Theocritum VI, 39 vel juvenis Cyclops voluptatem ex forma in mari conspecta innoxiam reddebat, annexo *fascino*, quem pudor esset adspicere, aliisque amuletis, herbis quoque circumligatis averruncantibus, ex quibus *baccar* erat IV, 19. Thyrsis arrogans nihil minoris exspectat, quam ut Arcades, intelligentes carminum, sua sponte jam nunc, quemadmodum nutrix suum infantem, ita *poëtam* suum, cum nemine comparandum, qui *vates* aliquis illustris IX, 34, Orpheus vel Linus, vel Amphion, fieri destinatus sit, a fascinatione tueantur.

29—32. Dianae venator juvenis primitias pie dedicat, capturaque durante signum marmoreum vovet. — Qui cantu certant, quod ad tertiam eclogam

vidimus, hanc illamve rerum suarum conditionem ementiuntur, ita fastidio occurrentes istius similitudinis, quae nunc nostris hominibus placet, quum suas tantum res easque praesentes dicunt. Ab hac angusta limitum circumscriptione priscus Simonides dehortatus est:

Non arcta Musa terminis
Libat tantum praesentia;
Sed cuncta circum obambulans
Fructus legit.

Pastores Theocriti VI, 6 et 21 canunt alterni alloquium ad Polyphemum irridens ejusque responsum; alii in secunda et tertia ecloga puellam repraesentant veneficam, et amatorem, qui comissatum it. *Delia*, Diana, quam recentiores Deli fabulabantur una cum Apolline natam esse; Ortygiam insulam, quae contra Syracusas posteriores sita erat, antiquiores ei tamquam patriam sedem assignaverant. Dianae venatores praedae suae primitias, *caput*, pedes, *cornua*, silvae ad arborem defigere solebant. Hafniensis *B capri* pro *apri* exhibet, quod exemplum lectionis, a Servio quoque commemoratum, inde ortum est, quod erant, qui *hoc* productum duplici *c* scribendum esse censerent. De *vivacitate cervi* Hesiodus fabulatus est: Novem aetatibus humanis cornicem esse superstitem, quatuor cornicibus *cervum*, tribus cervis corvum, novem corvis phoenicem, decem phoenicibus Nympharum genus. Quodsi tam bonus eventus *proprius* ei i. e. sempiternus comes datus erit; tum tu *tota* (nam clypei quoque erant imaginum) e marmore *rubro cothurno ad venam-*

dum ficta stabis. Purpurea amenta cothurni Aen. I, 337 colore in marmore imitabantur. *Cothurnus* singulari numero dicebatur non minus, quam ἐνδρομὶς *Anth.* IV, 12. p. 341, Graecum nomen hujus calceamenti venatorii, et ἐμβὰς, σανδάλιον, πέδιλον Ep. Myth. II, p. 52. Galenus et Pollux calceos venatorios quasi cavos calceos describunt, usque ad media crura surgentes, trajectis loris arcte ligatos, ut montibus in asperis commode curri et saliri possit.

33 — 36. In sequenti commissione pauper est olitor, qui sacro anniversario liborum et lactis exigui (pomorum non ei in mentem venit) contumaciter Priapo satisfacit. Repente olitorem cum paupertate obliviscitur. Marmoreum se eum pro ea, quae nunc sit rerum suarum conditio, posuisse; grex autem dei ope simulatque suppletus fuerit, vovet — aureum signum! Id, si parum superare, supra certe liceri est. — Lampsaceno agrorum deo, *Priapo*, antiquitate in inferiore alibi quoque alicubi, quasi qui capras et oves, apes, pisces, imprimis vero hortos foecundos faceret, honos habitus est Ep. Myth. II, 37. Huic et Laribus privatis, pro facultate rerum, primitiae horti et agri, flores, olera, spicae, fruges, uvae, cum *lacte*, melle et *libis* Calp. II, 64, oblatae sunt. Nam Semonibus quidem sive semideis rusticis, quibus Fulgentius eum adjungit, *lac* tantum, non vinum, ferendum erat. *Sinus* sive *sinum*, sinuosum et rotundum vas Graeci operis fictilis, ad vinum et lac adhibitum: ex δῖνος, quemadmodum ὀσμὴ ex ὀδμή. Melle *liba sacrifica* ex teneriore farina, lacte, ovis et oleo tingebantur Lb. II, 394.

Hafnienses omnes *te liba; tibi* illud vulgaris esset sermonis, male sonans. Sacrificium tantum pauperrimum ab hortulo deus ei exspectare potest; parvo enim Miconi parvuli aliquid ipse volebat opponere. Repente votum alterius, qui prior cecinerat, vincere lubet, et jam gregem quoque deus ei custodit. Signum iste de futura felicitate consecraturus erat *marmoreum:* ipse de praesentibus fortunis idem modo effecit, quamquam *lignei* alias Priapi, infabre sculpti et minio obducti X, 27, inter homines rusticos usitati erant; quodsi grex, quem casus aliquis minuerat, foetura *suppletus*, ne auctus quidem, erit, sistet *aureum*. Minus ridicule messor profecto apud Theocritum X, 32 se jactat:

> O utinam mihi sint, Croesi quaecumque feruntur!
> Aureus in Veneris staremus et aurea templo.

37 — 40. Corydon, armentarii Siculi personam gerens, a Galatea, nympha marina, precatur, ut, bene si adhuc ei velit, vesperi eum in casa silvestri conveniat. — Fingit se cum bobus suis sub vesperum in ora maritima, deamque modo conspectam, uti videtur, in undis jam rursus demersam. Philoxenus, ex Cythera insula, Platoni aequalis, Polyphemi Cyclopis in *Galateam* amorem ex quo commentus fuerat; crebro hic amor carminibus non solum rusticis tractatus, sed pulchra Nereïs *pastorum* quoque in familiaritatem admissa est. Moschus in luctu de Bione dicit III, 59:

> Flet Galatea tuum carmen quoque, quo recreabas
> Haerentem prope te toties ad litora ponti.
> Carmina non Cyclopis enim fuerant tua; pulchra

Hunc fugit Galatea; tibi sed ab aequore risit *).
Nunc deserta sedet, fluctus oblita, in arena,
Pascere sola boves orbas gaudens ab amico.

Apud alium poëtam, quem Himerius *or.* I, 19 laudat, pastor ad Galateam amans canit: *O candorem et lac!* ita alludens ad ejus nomen. *Nerine*, Graecum, Nerei filia. *Hybla*, antiquum urbis Siciliae, Megarae a Doriensibus advenis dictae, nomen, quod fama servabatur Hyblaei ex thymo *mellis*. Ibi Graecum *thymum* V, 77 sive *Satureja capitata L.* suavi regionem implebat odore, quem etiam nunc *dulcem* aërem, *aria dolce*, Italus vocat. Deae marinae, ut quae solibus minus essent expositae, prae caeteris *candidae* existimabantur; sed, propter coeruleos oculos et vestes, postea quoque ob colorem marinum et algam capillis inhaerentem, saepe coeruleae aut virides nominatae, postremum a pictoribus et poëtis, fingendi nimiis, in cete coerulea, capillis viridibus, deformatae sunt Ep. Myth. II, 25. De festa *hederae ex viridi pallentis* pulchritudine v. III, 39. Per aestatem boves in septis silvestribus, pastor autem in casa ad necessitatem constructa aut in antro ex rupe cavato pernoctabant I, 79: quo in hunc noctem Corydon nymphae sibi amantis societatem exoptat. Hafnienses *B. C repetunt* habent. Amator modeste, suavissimis usus imaginibus, blanditur, quae, sono modisque concinnae, in leniter cadens *venito* exeunt. Hujusmodi elegantiae non tam possunt transferri, quam similibus, quas quaeque linguae offerunt, referri.

---

*) al. — — — salo tu dulcior illi.

41 — 44. Eamdem sententiam Thyrsis cum fastu exsequitur. Mihi, teneris tuis et amoenis deliciis, omnis apud te venustas pereat, nisi vesperum ego infinito desiderio exspecto. Festinate, festinate ad septa, boves, et pudor vobis sit, etiam nunc pascere, dum Dea me manet. — Quemadmodum suavissimis Corydon comparationibus et sonis Nymphae blandiebatur, ita Thyrsis sibimet insuavissimis. *Herbam Sardoniam*, Dioscorides ait, genus quoddam esse batrachii sive ranunculi, asperius, quam vulgarem, caule longiore, pluribus foliorum incisuris; crebro in *Sardinia* crescere, admodum acre, apiumque et ipsum appellari silvestre; mentem comedenti perturbare et spasmos afferre cum labris ringentibus, ut ridere videatur. Inde proverbium quoque, *risus Sardonius*, natum esse dicitur; quod tamen ipse Homerus, quamvis Sardinia nondum cognita, profert. Pleraque ranunculi genera acrimonia sunt mordaci; famosissimus est *Ranunculus sceleratus L.*: folia habet apii instar, asperitas tantum abest [Plin. XXV, 109]. Quare Martynus variatum C. Bauhinii genus, *Ranunculus palustris, apii folio, lanuginosus*, mavult, quod asperitate ab illo et foliis magis incisis distinguitur. *Sardois*, cujus quatuor Hafnienses testes sunt, elegantius dicitur, quam *Sardoniis*, quamquam hoc veteres libri scripti tuentur; Thyrsis videlicet remotissimam quamque dictionem affectat. Duo Hafnienses *C. D videor* habent. *Ruscus*, cujus aculeata folia, prope res conditas posita, mures fugant, *Ruscus* est aculeatus *L.*: trium pedum arbusculae ad scopas et ad ligandum

adhibentur Lb. II, 413. *Algam*, herbam maritimam, plantarum studiosi ne definire quidem audent. Plura genera complectitur folio longo et latiore, quorum quaedam, quod Columella VIII, 17, 6 dicit, petras vestiunt; erat etiam circa Cretam insulam, quae rubrum tingeret. A turbato mari *projecta* ad involucra tantum et ad stercorandum utebantur. Cf. Plin. XIII, 48. XXVII, 25. XXXII, 22. *Dies annum durans*, proverbium exaggerans, quale istud apud Theocritum XII, 2:

— — — Qui cupit ipse, die veterascit.

45 — 48. Corydon vernum argumentum depingit ad fontem opacum, ubi horis meridianis frigus pastor post Vergilias exortas captat. — Omnia pulchra, spirantia, gradatim ascendentia. *Fontes*, quo plures fontes montani confluunt, quales V, 40. X, 42. *Musco* saxa obducta frigidas sedes circum praebent, et *tenera herba* mollia strata pastori et pecori. *Mollior somno* proverbium: quo usus apud Theocritum V, 50 pastor molles pelles agninas, et XV, 125 nundinator Milesius et Samius purpurea tapeta laudat et effert. *Arbuti* sive unedonis III, 82 frons *ex viridi pallida*, quam Horatius quoque in primo carmine *viridis arbuti* nomine designat, per hiemem durat, tamen in cacuminibus tantum germinum Plin. XVI, 33; reliqua decidit, et, novella erumpente, ista quoque. Hoc in plerisque arborum folia numquam dimittentium circa diem solstitialem Plin. XVI, 34 fieri solebat. Nunc igitur Maji in mensis principio *tenuem* tantum arbor frondem hibernam habet, et pastor, quem calor meridia-

nus ad fontem frigidiorem Lb. III, 331 jam deduxerat, festinatas in augescentem aestatem crebriores umbras optat. Hanc venustam, sed apud nos vix arte hibernantem arborem Propertius I, 2, 11 et ipse ad antra fontium admiratus est:

Surgat et in solis formosius arbutus antris,
Et sciat indociles currere lympha vias.

Grex simul quoniam in umbra quieturus dicitur; *arboretum* quoddam ex arbuto mente nobis fingendum sit, quale circa fontem montanum illum Ovidii *art.* III, 689:

Silva nemus non alta facit: tegit arbutus herbam:
Ros maris et lauri nigraque myrtus olent:
Nec densae foliis buxi fragilesque myricae,
Nec tenues cytisi cultaque pinus abest.

Non aliter Plinius minor VIII, 8 *cupressu* de pluribus dicit: *collis antiqua cupressu nemorosus.* *Solstitium* Lb. I, 100 hic est aestivum, sive tempus circa diem longissimum: quemadmodum saepe *meridies* horas meridianas declarat. *Defendere* v. 6. *Aestas* coepit Romanis cum Vergiliis sive Plejadibus sub mensem Majum exortis, *vitis* quando oculos emittebat Lb. II, 335. *Vites* et oleae, Plinius inquit XVI, 25 s. 42, concipiunt Vergiliarum exortu; hoc sidus illarum est. Et Ovidius *fast.* IV, 128 de Aprili canit:

Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.

In Virgilii patria, ubi aër Alpinus refrigerat, aliquanto serius vitis germinabat.

49—52. Argumentum contra adversarius linit hiemale domi ad taedas caligantes, dum foris Aquilo

crepat. — Thyrsidi commodum est, omnia deformia pingere; et quam exsanguia! Placidum ignem in tuta casa, animatum vero domestica industria et gaudio, quamvis Borea stridente, Corydon Gesnerusve pinxissent. Romani neque in palatiis neque in pauperibus casis canales habebant ad fumum educendum munitos Lb. II, 242. Fumus per *fores* exibat aut per fenestras clathratas; saepe per exitum supernum, *καπνοδόκην*: minus molestus coctilibus [v. Forcellini lex. s. v.] sive ligno cocto et *non fumante* *). Thyrsis noster, pinguiorum amans, gaudet *caligantibus taedis*, quarum *fuligo* non tantum camerae coelum, sed etiam ipsos postes circumvolutos tenet perpetuo: securus ibi hibernae lucubrationis, quae strenuo agricolae facienda erat Lb. I, 291, Boream in fumo suo observat. Proxima comparatio pupugerit, si ita diceretur: Quam parum lupum numerus gregis, aut torrentem ripa coërcet; non magis me Boreae frigus coërcet ab externis negotiis, a fructibus in hiemem colligendis, a ligno caedendo, a venatione. Multo aliter pastores Theocriti in nona ecloga; alter v. 12 gravem aestum, quem fugit, cum gravi exprobratione confert parentum, quam amans fugit:

> Solstitii curo torrentem ego non magis aestum,
> Quam dictata patris curant et matris amantes.

Alter v. 19 prope ignem, ubi tosta farcimina epulatur, duro gelu non magis affligitur, quam nucem dentibus carens prope pultem curat:

---

*) v. notata ad Winckelmanni opera ed. Fernow II. p. 253 et 347 ss.

Lactea combusta torrentur edulia quercu,
Arida fagus et igne nitet; sic frigora sperno,
Ut male dentati nuculas spernunt prope pultem.

Hic iteratum v. 51 acrius dicitur, quam *hinc tantum*, quod Servius reperit; sive id interpreteris *hinc prospicientes*, sive illepide *quare*, *quamobrem*. *Torrens*, rivus ex pluvia in terris montanis.

53 — 56. Mitis auctumnus in montibus: silvestres arbores et pomi plenae maturorum fructuum, rivi montani pleni aquarum. Sed sine Alexide vasta sint omnia amanti. — Quam sincere et vere dictum! *Juniperi* duo genera Dioscorides nominat, majus et minus, baccae, inquiens, nucem magnitudine partim juglandem, partim Avellanam aequant. Juniperus vulgaris, frutex plerumque, ad quadraginta interdum pedes erigitur; major bacca, quam Plinius in Hispaniensi laudat, *Juniperi* est *thuriferae L.*, quae pyramidata ad triginta pedes surgit. Baccae altero in auctumno maturescunt. Castaneae arbores Lb. II, 15 multitudine sunt fructuum hirsutae in corticibus echinatis, qui mense Octobri et Novembri aperiuntur. Calpurnius II, 82:

Castaneasque nuces totidem, quum sole Novembri
Maturis nucibus virides rumpentur echini.

Versus Virgilianus Graeca ratione vocales habet non elisas, et pedem Molossum in exitu ad copiam informandam Lb. II, 5. Libri scripti omnes, Hafnienses quoque, et Nonius s. v. *stratum*, habent *sua quaeque sub arbore*. Novitii quidam *sua quaque* praeoptabant, interpretatu facilius. At in Virgilii eclogis, quod saepe vidimus III, t. 109, ve-

tusta regnat oratio; et Festus docet, *sas*, *sis*, *sos* Ennium pro *suas*, *suis*, *suos* dixisse; *sis* Lucretius quoque III, 1038; et *suapte* bisyllabum apud priscum Ciceronis poëtam, Tusc. II, 5, qui Ennius esse videtur. Quare *suâ* maneat, unius syllabae, quasi *sâ*. Praecocem pomorum vindemiam Coi insulae ita describit Theocritus VII, 143:

Auctumnum campi redolebant, omnia messem;
Decussique piri fructus malique jacebant
Ad latus atque pedes; rami fruticumque premebant
Sternentes terram, prunorum pondere onusti.

Omnia nunc *rident pomis* multicoloribus Lb. II, 6, simul quoniam prima pluvia auctumnalis *gramen* laetificat Lb. II, 525, et siccos *rivos* implet. *Flumen*, rivus I, 52.

57 — 60. Aestuosum auctumni initium: agri, prata, vineae et silvae aridae. Phyllide autem adveniente omnia amatori virescunt — Haec satis! — graviaque imber decidit. Miseram Phyllidem! — Num magis jocose licet sententiam, deserta amore fieri caelestia, exaggerari? simulque magis frigere, quam friget nugatorie facta contentio Bacchi maligni et Jovis large depluentis? Quam multo integrius carmen istud apud Theocritum VIII, 41:

Ubera lacte nitent, crescunt et gramina larga,
Pascuntur foetus, omnia vere tepent,
Quoquo pulchra puella venit: simulac ea abivit,
Arent pastores, gramina aquam sitiunt.

Et carmen commissum:

Caprae cum geminis, pecus atque alvearia circum
Semper apes; quercus frondibus alta petunt,

Pulcher ubi Milo graditur; simulac is abivit,
Languet qui pascit cum sitiente grege.

Vitium aëris, perniciosus, pestilens aestus sub signo caniculae in principio auctumni, quod erat post a. d. III id. Sextil. Lb. III, 478. *Liber* cognomen tunc erat Romanum Graeci *Διονύσου* sive Bacchi, ex quo nomine liberatorem quemdam sive vindicem mente fingebant. Verum antiquitus inter Italos priscos deus erat *Liber* sationis et generationis, dictus a *libare* vetusto, λείβειν (apud Sabinos nominabatur *Loebasius*), fundere, rigare, quae erat origo verborum λειμών et λιβάδιον, pratum irriguum, *Λιβύη*, *Λίψ*, plaga pluvia, *liber*, infans, sui juris, nec non verborum *lieben*, laben, leben. Simul cum *Libera* et *Cerere* colebatur: quam *Liberam*, post Graecas religiones illatas, modo tamquam matrem ejus in Semelen sive Proserpinam mysteriorum, modo tamquam uxorem ejus in Ariadnen transformabant. Aestu jam marcescunt *pampini*, quorum *umbrae* uvas ad apricos *colles* maturescentes defendere debebant. Diebus enim canicularibus vites, maturitatem ad accelerandam, nudari solebant a foliis opacantibus, palmitibus autem uvae locis in calidissimis tegebantur, et, si parum pampinosa vitis erat, sarmentis, stramento et tegetibus *). *Nemus*, proprie arboretum pascuum, tum locus quoque consitus. *Jupiter* pro aëre, qui pluviam fundit, ex commutata serius de fabulis opinione Lb. II, 325. Haec imago multo quam pro carminis rustici colore

---

*) Col. V, 5, 14.

doctior (nam Theocriti quidem *Jupiter pluvius* mittit tantum pluviam) ridicule adhibetur: Phyllis adest, et Jupiter, quasi Danaë aliqua eum alliciat, tenui se dejicit pluvia.

61 — 64. Dii suas sibi arbores eligebant, Phyllis corylum. Ipsa tantum et amator sciunt, quamobrem. Exinde amatori corylus non minus sancta est, quam dei arbor. — *Arbores*, Plinius inquit, templa fuere numinum; priscoque ritu simplicia rura etiam nunc Deo praecellentem arborem dicant; arborum quoque genera numinibus suis dicata perpetuo servantur: ut Jovi esculus, Apollini laurus, Minervae olea, Veneri myrtus, Herculi populus Plin. XII, 1 s. 2. *Populum albam Hercules* sive Alcides (avus erat Alcaeus) ab Acheronte ferebat, quum ea coronatus Cerberum pertraheret; ipse Homerus ἀχερωΐδα eam appellat. Inde fiebat, ut viros pervicaces, qualem Teucrum in Horatii I. od. 7, 23, et juvenes coronaret in Gymnasiis, quorum praeses Hercules erat in seriore antiquitate; Theocr. II, 121:

Ramos populeos, Alcidae germen, habebat, *)
Purpurei nodi stringebant serta coronae.

Hercules ipse, quod Tertullianus refert, frondem modo populeam in vertice gerebat, modo oleastrum, modo apium. *Baccho* sive *Iaccho* praeter *vitem* hedera quoque sacra erat. *Myrtus Veneri* post Hesiodum tandem, plura insignia quum ars fingendi desideraret, propria facta esse videtur, *maris* for-

---

*) Ad Graeca verba pressius:
Populus ad caput alba fuit, sacra Herculis arbor
sed quis tale quid ferat?

tasse potenti, quippe planta pulchra erat litorea Ep. Myth. II, 28. Servius narrat, Deam a mari exeuntem in myrto latuisse, ne nuda conspiceretur; et Nicander, Paridi se illam in corona myrtea obtulisse. Utraque fabula recens est. Nam in vicesima tertia Olympiade, Athenaeus XV, 6 inquit, nauta ex Naucrate, Milesia colonia Aegypti, Paphi signum Veneris emit; ei quum socii navales, orta tempestate, supplicarent, Dea omnia circum myrto implevit, et serenitatem praestitit. Naucrate signum una cum myrtis homo in templo collocavit, et ad epulas sacrificas vocatos corona myrtea donavit, quae Naucratica inde appellata est. Coronam Naucraticam ipse Anacreon Athen. XV, 3 cum sertis roseis conjunxit, quae Od. LIII, 8 Veneri dicat. Antiquius ego de myrto Veneris testimonium nescio. Romani mature myrto quamdam coronatam *Venerem Murtiam* colebant, et incruentum victorem in ovatione myrto coronabant *Veneris Victricis*. *Laurus* piaculari Deo *Phoebo Apollini* ex vetustissimo tempore sacra erat, quoniam perpetuo virens et diras depellens, numquam fulmine icta, ad lustrationes adhibebatur. *Corylum* silvae I, 14. V, 13 frustra Phyllis non magis amabat, quam Galatea III, 64 salictum, quum post jacta mala id eam non solam tegeret. *Deae* instar columbam illic Galatea, hic sacram plantam Phyllis accipit.

65 — 68. Pulcherrimae arbores alias aliae sunt. Lycidas autem si saepius me revisit; tunc, tunc tandem cedet ei pulchritudine — an quisque juvenis? minime, quaeque arbor. — Nimium quan-

tum blanditur! *Fraxinus*, *Fraxinus excelsior L.*, trunco procero et ad trigesimum usque annum tereti, pulchro cacumine frondis concinnae, ovatae, jugatae et pendulae, ad altitudinem saepe centum et triginta pedum erigitur. In *silvis* nativam suam pulchritudinem retinet; in agris, pariter atque ulmus, ad vites arbustivas putatur, et ad pecora pascenda tondetur Lb. II, 446. Plin. XVI, 24. *Pinus* sive *pinea*, apud Linneum *Pinus Pinea*, pinus quoque sativa a veteribus dicebatur, quoniam ob pulchritudinem suam gratosque susurros et nuces gustatu jucundas, quas *pineolas* (*pignole*) Italus vocat, in *hortis* colebatur Lb. IV, 112. Pinus, Palladius *) inquit, omnibus conducit, quae infra eam seruntur, et, Theophrasto auctore, lauros quoque et myrtos infra se fert; Plinio **) quamquam gramen enecare videtur. Non, uti pinaster silvestris a medio, sed in vertice ramos dispergit foliis capillamenti modo praetenuibus, semipedalibus et mucrone aculeatis Plin. XVI, 16. Cum hac pinu Plinius minor VI, 16 flammam Vesuvii confert, quae, longissimo velut trunco elata in altum, quasi ramis quibusdam diffundebatur. Ovid. Met. X, 103:

Et succincta comas hirsutaque vertice pinus.

Petronius 131 quoque diverticulum ea ad rivum opacum exornat:

Mobilis aestivas platanus diffuderat umbras,
Et circumtonsae trepidanti vertice pinus,
Et baccis redimita daphne tremulaeque cupressus.

---

*) Pallad. XII, 7, 9.
**) Plin. XVII s. 18.

Populus, et alba et nigra, amat humorem; minus populus tremula. *Abies*, ἐλάτη, Abies femina est, pinus Abies quoque et pinus alba dicta, *Pinus Picea L.:* quae centum et quinquaginta pedes amplius frigidis in *montibus* surgit. Abietes et larices, Plinius inquit, ex omnibus arboribus altissimae ac rectissimae sunt: in malos et antennas levitatis gratia abies eligitur; laudatissimae sunt in Alpibus et monte Apennino Plin. XVI, 76. Cum his altissimis arboribus suo cum quaque in loco *Lycidae* venusto se comparare licebit, postquam, crebro amantem suum conveniens, venustatem suam auxerit. Si modo hoc interpretes, qui victum nolebant Thyrsin agnoscere, nimis paene ridiculum, quod committitur, apud se reputaverint carmen! *Cedat* merito Heinsius ex antiquissimis libris scriptis restituit; eventum magis etiam reddit incertum, quam *cedet:* quod praeterea cum *revisas* et ipsum congruerit VI, 11.

69 — 70. Meliboeus, Musis opem ferentibus v. 19, horum tantum meminit alternorum versuum; in his autem non minus, quam in caeteris, Thyrsin a Daphnide arbitro victum declaratum esse. Acute poëta mendosas Thyrsidis sententias sub poëticae eloquutionis et rhythmi melici splendore occultavit. Thyrsis aliqua tamen re speciosa plebis favorem sibi conciliasse debebat, ut dignus, qui ad eximiam laudem aspiraret, videri posset. Haec tandem ab artifice Daphnide, Meliboeo consentiente, diremta lis Corydonis meritum toto in campo pascuo confirmabat. Quintilianus X p. 230 ed. Bip. de eloquentiae operibus: *ille*, inquit, *se profecisse sciat*, *cui*

Cicero valde placebit. De poëseos opere cum Virgilio, tam subtili et intelligente magistro, quem *acerrimi judicii* Quintilianus VIII p. 76 fuisse ait, sentire, non minus potest audentem facere. Theocritus in octavo idyllio ita certamen componit:

Daphnis et inter erat pastores maximus inde.

Apud Virgilium *Corydon*, nomen ipsum, hónoris instar est: Ex illo Corydon tanti a nobis aestimatur, ut *Corydon* sive *eximius* idem valeant. Simili modo II, 73 Alexis pro pulchro puero dicitur; et apud Ciceronem div. XVII Verris nomen pro bellua: Repente e vestigio ex homine, tamquam aliquo Circaeo poculo, factus est — Verres! Coram nobis autem lis judicata si ita desineret: *Ex illo Wielandius nobis Wielandius est!* quis interpretationem habere vellet aut haberet? Non multo ante illam de Cicerone censuram Quintilianus: Quare non immerito, inquit, ab hominibus aetatis suae regnare in judiciis dictus est: apud posteros vero id consequutus, ut Cicero jam non hominis nomen, sed *eloquentiae* habeatur. Pierius in quodam codice *victum et* reperit, quod Hafniensis quoque *A* praebet.

ECLOGA OCTAVA.

PHARMACEUTRIA.

Pastorum Musam Damonis et Alphesiboei,
Immemor herbarum quos est mirata juvenca
Certantes, quorum stupefactae carmine lynces
Et mutata suos requierunt flumina cursus:
Damonis Musam dicemus et Alphesiboei.
Tu mihi seu magni superas jam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis aequoris: en erit umquam
Ille dies, mihi quum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium, tibi desinet! Accipe jussis
Carmina coepta tuis, atque hanc sine tempora circum
Inter victrices hederam tibi serpere laurus.
Frigida vix coelo noctis decesserat umbra,
Quum ros in tenera pecori gratissimus herba:
Incumbens tereti Damon sic coepit olivae:

DAMON.

Nascere, praeque diem veniens age, Lucifer, almum!

Conjugis indigno Nisae deceptus amore
Dum queror, et divos, quamquam nil testibus illis
Profeci, extrema moriens tamen adloquar hora!
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Maenalus argutumque nemus pinusque loquentes
Semper habet, semper pastorum ille audit amores,
Panaque, qui primus calamos non passus inertes.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Mopso Nisa datur! Quid non speremus amantes!
Jungentur jam grypes equis, aevoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damae.
Mopse, novas incide faces! tibi ducitur uxor!
Sparge, marite, nuces! tibi deserit Hesperus Oetam!
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
O digno conjuncta viro! dum despicis omnes,
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellae,
Hirsutumque supercilium promissaque barba;
Nec curare deum credis mortalia quemquam!
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Sepibus in nostris parvam te roscida mala,
Dux ego vester eram, vidi cum matre legentem.
Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus,
Jam fragiles poteram a terra contingere ramos.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc scio, quid sit Amor! Duris in cotibus illum
Aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec generis nostri puerum nec sanguinis, edunt!
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Saevus Amor docuit gnatorum sanguine matrem
Commaculare manus! Crudelis tu quoque, mater!
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer! Crudelis tu quoque, mater!
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc et oves ultro fugiat lupus; aurea durae
Mala ferant quercus; narcisso floreat alnus;
Pinguia corticibus sudent electra myricae;
Certent et cycnis ululae; sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in silvis, inter delphinas Arion!
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Omnia vel medium fiant mare! Vivite, silvae!
Praeceps aërii specula de montis in undas
Deferar! extremum hoc munus morientis habeto!
Desine Maenalios, jam desine, tibia, versus.
Haec Damon: vos, quae responderit Alphesiboeus,
Dicite, Pierides; non omnia possumus omnes.

ALPHESIBOEUS.

Effer aquam, et molli cinge haec altaria vitta!
Verbenasque adole pingues et mascula tura!
Conjugis ut magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus; nihil nisi carmina desunt!
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Carmina vel caelo possunt deducere lunam;
Carminibus Circe socios mutavit Ulixi;
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque hanc altaria circum
Effigiem duco: numero deus impare gaudet.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores;
Necte, Amarylli, modo: et, Veneris, dic, vincula necto.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit
Uno eodemque igni: sic nostro Daphnis amore.
Sparge molam, et fragiles incende bitumine laurus.
Daphnis me malus urit: ego hanc in Daphnide laurum.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.

Talis amor Daphnin, qualis, quum fessa juvencum
Per nemora atque altos quaerendo bucula lucos
Propter aquae rivum viridi procumbit in ulva,
Perdita! nec serae meminit decedere nocti:
Talis amor teneat; nec sit mihi cura mederi.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit:
Pignora cara sui! quae nunc ego limine in ipso,
Terra, tibi mando. Debent haec pignora Daphnin!
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Moeris; nascuntur plurima Ponto.
His ego saepe lupum fieri et se condere silvis
Moerin, saepe animas imis excire sepulchris
Atque satas alio vidi traducere messes.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Fer cineres, Amarylli, foras; rivoque fluenti
Transque caput jace, nec respexeris! His ego Daphnin
Adgrediar; nihil ille deos, nil carmina curat.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.

Adspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. Bonum sit!
Nescio quid certe est! et Hylax in limine latrat!
Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
  Parcite, ab urbe venit, jam, carmina, parcite, Daphnis.

ECLOGA VIII. EXPLICATA.

ARGUMENTI NARRATIO.

AB U. C. DCCXV.

L. Marcio Censorino C. Calvisio Sabino Coss.

AUCTUMNI TEMPORE.

Virgilius annum agens 30—31.

Damon et Alphesiboeus, armentarius uterque, mane aestivo in saltibus Pindi v. 3 obviam facti, canunt alternis; iste quidem puerum infeliciter amantem, qui in mare se praecipitat, hic puellam, quae magicis artibus perfidum amatorem cupit retrahere. Ab hujus carmine palmario, cujus Pollio argumentum proposuerat, inscriptio petita est.

Annus quidem hujus eclogae ob alloquutionem v. 6—13 factam prorsus non est dubius. Nam qui in Illyria lauros victrices meruit, tragoedias, quales Sophocleae, scripsit, et poëtae in eclogis scribendis consilia dedit: temporum is non ignaro tantum non nominatus est: proxime superioris anni consul, Asinius Pollio, Virgilii accola et post annum DCCXII

amicus, etiam tum Tragicae Musae in amore et deliciis III, 86, annoque DCCXV Parthinorum in Illyria victor. Hoc veterum meliores quique apud Servium et Philargyrium v. 10 et 12 statuerunt, quamvis alii v. 6 Augustum somniarent; hoc Josephus Scaliger, Taubmannus, Ruaeus, Martynus.

Caesar enim Octavianus et M. Antonius, pace Brundisina extremo anno DCCXIV denuo conjuncti, postquam proximo vere anni DCCXV cum Sexto Pompejo pactionem Misenensem iniverant; ultimum Asinius Pollio in se recepit opus bellicum ad Parthinos sive Parthenos rebelles domandos, qui populus, Bruto pridem deditus, Caesaris in provincia Dalmatia erat. In hanc expeditionem, pro Caesare cum copiis, uti par erat, Caesarianis susceptam, ab Antonio quoque destinati adversus Parthos pars exercitus, qui in Graecia hiematurus erat, additus est, partim ad exercendos praedaque inflammandos milites, partim ad Caesari habendam gratiam; ex iis, quae Pollionis adhuc, verisimile est, fuerant legiones. Victor nunc auctumnali tempore Pollio auxiliares Antonii copias in hiberna dimittit, et, Caesarianis nonnullis comitantibus, navi in Venetiam redit, qua in provincia, pro Antonio ante administrata, pro Caesare, qui nunc erat dominus, plura fortasse etiam tum negotia ordinanda habuit; suoque Ravennae nato filio, Asinio Gallo, a capta urbe Salonis Salonini cognomen ex Dalmatia refert cf. IV Arg. sub fin.; et Romam brevi post ad decretum triumphum proficiscitur, quem extremo mense Octobri egit.

Pollio, dum in Venetia fuerat annis DCCXII et DCCXIII, imitationem a Virgilio Pharmaceutriae Theocriteae petierat. Redeunti itaque ad lauream triumphi duci mente poëta, nunc gratulaturus, eclogam suam, poëticam quasi aliquam hederam, obviam mittit: ignorans, an in ore jam Timavi fluvii, an multo retro in litore Illyrico animus eum assequatur.

Quodsi proficiscenti ad expeditionem Illyricam Pollioni poëma hoc domo misisset Virgilius, quam egerit imprudenter Pollionis de rebus gestis et lauro victrici loquens? quaerit Ruaeus, proxime superiori anno quum ipsum Caesarem Octavianum Pollio, Virgilii nunc dominum, impugnavisset, et ad pacem Brundisinam coëgisset. Cum eo exercitu, praeterea vix credibile est, qui in Italia inferiore partim ad Orientem per Graeciam ire destinatus erat, Pollionem in oram adversam, tam prope absentem, tam vastas ad Occidentem ambages duxisse, vel mari, secundum lutosam et nautis formidatam oram Italiae, vel terra, per totam Italiam fame oppressam.

Hanc quoque in eclogam plures versus ex Ciri, Galli poëmate, Virgilius recepit, ad caritatem Pollionis suoque amico probandam; vide VI, 74 et II in argumenti narratione.

Annotata.

1 — 5. Poëta refert, Damon et Alphesiboeus, silvarum vocalissimi, quae carmina commiserint. Mane

aestivo v. 14 in montibus obviam facti, Damon pastorem ob amatae perfidiam canit desperantem; Alphesiboeus, puella rustica volaticum quomodo amatum puerum magicis ad se retrahere artibus cupit. Invitationem ad amicum certamen poëta non minus, quam, quae in fine esse solebant, gratias habitas et dona data praetermisit; cf. v. 62. Uterque est *armentarius*, quorum flagrans cupidine cantus praesentia hodie non modo armenta, sed feras quoque e silvis evocatas, vel totam naturam inanimam movet. Hac veterum animis, qui magis ardebant, aliena non visa affectione, sua sensa quoniam pectore commotus naturis circum praesentibus solet tribuere, Sileni quoque sublimis animi elatio VI, 27—30 Faunos et feras et arbores, postremum coelum stelliferum afficit; pastoris quoque Apollinis carmen VI, 83 Eurotam et colles laurorum. Carmen non tantum bucolicum, traditas de Orpheo et Amphione fabulas sequens, bestias animavit sensibus V, 25. Theocr. I, 71—75; plebis quoque vulgaris opinio voluptatem iis ex sonis concinnisque motibus dedit Lb. IV, 64. In his fictis quicquid blanditiarum inest, ad Pollionem id, qui argumentum ad commovendos animos proposuerat, redit. *Juvenca* pro armento, cujus major numerus vaccae sunt Lb. III, 63. *Lynx*, rapax septemtrionalis Lb. III, 264, ab Italia, quod Plinius ait, aberat; quamquam nunc, teste Salisio, in Apulia reperitur, deserta quoniam saecula fortasse foeturae ejus favebant. Secundum fabulas *Ov. Met.* V, 649 Lyncus, rex Scythiae, ad quem frumentum Triptolemus afferebat, in lyncem mutatus est; ex

lyncum quoque urina in Scythia lapis nascebatur lyncurion: fabulosa succini interpretatio. Scythiam, constat, in tabula orbis terrarum Eudoxi septemtrionalem ab occidente ad orientem solem arcum complexam esse, et Thraciam saepe in se continuisse. Xenophon dicit *ven.* XI, lynces venatores cum leonibus, pardis, pantheris et ursis in monte Pangaeo et Citto supra Macedoniam, in Olympo Mysiae, in *Pindo* et Nyse supra Syriam aliisque magnis montibus venari. Pastor quoque Apollo apud Admetum, regem Thessaliae, quod ait Euripides (*Alc.* 578), modis suis maculosas lynces et leones de monte Othryso delectabat. Sunt, qui lyncem Indiae et Aethiopiae tribuant, Nyse quoniam, mons Bacchicus, in seriore de mundo doctrina eo perlatus est*). Callimachus *Dian.* 89 de lynce Maenalia memorat, quemadmodum Apollonius I, 168 de urso Maenalio. Virgilius igitur hujus carminis argumentum peregre posuit, artes quoniam magicae, fictae nobilius, Graecae erant; et quidem, quod ex sequentibus patet v. 21. 30. 64. 71. 95, in *Thessalia* venefica, *Pindi* quodam in jugo silvestri, ad Occidentem ab Oeta versus. *Stupefactae carmine* solemnis est Virgilii compositio, ut Graecae figurae *carmina* diffidere liceat. *Mutata suos cursus*, i. e. postquam proprios suos, *adsuetos cursus* Tib. IV, 125, flumina ad poëtas commissos deflexerant, *mutata* verbo medio; constiterunt auscultantia. Gallus quidem Cir. v. 233 *rapidos requiescunt flumina cursus* habet, i. e.

*) *Heyne:* „Lyncas vero in tali carmine, quod ad Siciliam pertinet, nolis esse memoratas."

cursum retardant; hac autem hic dictione *suos*, plenum ponderis, otiose inferciretur. Hafniensis *C* habet *liquerunt*. Iterata post parenthesin nomina non tantum vinciunt; istam enim necessitatem poëta magis vitaverit: sed animos quoque in cantores tam graves magis faciunt intentos; cf. v. 85—89.

6—13. Tu, sive jam praeter Timavum sive in ipsa etiam nunc ora Illyrica obviam mihi naviges; o praeclare victoriis reportatis ingeniique operibus editis, quem cantus meus, quaqua possit efficere, semper celebrabit: hoc tibi carmen ne displiceat, cujus tu ipse argumentum proponebas. Plenum tuorum spirituum fortasse non indignum est, quod tuum victoris gaudium augeat, et hedera quasi quaedam poëtica laureae tuae propinqui triumphi implicetur. — *Mihi*, cum Horatiani istius ardore: *Quid mihi Celsus agit?* Ad hanc alloquutionem, quae in fervidam digressionem abit, *accipe* v. 11 nectitur; minime *faveas* aliquod mente reservatum, quod Ascensius invenit, et Taubmannus, Cerda, Ruaeus, Martynus receperunt. *Praeternavigantes* tam *superare* dicuntur in simili loco Aen. I, 243 et saepe, apud Livium XXX, 39 (alias quoque *exsuperare* Aen. III, 698); quam *aequoris oram legere* Lib. II, 44. In navibus, quibus exercitus a Brundisio trajectus fuerat, ad Venetos victis Parthinis Pollio cum Caesarianis quibusdam revertitur, triumphum suum mox Romae acturus. Ob aquas Italiae lutosas, qua de re Woodius agit p. 79, secundum oram navigat Illyrici, Istriae et Tergestini sinus, in quem *Timavus* inter Tergeste et Aquilejam exit, donec

portum Venetiae aliquem nanciscatur. Plane ita Honorius apud Claudianum VII, 119 litora Illyrici praetervehitur, stringens agros Dalmatiae, Timavi lacus numerans et in Eridanum intrans. Antenor quoque Virgilii Aen. I, 242 idem iter ad Patavium dirigit:

> Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,
> Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
> Regna Liburnorum et fontem superare Timavi:
> Unde per ora novem vasto cum murmure montis
> It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti.

Saxa Timavi sunt, qui hoc in loco fons Timavi, qui ex novem faucibus montis se projicit, et, in unum vix mille passuum longitudine porrectum flumen conjunctus, (quoniam in interiore mari Adriatico, quod ait Claudianus XXVIII, 496, aquae et accedunt et recedunt) maris occurrentes fluctus cum impetu frangit, ut aestus litore tenus ferveant. *It proruptum*, quemadmodum Horatius de Tiberi ripas excedente, *it dejectum:* quae frequens apud Plautum est verborum compositio; *prorumpere* potestate activa Lb. I, 98. Exaestuationem istam marinam testatur Martialis XIII, 89, quum pastos ad ora Timavi, salsarum et dulcium aquarum in aestuario, lupos delicatissimos esse declarat. Interiora maris Adriatici quum primum a Phocaeensibus investigata essent, ut novis nautarum errores exornarent prodigiis, poëtae aemulati sunt Epp. Myth. I, 15 p. 89. Ex eorumdem uno Martialis refert IV, 25, Castorem quoque cum Argonautis eo venisse, cujus equum Cyllarum septenas aquas Timavi hausisse. Varius fontium numerus originem ex inconstantia fa-

mae popularis, et, si voles, naturae duxit. *Illyricum*, *Illyris*, *Illyria* septemtrionalis ora maris Adriatici cum vagis terminis dicebatur: ex consuetudine ad Occidentem complectebatur Liburniam, saepe cum Istria ad Tergeste usque et ad Orientem Dalmatiam; quae, in comparatione terrarum Brundisina ad Scodram usque diducta (IV Arg.), rebelles *Parthinos* sive Parthenos cum conjurata urbe *Salonis* continuit. Poëta, dum unde et quo Pollio suus proficiscatur, acrius cogitat: Utinam umquam, exclamat, carmen ego te dignum, victore et Sophocle Romano, canere possim! Omnes meas vires experiar! Interea hunc, tuo jussu ortum, cantum accipe, hederam inter lauros victrices! *En umquam*, quaerens et optans I, 67. Pollio, quod videtur, *tragoedias* suas III, 86 ad publicum usum nondum collegerat, sed singulas tantum, quemadmodum Virgilius eclogas suas, ediderat; aliquae in Venetis spectatae fuerant, ubi anno DCCXII Virgilii pastores eas laudabant. Etiam post triumphum, quum a republica decessisset, in tragoediis componendis tam erat assiduus et industrius, ut Horatius II od. 1, 9 eum hortatus sit, ut a Musa severae tragoediae aliquantisper cesset, et demum, postquam historiam belli civilis perfecerit, ad grande munus Attici cothurni redeat. Servius prae se fert scientiam, Pollionem in utraque lingua tragoedias scripsisse. *Sola Sophocleo digna cothurno* i. e. digna, quae cum sublimibus Sophoclis fabulis conferantur. Varii Thyestes, quam Graecorum cuilibet Quintilianus comparat, multo post nota fiebat: quum essent, qui hereditate id opus a Cassio

Parmensi, post pugnam ad Actium navalem necato, traditum esse autumarent. Ipse Horatius in priore quodam carmine I Serm. X, 42 Pollionem quasi unicum tragoediarum scriptorem et Varium quasi epicum tantum poëtam praedicat. Alte soleatus *tragicus cothurnus*, diversus a cothurno venatorum VII, 32, apud Tertullianum *de spectaculis* cap. 23 p. 136 ita laudatur: Tragoedos cothurnis diabolus extulit; quia nemo potest adjicere cubitum unum ad staturam suam, mendacem facere vult Christum! *Primum et postremum* Pollionem canere: hujus proverbii promissio Il. IX, 97. Theocr. XVII, 1—4 minime vult ad literam accipi. Pollio, qui rusticam Virgilii Musam amabat III, 84, imitationem pharmaceutriae Theocriteae *optasse* videtur; Virgilius, imitator et ipse inveniens, puellae infeliciter amanti infelicem amatorem comparabat, et, cantionibus puellae concedens victoriam v. 62, inscriptionem *Pharmaceutriae* propositam cf. v. 64 retinebat. Libera Romanorum oratio *jussa* dicit optata quaeque; nostra habet ex ordinum civilium gradibus Befehle, Bitten, Verlangen. *Laurus* ducis triumphantis coronabat frontem et fasces, unde in sinum Jovis Capitolini deponebatur, et militum victorum hastas et jacula. *Hedera* Baccho concitanti sacra erat VII, 25, una imprimis species racemis fructuum crocatis III, 39. *Serpere*, modeste. Pollio hunc Dalmaticum triumphum de Parthinis et Salonis eodem auctumno anni DCCXV egit, extremo mense Octobri. Charisius *laurus* pro *lauros* legebat: quae forma minus usitata hancque ob rem poëtis dilecta manu scripti libri

eam si praebent, omnino anteferenda est v. Broukh. Tib. II, 5, 63.

14—16. Exordium carminis committendi. Virgilius reticens, animo quidquid intentus aliquis adjiciet, in brevitatem cogit omnia. Per aestatem post Vergilias exortas in herbosis saltuum anfractibus pecus pascitur, chortibus ibi aestivis pernoctans I, 79. Nunc roris matutini in frigore cum bobus Damon et Alphesiboeus in convalle Pindi Thessalici 2—4 irrigua obviam sibi fiunt. Certamen amicum proponitur et Damon orditur. Idem tempus poëta Lb. III, 324 ad capras ovesque pastum agendas destinat:

Luciferi primo cum sidere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratissimus herba.

In quatuor Hafniensibus *est* post *herba* non legitur: in *A* a seriore manu additum est. Ros quum cubile permittat nullum, Damon stat *pedo* V, 88 innisus, quod saepe erat ex duro ligno *oleagino*, et tibia v. 21 canit ante carminis quodlibet intervallum. Ita caprarius iste Thebanus *Cul.* 97 vel sub meridiem:

Talibus in studiis baculo dum nixus apricas
Pastor agit curas, et dum non arte canora
Compacta solitum modulatur arundine carmen.

Incumbens olivae vix esse potest, *ad oleam arborem reclinatus*, imprimis cum *tereti*, quod additamentum ad scipionem deducit. *Incumbens baculo, quem dextra gerebat*, Ovidius *fast.* I, 177 dicit; et *oliva* pro scipione oleagino *Met.* II, 681 *onusque fuit dextrae silvestris oliva:* ubi ba-

culum silvestre sinistrae, quod Heinsius recepit, depravationis debilitate sua et malo sono arguitur.

— — — — Oleastri dextra recurvam
Gestabat clavam:

Theocritus quoque VII, 18 de Lycida dicit caprario.

17—20. Damon res canit non suas; sed, consuetudine pastorum canentium, cupidinem tractat desperantis amatoris, cujus perfida puella alii hodie nubet. Mane noctu per campos vagatus, stellam nunc miser matutinam oriri videt, quae diem referet futurum amicum, praeterquam ipsi! Mane hoc oriens pastoris ficti cum orto jam imitatoris canentis ne commutetur. *Lucifer* et *Phosphorus*, lucem ferens, *Eous* quoque i. e. stella matutina, Venus dicitur πλανήτης, mane quando ante solem oritur; quodsi solem sequitur vespertinum, *Hesperus*, *Vesperugo*, *Vesper*, *Nocturnus*, *Noctifer*, αὔλιος sive stella cohortalis. Poëtis solemne est, vagam hanc stellam errantem, perpetuum existimare et diei et noctis simul praecursorem, quod utrumque, sed aliud aliis temporibus anni, est. Cinna in fragmento Smyrnae:

Te matutinus flentem conspexit Eous,
Et flentem paulo vidit post Hesperus idem.

[Servius ad Georg. I, 288.] Eodem modo Statius Theb. VI, 238:

Roscida jam novies coelo dimiserat astra
Lucifer, et totidem Lunae praevenerat ignes
Mutato Nocturnus equo.

Senecae, poëtae tragico, Hipp. 748 Hesperus in Oceano recens lavatus, post tenebras dispulsas, Lucifer factus, redit; et Oed. 741 Lucifer matutinus

proximo vespere, Hesperus factus. Ita Meleager quoque *Anth. fr.* LXXIV de discedente amata:

Lucifer, auroram revehens, salve, et celer adsis
Hesperus, et referas, quam invidus hinc abigis!

His praemissis, mirum non amplius videbitur, *Lucifer* nunc oriens si brevi post v. 30, vesperi ratione habita, Hesperus dicetur. *Praeveniens* poëtice distractum. *Almus*, alens, beneficus: petitum id a sincera infantia ad pietatem primum impulsorum sensuum. Hafn. *C* habet vulgarius: *praeque die — — ortum*. *Conjux*, amata; quemadmodum Anchisae cum Venere conjunctio Aen. III, 475 *conjugium* appellatur. *Indigno amore*, meo amori non respondente, falso amore; *impari*, secundum Servium. Hafnienses *B*. *C indignae* habent pedestri oratione, quod nostris dicendi magistris verius esse videbitur. *Dum queror — — — hora*, Scyllae sunt verba in Ciri Galli v. 405. 406. *Adloqui deos*, advocare, salutare; Plaut. Amph. I, 1, 26; ϑεοὺς προςειπεῖν Aeschyl. Ag. 819 [810]. *Impunitas jurisjurandi Venerei* proverbii instar erat. *Moriens*, moriendi certus v. 59. *Adloquar* Leidensis primus et Mentelianus prior apud Burmannum.

21. Carmina poëseos rusticae vel parva canticula varii argumenti sunt, vel, unum longius negotium quum imitando effingitur, raptim erumpentes impetus multiformium commotionum animi. Per intervalla poëta rustico instrumento musico canit, plerumque simplici arundine aut fistula multorum calamorum; hic majore *tibia*, cujus sonum clausis et apertis foraminibus modulatur. Consilium ea in re

extemporalium in agro commentorum, quos arte excultos coram Virgilius producit, nullum aliud facile fuerit, nisi ut otium ita haberent ad meditandum. Talia prooemia a redeunte versu hujus argumenti, *canam*, saepe initium capiebant, et *προᾴσμα*, *προαύλιον*, *προαύλημα*, apud fidicines *προανάκρουσις*, *προκιθάρισμα* appellabantur. Erat quoque, ubi conclusiones quaedam finem imponerent, hac praefatione, *cecini*, *ἐπιμελῴδημα* et *ἐπῳδή* dictae. Utraque hic non minus sunt, quam in primis Theocriti et Bionis idylliis; quamquam Theocriti Thyrsis carmen suum tunc quidem tantum repetitum, non recens inventum, et isto tempore sine fistula decantat, Panis reveritus iram. Germaniae poëtis popularibus versuum hoc genus intercalarium, quum consuetudo illa popularis nobis non sit, concedi non posse videtur; recte vero aliud quoddam, quod ad rem interea agendam aliquam canitur: quale, dum magica vertigo volvetur infra v. 68 et apud Theocritum, aut fusi fatales apud Catullum LXII; et, nisi male nobis cedebat conatus, dum tympanum Druidarum murmurat prope cascae gentis viri tumulum *). Fennico tamen alicui Theocrito prius quoque genus permissum sit. Secundum Porthani enim scriptiones *de poësi Fennica* (Gött. Anz. 1779 St. 96) magistri rhunici non commentati fingunt, emendata oratione, trita fugientes, audacibus figuris et inversionibus, et multis subtilitatibus, quibus ars rhetorica nomina indit. Nempe in Fennia correctores sunt nulli, qui ardo-

*) *Joh. Henr. Vossii idyllia.* Regiomonti 1801 p. 171 ss.

rem orationis poëticae ad sermonem usque vulgaris consuetudinis velint deprimere. Poëtae canenti socius additus est, qui singulos versus, in ultimo verbo suscipiens, repetit, confirmatione saepe intercalata: *profecto*, *inquam*, *vere dictum!* Interea poëta novum versum commentatur, quo socii postremum verbum excipit. Ambo invicem aut oppositi aut prope sedent, genibus se tangentes et manu correpta, dum corpus invicem prorsus motant, vultu severo et meditante. Cantus admodum simplex est; et fides nonnumquam poëtae pro socio sunt. — Damonis igitur haec est sententia: Carmina mihi, mea *tibia*, aspira, qualia in *Maenalo* Arcadico audiuntur. De laudata Arcadum arte musica supra VII, 4 dictum est. *Tibia*, arundo multorum foraminum, cornu continuata, nostri hautbois instar, αὐλὸς Graece dictus, peregre rem gestam non minus declarat, quam lynx v. 3 et Oeta ab Oriente affinis. Romanis enim, quum arte expolita esset, cavata ex osse asinino (unde *tibiae* quoque i. e. cruris nomen) aut ex loto, buxo, elephanto et metallis, crebro in theatris, ad sacrificia et epulas quidem sonabat; pastoriam autem inter supellectilem cannas tantum habemus stridulas unius arundinis et fistulas plurium calamorum, numquam tibias: quamvis, Lucretio auctore V, 1384, inter rusticos, Graecos dicit, tibia inventa sit, et nocturno silentio chordarum sonos affirmaverint a Satyris fieri, a Nymphis et a Faunis IV. 588:

— — — dulceisque querelas,
Tibia quas fondit, digiteis pulsata canentum.

Contra Theocriti bubulcus XX, 28 aliter se jactat:

Fistula suave sonat, modulor quoties ego carmen,
Tibia, sive inflo rectam seu curvam, et arundo.

Praeter fistulam tibiam quoque is novit (αὐλός), arundinem (δώναξ), etiam curvam majoris artificii tibiam (πλαγίαυλος), cornu curvo continuatam, quae in sacris matris Phrygiae inflabatur. In sexto ejusdem idyllio principia contendentium alter tibia, alter fistula canit. Longus quoque I p. 6 in Lesbio antro Nympharum tibias animadvertit et tibias curvas et fistulas et arundines (κάλαμοι), a veteribus pastoribus dicatas. Ab initio tibiae simplices paucis foraminibus fiebant ex Orchomenia arundine, quae inde αὐλητικὴ sive ad tibias idonea appellabatur, et, Theophrasto Plinioque auctoribus*), in lacu Copaide et Cephisso intrante, inundatione plurium annorum, ad insuetam amplitudinem accrescens, diligenter caedebatur et apparabatur. Ejusmodi arundinea nullius artificii haec erat tibia v. 24, quam pastor Pindi montis facili negotio ex Boeotia finitima impetrare potuerat.

22 — 24. Versus cur Maenalios? Quoniam in Maenalo monte eximio cantu et pastorum amantum et ipsius Panis, qui primus ex calamis concentus eliciebat, silvae semper consonant. — Consideratio haec, parum in ore vere desperantis verisimilis, non minus, quam modi isti intercalares totaque carminis conformatio, artificis imitatoris est. *Argutum* nemus et pinus *loquentes* minime hic de venti susurris; sed, quod vicinae sententiae requirunt, cantu

*) Theophr. h. pl. IV, 11. Plin. XVI, 66.

sonantes sunt. Ita *forum argutum* apud Ovidium *art.* I, 80, et *valles argutae* apud Columellam IX, 5; ita *stagna loquentia* Aen. XI, 458. In montibus Arcadicis pinastri tantum silvestres sunt, nullae pinus X, 14. Hic quoque libri quidam manu scripti antiquiorem formam *pinus* pro *pinos* praeferunt. Duplicatum *que* poëtice dicebatur. Montem *Maenalum*, Pausanias inquit, *Pani* tam sacrum existimant, ut accolae Panis ipsius fistulam audire se praedicent. De inventione organi hujus musici silvestris ex arundinibus v. II, 32. Damon autem Pana simul et ut inventorem et ut summum artificem tibiae arundineae vereri videtur. Secundum Bionem III, 7 curvam tibiam *Pan*, rectam tibiam Minerva invenit: quare Daphnis apud Longum IV, p. 175 Pani fistulam et curvam tibiam, πλάγιον αὐλὸν, consecratas suspendit.

26—30. Quum Mopso alicui venusta se Nisa dedat, in amore connubia exspectare licet non minus prodigiosa, quam concordia prodigiosa sit inter bestias inimicissimas. Age, fortunate, ad nuptias te accingito! Hymenaeos stella surgit Veneris tibi latura! — *Datur*, dedit se: verbo medio, quale *jungentur*. Exinde maxime quaeque adversantia fient amica: cum *gryphe* eodem se jugo *equus* sociabit, cum *cane damae* potum venient. *Gryphus* fabulosus, fera rapax erat ex montibus Rhipaeis Hyperboreorum, qui montes ab Occidente primum initia capiebant, post paulatim ad septemtriones protrudebantur. In corpore leonino aquilae habebat caput et alas, et pellem pantherae maculosam; aurumque

custodiens cum Arimaspis assidue bellum gerebat equis vehentibus: unde inter ipsum et equum inimicitia. Frenum *jugumque vecturarium* quorumdam tantum deorum patiebatur in fabulis posterioribus Epp. Myth. II, 16—19 (54—57). Proxima imago docet, *jungi* hic propria sua potestate, minime de coitu, esse. Mediceus liber Graecam formam *grypes* habet. A Quintiliano IX, 3, 6 *damae* et *talpae* virili genere Virgilii inter audacias numerantur; quas facile improbaverit Maevius. *Poculum*, potus, potio, ab antiquo *poo*. Vesperi sponsa cum *facibus* pineis, corneis, ex spina alba aliaque materia ad sponsum *deducebatur*. Hafniensis *C* habet *incende*, quod Burmannus alibi quoque animadvertit. Tempus aequare volebant; sed id ipsum animi commoti argumentum est, quod desperans tempus hoc matutinum cum formidando vespere, qui ei ante oculos obversatur, una complectitur: Caede nunc faces, vesperi ad te ducetur; sparge tunc nuces, conjux future, nunc ipsum Hesperus tuus futurus in Oriente micat. *Nuces juglandes* comites Plinius XV, 24 appellat nuptialium Fescenninorum. Obviam eae advenienti sponsae spargebantur saepe a sponso, quoniam resilientes et strepentes felix auspicium faciebant; saepe a pueris, sponsa ne quid adversi exaudiret, sive ad lusus desertos, nisi occultius aliquid, significandos; saepe ante thalamum quoque sponsalem mittebantur inter pueros, qui lascivos Fescenninos canebant, ut legentium tumultu sponsae vox, virgineo pudore renitentis, opprimeretur. Thessalo Virgilius an mores commodaverit Romanos? Talia

menda veteribus nostroque ipsi poëtae pluribus in locis Aeneidis, peregrina si parum nota essent, magis idonea esse videbantur, quam putida diligentia. Vestigia autem moris istius admodum mutabilis inter Graecos quoque habemus. Athenienses enim, quod σχολιαστὴς Aristophanis aliique testantur, novis familiaribus et servis, quando primum accedebant, omnibusque omnino, quibus fausta principia optabantur, *sponso* quoque et *sponsae* ad focum, multiplicia bellaria ad copiam ostendendam spargere solebant: quae καταχύσματα sive effusiones dactylorum (palmularum), operis pistorii, ficuum et *nucum*, servi domestici rapiebant. Ante thalamum quoque sponsalem vel a puellis Theocr. XVIII vel ab universa juventute Long. IV p. 191 jocosum κατακοιμητικὸν cum strepitu et tripudio canebatur, sponsae ad voces, quas fore suspicabantur, opprimendas; haec κτυπία aliquibus in locis cum nucibus spargendis jungi poterant.

30. Tibi deserit Hesperus Oetam: id est, tua causa Lucifer iste (quem v. 17 alloquebatur) in Oriente ab Oeta monte scandit, ut, Hesperus factus, hodie vesperi tibi in occidentali coelo appareat. Lucifer, quemadmodum hoc in loco Hesperus quasi futurus, ita apud Horatium II Od. 9, 10 appellatur Hesperus quasi praeteritus:

— — — — — nec tibi Vespero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente Solem.

Hesperus, sideris vespertini perpetuo munere fungens v. 17, saepe, quod opinari licet, sponsales ad vesperas accelerandas invocabatur. Jam Sappho cecinit:

Hespere, cuncta vehis!
Vehis vinum, vehis capram,
Vehis matri infantem.

Vinum ob rores fertiles, capram ab agro ad stabula. *Oetaei* montes praecisis rupibus a sinu Maliaco ducenta stadia ad Occidentem versus tendunt, Pindi jugum secantes; altissime Callidromi arces supra Thermopylas surgunt, ubi ad mare angusti ad transitum calles ex Locride in Thessaliam aperiuntur Strab. IX, p. 428, Liv. XXXVI, 15. Hesperus *deserit* Oetam, id proprie si dictum est, esse non potest: Hesperus factus et solem sequens ad Oetam *occidit*; sed *surgit*, nimirum, in Pindo pascentibus, ut Lucifer, tempore matutino. Ita Hercules in jugis Oetaeis, ad Occidentem versis, solem supra cacumina, Orienti objecta, apud Senecam *Herc. fur.* 133 oriri videt, ita gentes apud Silium VI, 452 omnino occidentales. Secus est, quum in *Culice* Virgilii v. 202 pascentibus in Boeotia, Orienti obversa, Hesperus supra Oetam, occidentali latere septemtrionis, ex sole decedente *procedit*, sive conspicitur:

Et piger aurato procedit Vesper ab Oeta.

Haec quoque quidem *processio* stellae vespertinae a Varrone L. L. VI et ab Horatio supra *ortus* dicitur; quod majus est, apud Senecam *Hipp.* 747 Hesperus ex Oceano surgit vel recens lotus. At ejusmodi ortus ab Oeta monte Hesperi improprie dictus observatorem requirebat sub Oriente positum; totaque haec ecloga, carmen imprimis magicum, ad Pindum Thessaliae pertinet. Ex duobus igitur, qui

esse poterant ortus, hic iste tantum proprie dictus valet. Longe etiam secus est, quum Hesperus, quoniam dei instar in Oeta monte et ab accolis Locris eorumque coloniis colebatur, apud Catullum LXII, 7 et Statium *silv.* V, 4, 8 cum *lampade Oetaea* venit. Nihilo tamen ob hanc magis ab orientali Oeta gentibus occidentalibus Hesperus oriatur necesse est, quam, quoniam apud Claudianum XIV, 1, Veneris tamquam stella, semel *splendores Idalios* tollit, ab Idalio Cyprio.

32—35. O conjugem dignum scilicet, Mopsum istum, fastidiosa Nisa, cui pastor nemo satisfaciebat, cui ars mea, copia mea, forma mea ludibrio erat! Ulti, credo, Dii superbiam sunt! — Irrisionis plena significatio, praelatus amator quam rudis, egens et informis sit. *Despicis omnes:* indignitate, quam solus fuerat expertus, communi facta. Miseros in *fistula* modulos irrisura spreto amatori objecerat; ad egenum *caprarium* eum depresserat non minus, quam Galatea Theocriti Polyphemum VI, 7; ejusque in ore, quod virilis decoris certamen non reformidabat, tamquam hirsutum, vegetum exprobraverat *supercilium*, tamquam immanem, *barbam* rite cultam. Haec et ipsa in fictum tantum amatorem, non in fingentem poëtam Damonem, cadunt, qui arundinea tibia canebat, bovesque pascebat. Similia opprobria caprarius Theocriti III, 7 ab Amaryllide sua timebat:

— — — — Mene fugis tu?
Quum prope sum videorne tibi simus, mea barba
An prolixa tibi? cogis me frangere guttur.

Similibus ibi XX, 8 a delicata urbana amans bubulcus repulsam fert:

> Quam tibi barba fluit mollis suavesque capilli!

Ad quod justa ille fidentia exclamat v. 21:

> Num mortalem alium Di me finxere repente?
> In me forma etenim florebat nunc modo dulcis,
> Truncos ut cingunt hederae, mentum mihi spissans;
> Utque apium crines ludebant tempora circum.

Villosa barba, *barba promissa*, *immissa*, *prolixa*, *propexa*, neglectam ostendit culturam, quae barbam requirit eleganter breviatam, *barbam attonsam*, qualem illam honesti Tityri I, 29. Cf. Juvenalis σχολιαστὴς *Sat.* IV, 103. Rusticus in Theophrasti characteribus V, non, nisi quum a montibus ad urbem venit, barbam et capillum sibi tonderi curat. *Promissa*, pro tritiore *prolixa*, veteres legebant Grammatici Diomedes et Servius, Hafnienses quoque.

37—41. Tene mihi perfidam esse, qui a pueritia tanto te ardore amaverim! — Maturi amoris adumbratio Theocriteae XI, 26 libera imitatio est, ubi juvenis Cyclops ad Galateam loquitur:

> Captus amore tui fueram, de monte, puella,
> Quum primum cum matre mea frondes hyacinthi
> Venisses carptum; duxi vos ipse ego calles.

Hic Nisa primae adhuc aetatis mane auctumnali matrem illius visit, ab eaque in hortum frugiferum precibus attrahitur; pastor adolescens gnarus eam ad arbores circum ducit, ubi pulcherrima *mala*, cydonia et granata, *rore matutino* adhuc madentia, in ramis maturuerant, hilari sedulitate ipse decerpens,

quidquid ex brachiis arborum dependentibus potest contingere. Numquam antea pullulascentem virginem tam lepidam, tam venustam viderat; pectus concipit amorem, qui maturescente pulchritudine ad fervorem usque insaniae accenditur. *In sepibus*, in horto circumsepto, quale Lb. IV, 130 *in dumis;* non intra vel proxime sepes ipsas. Veteres hortos suos vivis lubentissime sepibus spinoso vepre claudebant Colum. XI, 3, 3. *Mala*, multa complectente vocabulo III, 64, recentia *ex arbore* carpuntur, non cadentia aut decussa in roscido gramine aut in sepibus colliguntur; ita est *mala legere* II, 51. III, 70. Pueri a *matre* ad gustandum vicini filia in hortos ducitur, quemadmodum cum Polyphemi matre montes filii Galatea invisit; virginis mater cum filia sua vix sine parentibus puerum in hortum sequuta sit. Puer autem fructus in hortis jucundissimos sapore melius reperire didicerat, quam ipsius mater. *Roscida mella*, legendi ratio insulsa est; nam etsi mel *ex* florentibus sepibus colligitur, non struunt tamen *in* sepibus, nec faciles sibi a pueris mel rapi patiuntur. Ex anno *undecimo* puer modo in *alterum* sive proximum intraverat: ita Ruaeus interpretatus est, *alter* V, 49 collato; quod antecesserat, id, quemadmodum in *altero die*, primum esse fingitur. Annum decimum tertium quasi *secundum post undecimum* nominare, in ipsa necessitate versus, quae tam saepe arguitur: nimis artificiose dictum sit. *Ceperat* pro *exceperat*, cum declaratione continuationis, magis videtur auguste dictum, quam *acceperat*, quod pluribus in libris scriptis legendum

praebetur. *Ut vidi*, *ut* — — interpretari solent: *Postquam* vidi, *tum* —; Homerici instar ὡς, ὣς Il. XIV, 294. XX, 424 et Theocritei II, 82. III, 42. Num autem *ut*, quemadmodum alterum ὥς, pro *ita* esse possit? Cedo argumenta, aut *Non!* Quid tum praeterea? Aut cum Servio: *Ut* (quum primum) vidi, *ut* (quam valde) furebam! Aut, quod magis ardere videtur, utrumque *ut* exclamando: Quam vidi! quam furebam! Integer versus ex Ciri Galli est v. 430.

43—45. Deus, qui vesanum hunc mihi amorem inspirabat, quam crudelis, immitis genius! — Ita caprarius apud Theocritum III, 15:

> Nunc scio, quid sit Amor; gravis est deus; iste leaenae
> Mammas sugebat; nutribat mater alumnum
> Glandibus; ossa mihi qui carpens usque perurit.

Nunc, ipse expertus, qualem antea numquam eum mihi finxissem. Proxima proverbii instar sunt, jam apud Homerum Il. XVI, 33:

> Immitis! neque eques Peleus poterat tuus ergo
> Nec Thetis esse parens: genuit te pontus opacus
> Et cautes spissae; mens est quoniam tibi dura!

Quem locum Virgilius Aen. IV, 365—367 imitatur. Pro *saxosis* universe *montibus* poëta certans feros quosdam montes regionis tum temporis septemtrionalis et australis nominat, qui populari redeuntium nautarum et mercatorum fama Graeco vel agricolae non minus innotuerant fabulose, quam nunc nostris agricolis Tatarorum et Hottentottorum gentes. *Tmaros* sive *Tomaros* mons appellabatur Epiri, cujus

in radice Dodona sita erat, in quo quercus Argus ad carinam caesa fuerat vaticina. Aristoteles et Callimachus adhuc ibi leones reperiebant, qui Libycis et Syriis robore antecedebant. Male scribebant *aut Ismarus*, versui medentes *Ismarus* scripto, quoniam hic mons VI, 30 cum *Rhodope* Thraciae conjunctus est. Versus, quod in nominibus propriis fieri solet, Graeca ratione structus est II, 24. *Garamantes*, ultra Gaetulos, inter populos erant *extremos* antiquae Libyae Aen. VI, 795, quae, terrarum in tabula Eratosthenis ovata, limbi instar angusti trium angulorum, ab introitu sinus Arabici sub septemtrionum occidentalem plagam Europam versus in verticem coibat Lb. III, 339. Post longum tractum Atri sive nigri montis Debris urbs sita erat famoso cum fonte magico. Mela ait, singulos sibi, conjugii quippe expertes, ex mixta turba liberorum secundum formae similitudinem, quos pro suis educare velint, seligere. *Nec generis nostri nec sanguinis* i. e. immanis naturae. Summae enim divinitatis species, quam in animis possunt mortales informare, quum hominum natura sit ad summam humanitatem exculta: inde factum est, ut Graecus deos sibi fingeret forma maxime nobili humana. Disturbata verborum compositio indighationis declarat vehementiam. *Generis nostri*, vocabulo, quo contentio fit, praeposito, Hafnienses quoque habent. *Edunt* pro *ediderunt*.

47—50. Puer iste saevus Medeam liberûm effecit parricidam. — Colchici regis Aeetis filia, *Medea*, Iasonem amans Argo nave quomodo in Grae-

ciam sequuta sit, Corinthi autem postquam regis hic Creontis filiam uxorem elegerat, duos ex Iasone partos filios furiosa aemulatione interfecerit, curru draconum alato per aërem aufugiens: ea fabula multis populi carminibus et spectaculis pastoribus quoque cantus amantibus nota erat. Ad cogitationem matris, quae manus suas suorum filiorum sanguine maculaverit, acerbe poëta exclamat: *Crudelis tu quoque es!* Tua quoque crudelitas digna est, quae una cum Amoris nominetur! . . . Num tantum *quoque?* Nonne ad fastigium illa crudelitatis pervenit? Num desperatus puer ipse crudelior esse potest? Sane crudelior, quam mater tu ipsa immanis, desperatus puer est! Tu tantum et ipsa *quoque* crudelis es! *Puer improbus* utrobique subjectum est, ad quod *magis crudelis est* addatur. Haec, Virgilio judice, pro eruditis pastoribus non nimis arguta subtilitas cunctis tamen interpretibus erat subtilior; nisi quod apud Servium tenues quaedam meliorum umbrae sunt, quas Dryden sequutus esse videtur.

52—56. Universa exinde convertatur licebit natura! Meum constat consilium: nempe moriendi, ut in primo initio v. 20, et mox apertius in proximo inciso dicitur. — Hujus loci exemplar in Theocritea adumbratione morientis Daphnidis est, I, 132:

> Nunc habeantque rubi violas, habeant et acanthi;
> Iuniperi in spinis narcissi floreat aurum,
> Omnia mutentur; pinusque ferat pira ramis,
> Daphnis quum moritur; canibus sit cerva timori;
> Luscinias interque canat post noctua silvis.

Aurea mala, cydonia, granata, citrea III, 71.

Narcissus II, 48. *Electrum*, quod secundum fabulas VI, 63 alni aut populi Eridani sudant, destillet nunc, ut *pingue* quoddam gummi, ex scabro cortice *myricae* IV, 2. *Electra*, plurali numero, non minus, quam *hordea*, ut parum Latine dictum, facile admurmuraverint. De fabuloso *cycnorum* cantu antiquitatis post Homerum Ep. Myth. II, 12. 13 (50. 51). *Ulula*, Apulejo auctore, horis vespertinis auditur Lb. I, 403. *Tityrus*, notus aliquis aemulus in rusticorum arte musica fingendus est, qui infacetias suas arrogantia compensabat, Amyntae ille non dissimilis in quinta ecloga v. 8 irrisi. Iste Tityrus Orpheus aliquis continuo videatur: sed, etiam acerbius adjicit, Orpheus aliquis feris silvestribus, Arion aliquis monstris marinis; sanis hominibus erit Tityrus. Haec quoque irrisoris petitio animo tantum excusatur imitatrice arte mitigato; vera desperatio in Nisa et in Mopso sese continuisset. De *Orpheo* Lb. IV, 454. Epp. Myth. I, 5 p. 32 (34). *Arion*, citharoedus ex Methymna Lesbi, Draconi aequalis, inventor tragicae choreae sive dithyrambi, postquam Siciliam et Italiam peragraverat, a Tarento nave Corinthia Corinthum ad regem Periandrum redire volebat. Opibus ejus nautae stimulati mortem ei minati sunt, tamen permiserunt, ut citharoedi habitu carmen antea ordiretur. Post cantum peractum in mare desiluit, et a delphino sonorum amante ad Taenarum Laconiae perlatus est, ubi ahenea statua rem mirificam testabatur.

58—61. Vesaniae amoris, quam poëta committens sub oculos subjicit, Pindi repente circum ja-

centes montes fluctibus apparent marinis submersi. Extremum hoc *Vale* dictum sit *silvarum jugis* eminentibus, et de praeruptis *scopulis* in fluctus amator se praecipitat. — Omnia haec scilicet actione tantum imitatrice fiunt. Similes minas prope litora mente ficta κῶμος habet Theocritei caprarii III, 24:

> Vae mihi! quid patior desperans! nonne subaudis?
> Exutus tunicam demergar fluctibus illic,
> Retibus insidians thynnis ubi prospicit Olpis!
> Quamvis non moriar*), viso laeteris amata!

Saltus desperati impetus ordinatione verborum auditur praepostera et transitione dactylica *Deferar* Lb. I, 333. Gallus in Ciri v. 302 dixerat: *Praeceps aërii specula de montis abisses;* ingeniosi adolescentis absoluturus imaginem, Virgilius, Raphael quasi aliquis, lineamentum addidit speciosum, quemadmodum VI, 77. *Extremum munus morientis*, hic, quemadmodum apud Theocritum, cum acerbitate gaudium dicit desperans, quod ex saltu puella crudelis percipiet. Iisdem vocabulis in Ciri v. 267 infelix Nisa usa est, confessioni suae praefatum apud nutricem. *Munus*, honos quilibet vel superioribus vel aequalibus vel inferioribus habitus; in linguis enim liberorum veterum nulli sunt ordinum gradus Lb. IV, 520. Non minus acerbe in Theocriti XXIII idyllio v. 20 amator *munus* suum *extremum* laqueum dicit, quo se suspendit:

> Rustice, saeve puer, crudelis alumne leaenae,
> Saxee, non merite ut cupiam te! munera veni
> Haec extrema ferens, nodos hos!

---

*) *Al.* Quantumvis moriar.

Hafniensis *D* mendum habet *undis*, et *C habebo*. Damon postquam cecinerat, Graecorum in silvis tibicinum v. 21 consuetudinem sequitur, et tibiae modis cantum concludit. Prius *Desine* cum *Maenalios* conjungitur; quemadmodum *incipe* antea, et mox *ducite* a proxime subsequentibus excipitur.

62—63. Damonis carmen poëta, quale id in Pindi convalle quasi auscultaverat, sua sponte repetiit, carmen autem ab Alphesiboeo commissum ut assequatur, numine ei adspirante opus est VII, 19, et quidem Musis non vulgaribus agrorum, sed *Pieridibus* Graeciae antiquae VI, 13. Quod quantum Pollioni blanditum sit, qui Pharmaceutriae argumentum proposuerat v. 11! Satis clare Alphesiboeo hac re victoria decernitur; ut curiosiori indicio parce intersonans in fine poëta se subducere, totumque poëma a principali negotio *Pharmaceutriam* appellare potuerit. Proverbium, *Non omnia possumus omnes*, ipse Macrobius *Sat.* VI, 1 apud Lucilium, vocabulis paulo aliis apud Graecos Erasmus animadvertit; supra quoque VII, 23, quod in proverbiis fieri solet, paucis immutatum adhibebatur.

64—67. Thessala filia rustica artibus magicis perfidum amatorem suum cupit retrahere. In aula propter aram stans Amaryllida sociam appellat, ut necessaria ad sacra magica e domo efferat. — Thessalam eam esse auguramur: quoniam poëtae committentes de domestica fere potissimum magia cogitaverint, et, si secus esset, patria declarari, et Thessaliae, magiae peritae, v. 71 et 95 obiter quidem mentio fieri debuerit. Magicum ipsum, quod Pollio

9 *

proposuerat, argumentum emunctae naris poëtam coëgit, ut rem peregre poneret: et ubi tandem magis idonee, quam in Thessalia? Italia quidem et ipsa Marsas offerebat et Sabellas magas Hor. Epod. XVII, 28; ibi vero, quoniam poena vetabantur legitima, humiles maxime vetulae negotium id factitabant Ovid. *Am.* I, 8. *Fast.* II, 571, quarum descriptio putidas sordes nostrarum veneficarum adaequaverit. In Thessalia autem artificiosius id adolescentes quoque puellae et matronae etiam nobiliores exercebant, quod ex *Anthologiae* epigrammate, quod ad v. 68 dabimus, et asino Luciani magico apparet. Eamdem ob rem Virgilius suae Canidiae nomen non dedit domesticum *Saga* sive anus venefica, sed Graecum *Pharmaceutria*, ad quod Romanus Thessaliae imprimis recordabatur v. 69. Hypata urbs, ubi *Luciano* ut rem magicam suam collocaret fama popularis suadebat, ab regione nostri certaminis musici non multum aberat. Sophronis mulierum Hecatearum adumbratio, quam Theocritus, ejus popularis, in altero idyllio imitabatur, ad Syracusas potius pertinuerit, quo superstitio emanaverat Thessalica. *Ara* locum requirebat sub dio, et quidem, quod in Aeneide est IV, 504, in interiore *aula*. Huc *foras* apparatus magicus e domo portabatur. Igitur *effer*, non *affer* aliquot librorum corruptum, cui Burmannus patrocinatur. In area subdiali pharmaceutriae quoque Theocriteae sedes est informanda, quamquam non *foras* ea diserte vocabulum clamare volebat:

> Thestyli, philtra ubi sunt? fer, Thestyli! fer quoque lauros!

Aqua lustralis spargi solebat in sacris magicis;

pro Horatii Canidia Epod. V, 26 et Dido Virgilii Aen. IV, 512 ex Averno ad speciem hausta erat. *Altaria*, ad hostias adolendas cum capitulo imposito v. 105. V, 66. *Vitta*, fascia appellabatur sacra Lb. III, 487, qua arae quoque cingebantur. Propertius IV, 6, 5:

> Costum molle date, et blandi mihi thuris honores,
> Terque focum circa laneus orbis eat.

Haec lanea fascia frondibus et floribus jungi solebat: quales Aen. III, 64 arae mortuorum,

> Caeruleis moestae vittis atraque cupresso;

et Aen. IV, 459 sacellum Sichaei,

> Velleribus niveis et festa fronde revinctum.

Theocriti quoque pharmaceutria II, 2 sociam, quae pellecebras Cupidinis postulatas affert, hortatur:

> Flore et ovis post purpureo mihi pocula cinge.

Nam *rubrae lanae* ad veneficium efficacitas a Clemente *strom.* VII p. 713 et a Geoponicis XV, 8 annotatur. *Verbena* viridia appellabantur quaelibet, et frondes et herbae, quae sacros ad usus et ad medendum adhibebantur, et efficacem quoque *Verbenam officinalem L.* complectebatur, quae nomen inde *verbenacae* nacta est, cf. Lb. IV, 131 et Don. ad Ter. Andr. 4, 3, 11. Hoc autem in loco herbae *venenatae* magicae, *pingues*, plenae succi, intelligi videntur, quales Canidia Horatii Ep. V, 21 Colchica ex ligno infelici flamma urit, et Didus quoque sacerdos maga Aen. IV, 513 usurpat:

> Falcibus et messae ad Lunam quaeruntur ahenis
> Pubentes herbae, nigri cum lacte veneni.

Adolere, augere, celebrare; sacra tum potestate, sa-

crificare, urere, quoniam infaustas verborum significationes in sacris actionibus vitabant. *Masculum thus* sive *σταγονίας*, *stillans*, thus appellabatur Arabiae optimum, candidum, granis natura rotundis, quale ad sacrificia requirebatur: *masculum*, quippe eximium, aut a certa quadam similitudine Plin. XII, 32; feminei nomen non erat in usu cf. Lb. II, 117. *Conjux*, amatus, v. 18. *Avertere*, declinare, *alienare*, amoris nimirum ad insaniam. Homerus dicit *βλάπτειν φρένας ἐΐσας* Odyss. XIV, 178, XXIII, 14. Hafniensis *D* habet *Conjugis et magicis sanos avertere sensus experiar sacris:* praeter normam compositionis verborum, secundum quam antecedentibus adjectivis substantiva sua aequalibi ordine subjungenda sunt. *Nihil nisi carmina* ex libro Veneto. Reliqui cum Servio *nihil hic nisi carmina*. *Nihil nisi carmina desunt:* reliqua omnia praesto sunt, incantamenta modo carminum ordiamur. Et illico ea orditur.

68. Versum tam tenuis argumenti, *devotionibus eum reducam*, poëta tam creber inventis si potest vix frustra repetisse; hic quoque non minus, quam ad redeuntem versum poëtae, qui, postquam cantu praeiverat, honore habetur inferior, actio mente adjicienda erit. Illic moduli sequebantur in tibia; hic — quid aliud tandem, quam ad volventem rotam magae murmurata formula devotionis caecis sonorum anfractibus. Et magica rotula et dira imprecatio, quae erat ex peregrinis et ineffabilibus verbis Plin. XXVIII, 4, tam constanter requirebatur ad sacra venefica, ut poëta, utriusque speciem sua sponte sibi informaturis peritis aequalibus, ea significanda tan-

tum haberet. Omni procul dubio apud Virgilii exemplar, Theocritum II, 17, Abracadabra efficax, sive quod aliud ejusmodi incantamentum ad conversiones turbinis magici murmurabatur, versu intercalari inducitur:

Ἶυγξ, ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.
Duc, age, turbo virum propter mea limina volvens.

Qui turbo cum intenta *iynge* sive Torquilla, *Iynx Torquilla L.*, cujus cauda collumque mobile inquieti amoris imago esse videbatur, etiam apertius in sequentibus v. 30 describitur:

Hic rhombus Veneris monitis ut aheneus errat,
Erret ita iste fores ad nostras ignibus ardens.

Pindari σχολιαστὴς *Pyth.* IV, 380 defigentem mulierem narrat iyngem avem quatuor radiorum rotae illigare, quam cum carminibus volvere; aliis auctoribus avis ilia extracta circum rotam tetendisse. Tertiam rationem Tzetzes apud Lycophronem novit, avem ad cereum rhombum super carbonibus liquescere debuisse. Michael Psellus apud Seldenum *de Diis Syr. I*, 2 *Hecateam vertiginem* Chaldaeorum sapientum sphaeram declarat fuisse auream, sapphiro medio, totamque characteribus notatam, quam inter devovendum loro bubulo verti; tales, inquit, *iynges* quoque appellantur; vel sphaericae sunt vel triangulae vel alia forma. Rhombum triangulum (tribus, opinor, transversis gradibus, trochlearum nostrarum instar), secundum σχολιαστὴν Theocriti, Atticae adhibuerunt magae, quoniam tres perfectus sit numerus; nomen Atticum ῥύμβος erat, pro magis vulgari ῥόμβος, sive, quod σχολιαστὴς Apollonii refert, ῥύμβιον. Ex epigrammate Anthologiae Brun-

ckianae III p. 172 Thessalae nobiles turbines quoque magicos habebant ex auro et gemma, filis circumligatos lanae purpureae:

Nicus turbo, virum qui trans mare ducere possit,
Elicere et valeat de thalamis pueros,
Auro distinctus, pellucens ex amethysto,
Munus honoratum, stat, Venus, ecce, tibi;
Purpurei pecoris molli lanugine cinctus
Is Larissaeae lusus amantis erat.

Anus quoque Syria in meretriciis colloquiis Luciani, quae flocci praemio volaticum amatorem reducit, rotulam ex sinu promit (sine ave nimirum, sed laneis tantum filis circumvolutam) eamque versat, dum devovendi carmen barbaris nominibus et horrisonis volubili lingua recitat. Non aliter veneficae agebant mulierculae Italiae. Horatius precatur a Canidia Epod. XVII, 6:

Canidia, parce vocibus tandem sacris,
Citumque retro solve, solve turbinem!

Et apud Propertium II, 28, 35 deficiuntur aliquando suo successu

— — — magico torti sub carmine rhombi.

Nisi quod haecce vertigo, *turbo*, *rhombus*, numquam neque avem nec ejus viscera intenta habebat, sed semper, qualis ista Nicus Thessalae, extremitates staminis telae relictas, quas Romanus *licium* nominat. Ita Ovidius *am.* I, 8, 7 de Dipsa, anu maga, praedicat:

Scit bene, quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equae.

Eamdem vertiginem stamineam alias quoque Propertius III, 6, 26 novit:

Staminea rhombi ducitur ille rota.

Et Lucanus VI, 460:

Traxerunt torti magica vertigine fili.

Habebant quoque, pro vertigine ex aere Graecorum magica aut etiam nobiliore materia, suam aniculae Italicae saepe ex plumbo tantum; quamquam Macrobius *Sat.* V, 19 auctor est, ad sacra et devotiones vasa imprimis requiri ahenea. Talem Ovidius animadvertit *fast.* II, 575:

Tum cantata ligat cum fusco licia plumbo.

Ubi *rhombo*, cui lectioni Heinsius favet, merum interpretamentum esse videtur, ad *plumbo* additum. Ex allatis exemplis simul apparet, *ducere* proprium hujus disciplinae fuisse vocabulum, a rhombo ducendo petitum. Ipse Pindarus *Nem.* IV, 56 habet: Iynge ducor praecordia. *Carmen*, formula dicitur devovendi barbarica, una cum comitante turbine; si vera nos docet σχολιαστὴς Cruquii ad Horatium XVII Epod. v. 7; turbinem istum, dicens, *carmen* vocari *rhythmicum*, instrumentum ad veneficia rhythmicum, quod velocissime in se rotatum mentem amantium semper in gyrum videri peragere. Lucani Thessala VI, 685 fremitu defigit dissono et immani, quo portentosissimae quaeque ferarum et rerum naturalium voces miscentur. Aliquas harum formularum peregrina sonantium, ad membris luxatis medendum, Cato major nobis servavit in Oeconomico CLX. Etiam Virgilianus versus *Ducite ab urbe* . . . sonis ictuum obtusis *u* et *a* horriferum magae fremi-

tum imitatur: quod alia lingua vix assequi possit. Hafniensis *C* habet *ducite carmina.*

69—71. Incantamenta carminum in coelum et in terram, in homines non minus quam in bestias efficacia sunt. — *Lunam de caelo deducere*, ut suas vires in herbas despumet; sanguineo eam rubore suffundere, aut pro libidine inversam circumagere, artificium erat magarum *Thessalarum* proprium, quod contra nitentem clamoribus et aeribus concussis superstitio defendere opinabatur. Jam in Aristophanis Nubibus v. 749 aliquis loquitur:

> Venéficam ego mihi cómparem si Théssalam,
> Lunám de coelo dúcam noctu, túnc eam
> Cistaé detineam cónclusam intra círculum,
> Mihi ínstar speculi quod sít, itaque sérvem habens.

Plato quoque in Gorgia jocatur, Thessalis feminis, famam esse, ut lunam deducant, inter familiarissimos tantum contingere. Incredulis coram luna videtur obstinata fuisse. Plinius XXX, 2 quaerit admirans, quonam modo et quando ad matres Thessaliae, quam apud Homerum Chironis tantum arte medica et laude bellica celebrem esse, tanta scientiae magicae *fama* pervenerit, ut cognomen earum diu in Italia quoque obtineat (nempe illud, quo potens quaeque venefica Thessala nominetur), ipseque Menander fabulam, qua nugae feminarum lunam deducentium spectandae proponantur, *Thessalam* cognominaverit. Plutarchus *de orac. def.* ita id interpretari conatur: Aglaonicen Thessalam, Agetoris filiam, rerum coelestium peritam, quando futurum erat, ut luna deficeret, mulieribus persuasisse, lunam se de coelo devocare.

Ad carmen lunae defigendae turbinem versatum esse, Martialis testatur IX, 30:

— — — Thessalico lunam deducere rhombo.

Vix hoc in loco de *Thessalica* arte Virgilius siluerit, nisi hic devovendi negotium in ipsa Thessalia ageretur. *Luna l* minuto, quoniam non Dea, sed ipsum sidus intelligitur. Ex Odyssea novimus, in Aeaea insula sub Occidentem fabulosa socios Ulyssis Circen Colchicam, filiam Solis, veneuato potu et ictu virgae magicae in bestias transformasse. *Ulixes*, vetus Italorum pronuntiatio pro *Odysseus*, in altero casu *Ulixi* sive *Ulixei* dicebatur. Jam ab antiquissimis veneficis, quod Bochartus multis demonstrat, *angues* et *Coluber Aspis* mitigabantur, sopiebantur, veneno privabantur, protrahebantur, fugabantur, in cursu sistebantur, torpidi sternebantur aut ita angebantur, ut corpus iis aut collum *rumperetur*, et recantata frusta coirent; nisi scilicet aurem suam voci veneficae occluderent aut contra stridentes incantamentum facerent irritum. *Frigidus* frigore naturali III, 93.

73—75. Pupa ternis filis liciorum tribus coloribus diversis a maga circumligatur, et ter circum aram ducitur. — Post v. 72 in Hafniensi *C* versus sequuntur 91—93, quamquam infra suo loco iidem redeunt, et v. 76 deest. Proximis incisis Amaryllida quoque v. 77 reperimus aliquid, quod Daphnidis speciem habet, triplicibus filis ter circumvolventem; et v. 80 argillaceam pupam et ceream, utramque nimirum effigiem Daphnidis, in flamma arae repositas. Utram maga nunc circumligat? Nihil est, quod ad

alterutram deducat. Tertiamne igitur? Ita videtur. Venefici, ex auctore quodam antiquiore scriba refert, qui Servium excerpsit (nam ad v. 80 ipse obloquitur), amatoris effigiem circumferunt: *unam* ex lino, *alteram* ex luto, *tertiam* ex cera. Canidia autem Horatii *Sat.* I, 8, 30 majorem imaginem proponit laneam, minorem ceream, quae, illam suppliciter orans, poenam exspectat incendii. Imago illic quemadmodum lanea ipsam Canidiam significat, non aliter nostram ad magam prius circumvoluta spectat, sive ea ex lino sit, quod vetus interpres volebat, sive, cum Horatiana, lanea. *Suam ipsius imaginem* non minus quam turbinem filis circumvolvit ad incantandum valentibus, quae plura Horatii malefica v. 49 ipsa in brachiis gerit, et, quasi adorantem, ter circum aram circumagi jubet. Duas imagines Daphnidis et argillaceam et ceream post Amaryllidi committit, circumvoluturae non tantum, sed *Veneris* quoque *nodis* illigaturae. *Fila* ex *licio* laneo, sive extremitatibus *staminis* ad telam rescissam, trium colorum erant. *Lana* ad sacros usus imprimis adhibebatur; et Artemidorus de somniis docet, sertis laneis varii coloris fascinationes et devotiones portendi. Etiam ad depellendum incantamentum anus Petronii *c* 131 licium protrahebat ex sinu filis multicoloribus coactum; et Plinio auctore XXVIII, 12 licium, novem aut septem nodis innexum, certis quibusdam tumoribus mederi dicebatur. *Terna*, triplicia, tria esse videntur uniuscujusque coloris: secundum Servium tria candida, tria rosea et tria nigra. Haec fila ter terna Gallus *novena fila* dicebat, in

loco Ciris v. 371—373, quem emendatum Virgilius sumebat:

> Terque novena ligat triplici diversa colore
> Fila; ter in gremium mecum, inquit, despue virgo!
> Despue ter, virgo: numero deus impare gaudet.

Circum ducit maga suam effigiem, rite dextrorsum conversa: quemadmodum Medea Ovidii *Met.* VII, 189 ter se convertit; quae conversio ad *adorationem* pertinebat Plin. XXVIII, 5. Plaut. *Curc.* I, 1, 70. *Hanc effigiem* ex libro Longobardico; nam ad *haec* fila, ad *hanc* effigiem animus intenditur: *haec altaria* scribarum oriebatur communi vitio, proxima quaeque quodammodo conjungentium. *Ternarius numerus* Pythagoraeis erat perfectissimus: quoniam, quod ait Aristoteles *cael.* I, 1, omnia ex tribus sint, ex principio, medio et fine; quare a natura nos ejus quasi legem accepisse, et numerum istum ad sacra adhiberi. Ascensius haec argumenta ad Trinitatem transfert; consensus certe iste advertat animos. Quilibet *impar numerus*, quippe individuus, tamquam immortalis et potens colebatur Plin. XXVIII, 5 et a sapientibus mas, ab arithmeticis pater, quemadmodum par femina et mater, appellabatur Macrob. *somn. Sc.* I, 6. II, 2. Pastor gregibus foeturam impari numero dabat Geop. XVIII, 2; ova gallinis impari numero supponebantur Colum. VIII, 5; fossarum latitudinem miles impari numero pedum metiebatur Veget. III, 8; imparem numerum medicus observabat, Cels. III, 4, et ordinator temporum Censor. XX. Macrob. *Sat.* I, 13. Quisque *deus* igitur imparem numerum amat; nocturni quo-

que et inferi fautores rei magicae, quos Didonis sacerdos Aen. IV, 510 et Medea Ovidii *Met.* VII, 192 invocant; triceps non tantum videlicet Hecate.

77—78. Nunc puella venefica sociae suae duas imagines Daphnidis tradit, argillaceam alteram, alteram ceream, ut et ipsas novem ex licio trium colorum filis circumvolvat, et terna fila, singula unoquoque colore, cum imprecatione in nodos innectat amoris; dum ipsa defigens turbinem versat. — In Hafniensi *D* desunt tres versus 77—79; omnes habent *modo*, tamen *A nodo* habet *s* supra inscripto: qua lectione parum metrica, erant, qui nescio quam efficacitatem sertorum nodorum designatam putarent. Alacris repetitio: *Necte modo, Amarylli!* rem festinatam postulat. Rarius hac potestate dictum *modo* in Horatii Sat. II, 3, 276 ignorabatur, ubi *scrutare modo, inquam*, i. e. age, scrutare vero, inquam, legendum est. Ita apud Plautum, Trinum. II, 4, 182: *I modo!* I vero! (Alios locos Heindorfius habet in Horatii locum laudatum). Etiam acrius pharmaceutria Theocriti sociam castigat his verbis socordem II, 18:

Urimus igne molam primum; nunc, Thestyli, sparge,
En, age! Infelix, quo mens aufugit ineptae?
Importuna, tibi num ludibrio esse ego possim!
Sparge simul dicens: Haec Delphidis ossa ego spargo.

Ubi et ipsum adumbrata actionis trepidatio interpretes confundebat. *Nodi amoris*, ad illigandos amatorum animos, omnis habebantur generis. Jam Platonis legibus cautum erat, ne devincirent, ne deducerent, ne incantarent et similia veneficia tractarent

Legg. XI p. 683. F. Ruhnken. ad Tim. l. p. 114 s. v. ἐπαγωγαί. Synesius *ep.* 121 scribit, se incantamenta et devinctiones et vires amatorias novisse, quibus Galatea ne paululum quidem possit resistere. Ab Apuleji *Met.* III p. 137 maga Thessala crines, qui, quod puella simulaverat, amato surrepti fuerant, trajiciuntur et nodantur, et cum multis odoribus in candentibus carbonibus reponuntur, ut nidor ipsum adducat: quo facto, ad fores sane miranti, tonsi culei caprini assultant. Tale vinculum magicum, circum effigiem amati ligatum, apud Propertium quoque III, 6, 30 intelligendum erit:

Cinctaque funesto lanea vitta viro.

Verba ad id dicenda pharmaceutria Theocriti et supra poposcit, et v. 62:

Inspuito dicens: Haec Delphidis ossa perungo.

Nempe μάσσω, ex Ahlwardti egregia emendatione. *Veneris, dic, vincula necto,* ∪∪———∪∪——, numerus veteribus Grammaticis consilio electus esse videbatur, quoniam trimeter Anapaesticus Cupidini consecratus sit. At, ablato *dic,* longe alium enuntiata versum suppeditant, duobus Ionicis a minore ∪∪——∪∪——.

80—83. Innodatam Daphnidis effigiem arae in flammis puella venefica reponit utramque, molam salsam sociam jubens inspergere, et laurea sarmenta cum bitumine urere. — Igne quemadmodum effigies induratur *argillacea, cerea* liquefit: non secus ejus amore Daphnidis animus in alias (aemula enim eum averterat) indurescere, non secus cupiditate ipsius diffluere jubetur. Apud Theocritum v. 28 phar-

maceutriae unum ex cera simulacrum satis est, in quo sarmenta laurea urit:

Auxiliante deo sicut mihi cera liquescit,
Myndius hic ita amans Delphis subito liquefiat.

Canidia quoque in Horatii sermonum I, 8 volaticum suum cerea tantum imagine coërcet; Didus quoque, veri simile est, sacerdos Aen. IV, 508. Aliquanto crudelius Medea sentit apud Ovidium Ep. VI, 91:

Devovet absentes, simulacraque cerea figit;
Et miserum tenues in jecur urget acus.

Consonae voces, quae sunt in syllabis *durescit* . . . *liquescit*, in derivativis contendunt acrius, quam fieri id potuerit in syllabis primitivis. In carminibus devotionum, quale Catonis (160) *daries dardaries astataries* et *ista pista sista*, vocum ista consonantia amata esse videtur. *Uno eodem* in tres longitudines coactum. *Mola*, *molita* erat ex hornotino *Tritico Spelta L.*, antiquissimo frumento Italorum, admixto sale, *mola salsa* et *far pium* plerumque appellata: qua sacrificantes frontem hostiae, cultros et aras spargebant. Ad sacra venefica, quae sacrificium exhibebant deorum inferorum, *Dido* quoque eam adhibuit Aen. IV, 517. Morem Italum Virgilius et isti et hic Thessalae commodasse videtur non minus, quam alibi Aen. II, 132, et Seneca, tragoediarum scriptor, in Oedipo II, 335, ipsis Graecis aetatis Homericae. Graeci antiqui in sacrificiis, ut prima libamina, *ἀπαρχαὶ τῶν θυσιῶν*, essent, hordeum solidum, *οὐλαὶ* sive *οὐλοχύται*, quippe vetustissimum suum fructum agrestem, spargebant: seriores autem liba saepe tenuia et rotunda, *πόπανα*,

sed saepe, quod jam Ulysses Od. XI, 28 Inferis in foveam emisit, farinam quoque, ϑυλήματα sive ϑυήματα, melle, vino, oleo conspersam, offerebant. Homeri *sal sacer* Il. IX, 214 carnem tantum condiebat ad edendum; in sacrificiis salem numquam reperimus. Unde quis colligat, vetustissimos sacrorum in Graecia auctores illorum etiam tum similes fuisse Od. XI, 123,

Gustabant epulas conditas qui sale numquam.

Etiam in seriore quadam comoedia coquus apud Athenaeum XIV, 23 sacrorum scientissimus: Nunc quoque pristini aevi memores, ait, viscera Diis in flammis torrere, *sale nullo;* nam nondum ad id eum inventum fuisse; postea tamen salem quoque esse adjectum. Pharmaceutria apud Theocritum v. 18 *farinam* tantum in principio in ignem spargit; et σχολιαςτής tradidit, morem hunc esse magarum solemnem, quas ϑυλήματα farinam appellare. Quamobrem, salis quum nullam σχολιαστής mentionem fecerit, ἅμα omnium librorum in prope sequente v. 21 in ἅλα transformare, multo sit audacius. Maga Syria contra in Luciani colloquiis meretriciis grana tantum salis in ignem conjicit nulla farina. *Sarmenta laurea* urebantur in sacris Tib. II, 5, 81 et devotionibus Prop. II, 28, 36, ubi crepitantia felices eventus portendebant; non secus a pharmaceutria quoque Theocriti II, 23:

Delphis me cruciat; comburo in Delphide laurum.
Laurus ut haec crepitat multumque exsuscitat ignem,
Postquam flagravit cineres nullique supersunt;
Flammis non aliter pereant haec Delphidis ossa.

Ibi laurus admodum proprie in Delphide uritur, cujus effigies cerea, in flammis ante deposita, proximo inciso liquefit: hic non minus proprie in utraque Daphnidis effigie. *Fragilis*, a *frango* ex *frago*, veteris ῥήγω eloquutione Aeolica, sarmenta hic tenuiora designat, quae eligebantur, ut crepitantia velociter flagrarent. Frustra Turnebus optat, ut *fragilis* per se ipsum, quemadmodum *fragor* cognatum, crepitum declaret. Lucretii *fragilis sonitus* VI, 111, strepitus, qualis quum aridi aliquid frangitur, non magis id probat, quam si quis *aridus*, propter Virgilianum *aridus fragor* Lb. I, 357, per se ipsum *strepitum edens* interpretari velit. *Laurus*, forma elegantior, ex libro Mediceo. *Bitumen* sive *Asphaltus* Lb. III, 451 ad flammam magicam augendam a Canidia quoque Horatii Epod. V, 82, et a Melampode apud Diphilum *Clem. str.* VII p. 713 ad lustrandas Proetidas adhibebatur. Alii in Ciri v. 369 et apud Nemesianum IV, 65 sulphur anteferebant sacrum.

85—89. Magici incendii utinam hic eventus sit, ut Daphnis furat amore, de quo leniendo *frustra* me precabitur! — Theocriti pharmaceutria II, 48 libidinem equarum ad comparationem elegit:

Hippomanem dicunt apud Arcadas; est ea planta,
Qua super et pulli, celeres furiantur equaeque:
Sic Delphin videam stadioque oleoque relicto
Has meum adire fores; totus furat ille et amore.

Horatius suam Canidiam Epod. V, 81 diras imprecantem facit, ut ita ipsius amore durum pectus flagret, bitumen quomodo atro ardore. In compara-

tione Virgilii, boves, recordabimur, aestate in saltibus silvestribus pastas esse, et taurum, qui mensibus admissurae liberum aditum habebat, cursu nonnumquam deerravisse VI, 53. Lb. III, 224. *Bucula*, nomen ex vetere *bus* pro *bos* diminutum. *Nemus*, νέμος, arbores proprie ad pascendum humiliores, contentione facta cum densis umbris altarum arborum in montibus, *silvae;* post locus quoque ad delectationem consitus. *Lucus*, septum arboribus densum et modice sole illustratum, qualia circa templa quaedam, religionis causa, colebantur; Graecorum, uti videtur, a pervetusto λύξ sive λύκη, prima lux, unde *lux* et ipsum, coelum albescens, natum [Macrob. *Sat.* I, 17 p. 292 ed. Bip.]. Hafn. *D* habet *nemus*, et *pabula* ex falso interpretamento ad *quaerendo* addito. Dimidiatus versus, *propter aquae rivum*, Lucretii est II, 30. V, 1392:

Propter aquae rivum, sub rameis arboris altae.

Hafn. *C* habet *rivos*, ex pristino, verisimile est, *rivom;* nam *propter*, i. e. proxime, quoque vetustum est. *Rivus aquae*, fontes de montibus fluentes, quales V, 47. Defessa quaerendo, vacca pruriens, ad mitigandum calorem, proxime *arundinosam* ripam rivi montani strata jacet, et, desiderio obcaecata, *perdita* II, 59, irrumpente nocte ad septa silvestria redire obliviscitur. *Ulva* est *Typha latifolia* et *angustifolia L.* Lb. III, 175. Versum, *Perdita nec serae* . . ., poëta, auctore Macrobio *Sat.* VI, 2, ex carmine sumebat amici jam proximo anno ab eo laudati, Varii, de obitu, uti videtur, Julii Caesaris IX, 35; ubi acer ca-

nis venaticus, cervam indagans, egregie describitur:

> Non amnes illam [canem] medii, non ardua tardant.
> Perdita nec serae meminit decedere nocti.

Nisi quod Varius *perdita* colligabat cum sequentibus, Virgilius autem gravius id, quemadmodum II, 59 et Homericum νήπιος, prioribus adnexuit. Iteratum *talis amor* vinxit orationem, eam verum augendo, quod genus v. 1—5. *Mederi non* vult puella misero, neque recantans, nec mutuo amore. Minae sunt parum seriae, quae ex libidinis impetu oriuntur.

91—93. Pignora, quae a Daphnide commissa habet, sub limine domus obruta, perfidum ei reducere jubentur. — *Exuviae* dicta sunt, quaecumque ex corpore deponebantur; quod genus vestes vel quaelibet his praetexta, arma, annuli, calcei, ipsi crines, quod solitum ex amantibus donum erat, pellisque ex bestiis detracta. Ipsius viri, anus Luciani Syria postulat, ut aliquid praesto sit, quale vestes aut calcei aut crines aliqui aut simile aliquid. Calceos ejus relictos, quos puella porrigit, de clavo deinde suspendit, Thyone eos, pinu quadam odorata, suffiens, dum salem in ignes spargit, et nomina ad id puellae et viri effatur. Apud Euripidem (Hipp. 513) pignus amatoris de crinibus aut ex amictu ad vinculum amoris ligandum requiritur. Apud Apulejum *Met.* III p. 137 *exuviae* crines dicuntur, qui ex amatore esse praedicabantur, quos venefica, nodis insertos, cum multis suffimentis in carbonibus reponit. In Aeneide IV, 507 reliquiae ex Aenea ama-

tae, una cum ense cereaque effigie, cremandae et ipsae in rogum inferuntur. Non secus a pharmaceutria Theocriti v. 53:

> Hunc limbum chlamydis, quem Delphis perdidit, ecce,
> Hunc ego discerpens avidos demitto per ignes.

Suo ipsius *limini* nihil fit ab ista; ad limen autem amatoris superum virus per sociam magicum allini curat v. 58:

> Haec mala trita tibi potatu sit salamandra;
> Thestyli, nunc herbas has tu cape; postibus atque
> Illius adde super; mea mens defixa tenetur
> Semper quippe quibus; curat nec perfidus ille;
> Inspuito dicens: Hic Delphidis ossa perungo.

Virgilii maga pignora sub *suo ipsius limine* defodit, supra quod Daphnis tam saepe amans ad amantem ingressus erat, ut arcanis illa viribus vaporum terrestrium eum attrahant. Quare a *terra*, rei magicae adjutrice, Medea apud Ovidium *Met.* VII, 197 auxilium precatur. Anus apud Ovidium *fast.* II, 573 etiam sollertior tribus digitis tria grana thuris sub limine ponit in cavo muris; quoniam Graecis Romanisque mus divino quodam ex terrae exhalationibus spiritu afflari videbatur, quod de Apolline Smintheo dicentes docebimur. *Debent*, quasi aes quoddam alienum; Daphnidem meum ab iis, quasi a praedibus quibusdam, repeto.

95—99. Ad aram in interiore aula rediens, herbas nunc adolet venenatas Ponticas, quarum vires multum istas ab initio v. 65 ustas superant. — Ipse Moeris, magnus in eadem regione magus, ex *Ponto* eas per conjunctos famosi istius terrarum anguli ma-

gos et nautas officiosos impetravit, et amice cum juvenili adhuc socia artifice eas communicavit. Peregrinitate letifer quoque pharmaceutriae Theocriti v. 161 succus commendatur:

Tot mala clausa, puto, servo medicamina cista,
Hospite ab Assyrio didici quae quondam, hera, cuncta.

Pontus, aetate seriore terra appellabatur fertilis, per magnum Mithridatem famae celebritatem nacta, sita illa ex mari Pontico sive Ponto Euxino, unde nomen habebat, sub plagae meridionalis solem orientem, inter Halyn amnem ad Occidentem et Colchida ad Orientem, et ad meridiem montium jugis a Cappadocia sejuncta. Inde, praeter alias plantas, quas Romani transtulerant, herba veneno afferebatur infamis, Aconitum Ponticum Lb. II, 152 et Castoreum Lb. I, 58. Apud Ciceronem autem *pro l. Man.* IX nomen *Ponti* regnum una finitimum *Colchidis* complectitur, quod, Appiano auctore *bell. Mithr.* XV, Mithridatis erat in ditione: patriam istam celebratissimam Circae et Medeae, ubi φάρμακα sive *venena*, i. e. *herbae* et aliae *res* veneficae, et noxiae et innoxiae, multae nascebantur. Eodem *Iberia* quoque cum multis venenis pertinebat sub Caucaso, unde Canidia Horatii Epod. V, 21 domum suam instruxerat:

Herbasque, quas Iolcos atque Iberia
Mittit, venenorum ferax.

Mihi lecta, meos in usus collecta, quamvis eo, qui legebat, de me ne cogitante quidem; ad *dedit* alterum *mihi* intelligendum. *Plurima*, positione vetusta et a Julio Caesare adamata, ex libro Mediceo. Fabellae Graeci Italique vulgi de λυκανθρώποις aliisque

bestiis incantatis Plin. VIII, 34, de defixis Manibus et animis, de evocatis segetibus aliisque turbis datis, orbe in Europa ab auctoribus novarum religionum Romanis circumlatae, cum reliqua cohorte Papistica paulatim evanescere videntur. Imprimis fabulabantur Arcades, in pervetustis humanis hostiis Jovis Lycaei regem non tantum ***Lycaonem lupum*** factum esse, sed alios quoque post eum bene multos; qui, si decem annos carne humana abstinebant, denuo fiebant homines. Maledictum quoque Romanum ***versipellis***, pellem mutans, hominem designabat ex lupo factum: quemadmodum apud Petronium LXII aliquis, postquam cum stellis loquutus est, vestes exuit, in exutas mingit, ut lapis fiant, et repente lupus factus et ululans in silvas ruit, indeque, pecora rapturus, in aulas irrumpit. Animae mortuorum in sedibus erant inferis Orci; vagaturae autem aut mago νεκρομάντει responsurae, ex ***imis sepulchris*** ad superos ascendebant. Magam suam laudat Tibullus I, 2, 45:

Haec cantu finditque solum, Manesque sepulchris
  Elicit, et tepido devocat ossa rogo.
Jam tenet infernas magico stridore catervas:
  Jam jubet adspersas lacte referre pedem.

Fruges excantare serio in legibus duodecim tabularum interdicebatur, saepeque in judiciis crimini dabatur Lb. I, 162. In Hafniensi *C* est ***messem:*** mendumne? an prior aliquis scripserat ***eque satis?***

101—103. Extremus conatus in dura praecordia Daphnidis factus, qui nondum venire vult. — In ara primum sacra virgulta cum thure, post cerea effigies cum mola salsa, germinibus laureis et bitu-

mine, postremum efficacissima quaeque veneficia ex Ponto adolebantur. Hos *cineres* foris socia in rivum fluentem, retrorsum nec respiciens, demittere jubetur. Quorsum haec? Reliquiae sacrorum lustralium et cineres crematorum portentorum in mare aut in aquam fluvialem dejiciebautur, ad vestigia quaeque delenda. Ergo puella crudelis nihil sibi proposuit minoris, quam ut Daphnidem suum veneficio necet: ut, cinis quemadmodum incantatus imaginis, sic ipse de terra evanescat. Sed priusquam cinerem ex ara collegit et famulae tradidit; flamma indicat elucens, veneficium valuisse, et crudele consilium omittitur.. Non minus acerbe pharmaceutria sentiebat Theocriti sub finem actionis v. 159:

> Philtris defigam primum; si laedere perget,
> Plutonis faciam, per Parcas! pulset ut aedes.
> Tot mala clausa, puto, servo medicamina cista.

Tiresias augur apud Theocritum XXIV, 91, dracones, jubet, ab Hercule infante suffocatos sarmentis eximiis cremari:

> Mane legat cineres ignitos serva canistris,
> Trans fluviumque ferat, studiose spargat et omnes
> In scopulos scabros, trans fines; ipsa redito
> Non se convertens.

Et in Euripide Androm. 293 optatur, ut malum futurum mater Paridis, infantem recens natum, *supra caput* transjecerit. Quonam alias, nisi in mare? Quemadmodum bello Punico, Livio auctore XXVII, 37, Romani monstruosum hominis partum *trans fines*, procul a continentis terrae contagione, *extorrem procul terrae contactu*, alto mari mergebant. *Ri-*

vo, tertio casu, pro *in rivum;* quale *compellere hibisco* II, 30 et *it clamor caelo*. Quod antiquissimi libri MSS. praebent, *nec*, pro mendo *ne*, id Hafnienses quoque prae se ferunt. *Non respicere* debebant, ne numina, quae res accipiebant projectas, praeter voluntatem horrenda specie conspicerent Ov. *fast*. V, 439, et spectrum averterent, quod de Eurydice factum est. *His*, exacerbata clamat, perfidum Daphnidem ulciscar, quem neque verecundia *deorum*, qui jurisjurandi testes sunt v. 19, nec *carminum* potentia valet reducere.

105—108. Dum maga ex ara cineres corripere et Amaryllidi eos in manus tradere vult; ecce, flamma repente emicat! Secundum omen accipitur, et statim cane latrante confirmatur. — Magam loqui perrexisse, Ascensius jam agnovit. Contra Amaryllidem, quam Servius ob *ferre* male intellectum postulat, versus pugnat 108; et cujus sit *Parcite* . . .? Secundi ominis quaeque erat *flamma* post sacra peracta alacrius *elucens* Lb. IV, 385; imprimis, quae ex *ipso cinere* et sine *ulla necessitate* exsurrexit; non minus, si, quod in vetere testamento factum est, sua sponte ara, artibus nimirum apud idololatras papisticis, lignum suum accendit, aut splendore apparuit igneo. Inter conjurationem Catilinariam, refert Plutarchus, Ciceronis uxor quum Vestae sacrificaret, aram, ignis postquam jam consedisse videbatur, flammam ex cinere et corticibus crematis magnam et lucidam emisisse: quod omen virgines Vestales de laude et gloria interpretatas esse. *Altaria*, hic sua potestate propria capitulum arae impositum V, 66, ad quod cinis

jam considens ex ara *exardescit.* Non aliter Servius id intelligit: *altaria* modo dici, quae contineant (i. e. aram), modo quae contineantur (i. e. impositum capitulum); hic vero ipsa esse imposita. *Sponte sua*, motu proprio, excitatus a nemine. Amore enim et misericordia *moratur*, diros ad usus cineres *colligere* sive tollere, ad Amaryllidi eos tradendum. Hanc quoque verisimilem inesse sententiam, Mancinellus jam et Ascensius repererant. *Ferre*, auferre, quale V, 34. IX, 51. *Cinis ipse*, cinis quamvis solus relictus, prunis nullis conspicuis; non *ipse* pro *sponte sua*, quod jam dictum aderat. Exclamantes: *Bonum sit! Bene sit!* visum accipere solebant divinum, *omen*, quemadmodum apud Moschum Europa v. 27:

Ad faustum, placeat Dis, ut mea somnia vertant!

Nescio quid, aliquid, quidquid id demum sit: consueta dicitur imminutione magnus exitus, quem flamma portendit, quemque latratus simul *canis* custodis confirmare videtur; adventus amati. *In limine*, sine dubio januae, ubi pignora obruta. Hafniensis *A* habet *certe*, et *est* ab alia manu. Postrema verba per proverbium dicuntur. *Qui*, Graeca ratione, cum sequente *a* non coalescit, sed breviatur. Hafniensis *C* legit *quid*, ex *qui adamant*, quod falso, ut credibile est, mutaverant.

109. Profecto, non fallor, advenit! Gradus exaudit notos, ipsum fortasse venientem videt, et letale differt, quod modo mente conceperat, venenum. Pro *jam parcite, carmina, Daphnis!* codices habent antiquissimi et Hafnienses *B. C. D.*

jam, carmina, parcite, Daphnis! quod ad priorem in *Ducite* . . . compositionem aptum est, et latiore, quem *parcite*, cardo sententiarum, nanciscitur, ambitu gravius per se dicitur.

ECLOGA NONA.

MOERIS.

Lycidas. Quo te, Moeri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?
Moeris. O Lycida! vivi pervenimus, advena nostri,
Quod numquam veriti sumus, ut possessor agelli
Diceret: Haec mea sunt! veteres migrate coloni!
Nunc victi, tristes, quoniam Fors omnia versat,
Hos illi, quod nec vortat bene, mittimus haedos.
L. Certe equidem audieram: qua se subducere colles
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo,
Usque ad aquam et veteres, jam fracta cacumina, fagos
Omnia carminibus vostrum servasse Menalcan.
M. Audieras; et fama fuit. Sed carmina tantum
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum

Chaonias dicunt, aquila veniente, columbas.
Quod nisi me, quacumque novas incidere lites,
Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix;
Nec tuus hic Moeris, nec viveret ipse Menalcas!
L. Heu! cadit in quemquam tantum scelus? Heu! tua nobis
Paene simul tecum solatia rapta, Menalca?
Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret, aut viridi fontes induceret umbra?
Vel, quae sublegi tacitus tibi carmina nuper,
Quum te ad delicias ferres, Amaryllida, nostras:
„Tityre, dum redeo, brevis est via; pasce capellas;
„Et potum pastas age, Tityre; et inter agendum,
„Occursare capro, cornu ferit ille, caveto!“
M. Immo haec, quae Varo necdum perfecta canebat:
„Vare, tuum nomen (superet modo Mantua nobis,
„Mantua, vae! miserae nimium vicina Cremonae!)
„Cantantes sublime ferent ad sidera cycni.“
L. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos!
Sic cytiso pastae distendant ubera vaccae!
Incipe, si quid habes! Et me fecere poëtam

Pierides; sunt et mihi carmina; me quoque dicunt
Vatem pastores: sed non ego credulus illis.
Nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.
M. Id quidem ago, et tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,
Si valeam meminisse . . . Neque est ignobile carmen! —
„Huc ades, o Galatea, quis est nam *ludus* in undis?
„Hic ver purpureum; varios hic flumina circum
„Fundit humus flores; hic candida populus antro
„Imminet, et lentae texunt umbracula vites!
„Huc ades; insani feriant sine litora fluctus!“
L. Quid, quae te pura solum sub nocte canentem
Audieram? Numeros memini, si verba tenerem.
M. „Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
„Ecce Dionaei processit Caesaris astrum:
„Astrum, quo segetes gauderent frugibus, et quo
„Duceret apricis in collibus uva colorem.
„Insere, Daphni, piros; carpent tua poma nepotes!“

Omnia fert aetas, animum quoque! Saepe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles!
Nunc oblita mihi tot carmina! vox quoque Moerin
Jam fugit ipsa; lupi Moerin videre priores.
Sed tamen ista satis referet tibi saepe Menalcas.

L. Caussando nostros in longum ducis amores.
Et nunc omne tibi stratum silet aequor, et omnes,
Adspice, ventosi ceciderunt murmuris aurae.
Hinc adeo media est nobis via; namque sepulchrum
Incipit apparere Bianoris. Hic, ubi densas
Agricolae stringunt frondes, hic, Moeri, canamus.
Hic haedos depone; tamen veniemus in urbem.
Aut si, nox pluviam ne colligat ante, veremur;
Cantantes licet usque (minus via laedet) eamus.
Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo.

M. Desine plura, puer! et, quod nunc instat, agamus.
Carmina tum melius, quum venerit ipse, canemus.

ECLOGA IX. EXPLICATA.

ARGUMENTI NARRATIO.

AB U. C. DCCXIV.

Cn. Domitio (M. F.) Calvino II C. Asinio Pollione Coss.

AESTIVO TEMPORE.

Virgilius annum agens 29—30.

Ad primam eclogam Romae Virgilium vidimus proximo superiore anno, quum agri distribuerentur, a Pollione et a Maecenate commendatum, securitatem paterni fundi Andini a Caesare Octaviano triumviro impetravisse. In ipso exitu mensis Octobris anni DCCXIII, indefensi quum, post Pollionis ex Venetis discessum, Mantuani, prae veteranis ex descripta inter milites Cremona irrumpentibus, cum rebus suis mobilibus demigrarent, Tityrus, gentis Maronicae libertus, securus boves suas patriis in saltibus pascebat.

Sed aliquamdiu post illam eclogam peregre scriptam coram et praesens, Virgilius consultum esse duxit, patrimonium suum ab impotentibus defendere.

Praeter Caesaris Octaviani jussa patrocinio quoque ea in re fautorum suorum, qui erant inter agris dividundis praepositos, Vari, praefecti militaris, et Cornelii Galli, quocum jam inde ab anno DCCXII per communem amicum Asinium Pollionem (II Arg.) conjunctus erat, confisus est.

Frustra; nam veterani, victoria superbi et necessarios suos ad infirmam triumvirorum potentiam confirmandam esse usus scientes, nec Caesaris imperia, neque procuratorum adhortationem reveriti sunt. Mantua una cum Ande dividebatur, et Virgilius, vitae non sine periculo v. 16, debebat aufugere. Factum hoc esse, verisimile est, extremo vere anni DCCXIV, expeditione sua in inferiorem Italiam suscepta quum Asinius Pollio consul, qui, dum bellum Perusinum erat, circum Ravennam prope abfuerat I, 11, nunc omni eos turbae rapacis libidini objiceret.

Hanc enim non nimis diu Virgilius, ad sua servanda destinatam, eclogam retinuerit; et scriptam eam, versus 60 docet, diebus esse longissimis. Ex exsilio ergo Syronis in villa, quo prope Romam v. 4 cum suis aufugerat, ad Varum eam misit legatum, Caesari Octaviano per hunc praedii sui commendaturus salutem.

Inventio autem simplex est et idonea. Moeris, villicus Menalcae, quo nomine semet in quinta ecloga Virgilius, laudes quum canit Julii Caesaris, designat, haedorum par novo possessori, qui invaserat, Mantuam defert. Familiaris ex regione Andina carminum amator, Lycidas, obviam fit in itinere. De

sorte colloquuntur Menalcae, locos ex ejus carminibus cantantes, amore simul et dolore addito. Interruptae quamvis cantiones fortuito esse videantur elapsae, eumdem tamen omnes ad finem spectant, ad quem quinta quoque cum secunda et tertia ecloga ad Caesarem Octavianum prius permissae (Arg. V): nempe ad hunc, ut simul et de poëta et de Julii Caesaris admiratore misericordiam commoveant.

Annotata.

1. *Moeris*, praedioli Maronici villicus, et *Lycidas*, juvenis ex pago propinquo cantus amator, obviam fiunt, quo bivium convenit ad Mantuam ferens, unaque eunt colloquentes et canentes. Lycidas quoniam *hospes* est Ande, nondum is audiit, poëtam quoque Andinum, cui laudes acceptas in Julium Caesarem nec pauca alia carmina debet, praedium suum nuper amisisse. Non secus Theocrito in septimo idyllio, quum ad Cerealia sacra Θαλυσίων migrat, in compito Lycidas familiaris occurrit, caprarius Cretensis itaque eum alloquitur v. 21:

Sole pedes medio quo Simichida trahis? edic.

Quo te pedes? deest *ducunt:* proverbio dicitur de stupido incessu et tarde promovente. Plinius minor VII, 5 scribit uxori, ad diaetam tuam ipsi me, ut verissime dicitur, *pedes ducunt.* Idem sibi vult Theocriteum illud, πᾷ τὺ πόδα ἕλκεις; et XIII, 70. XIV, 42 Hercules furens et mulier vapulans festi-

mant, ἅ πόδες ἄγον, qua pedes ducebant. Miratur igitur interrogans, quid sit, quod Moeris amicus, agricola tam diligens, in urbem habeat *reptandum*. Hafn. *C* legit *aut quo via*, quemadmodum editio Veneta. An scriba fortasse *haud* pro *nonne* in animo habuerit?

2—6. Moeris, vir aetate jam aliquantum provectus v. 51, tam diu vixisse se lamentatur, ut dominos suos advena expulerit, istique ipse gregum suorum proventum in urbem debeat deferre. — Praesulis agri, *villici*, ad officia servum Columella I, 8 requirit ad opera rustica a puero institutum et probatum, neque adolescentem adhuc nec senem, intra trigesimum potissimum et sexagesimum annum aetatis, scribendi peritum aut firma saltem memoria, qui neque urbem nec nundinas adeat, praeterquam si necessarii aliquid habeat emendum aut vendendum, placido animo, fidelem, intentum in omnia et a superstitione alienum. *Vivi pervenimus*, *ut* —, inest, *eo*, *usque eo*, *ut*. Burmannus, cui durius videbatur *eo* omissum, recte existimaverit, si *venimus*, *ut* dictum esset. Veteranus, qui in possessionem irruperat, miles an *advena* fuerit hac in regione tantum aut in Italia, an Arrius centurio aut Clodius, quem alii agrorum tantum vicinum faciunt, aut Milienus Toro primipilaris: non magis id dijudicari nunc potest, quam parum id refert. *Nostri* agelli, quale v. 11 *nostra* carmina: sermo est candidae in herum pietatis I, 8. Fervida verborum trajectio dictionem requirit alacrem. Lector frigens aut etiam opprobria anquirens, quidquid nativi in Homero et

Virgilio sermonis est, sua *ipsius* pervertit perversitate. *Haec mea sunt!* formula erat occupationis legitima. *Colonus* universe hoc loco pro agricola, a *colere:* quemadmodum vir bonus, teste Catone *de re rust. praef.*, a priscis Romanis, quum valde laudaretur, bonus agricola, *colonus*, dicebatur. *Veteres coloni:* pater cum filiis; familiam enim cum omni instrumento miles obtinebat irruens I, 11. Auctore Donato *vit. Virg.* 25 Virgilius natu jam erat grandior, quum parentes amitteret, quibus largis in singulos annos subsidiis subvenerat. Et ex decimo Catalectorum carmine, quod supra VI, 31 laudavimus, Virgilium, apparet, inter tumultum, qui de agris dividundis erat, cum suis, inter quos pater quoque ipsius intererat, Syronis philosophi, qui juvenem instituerat, in villam citra Romam (*Phocae vita Virgilii* v. 63.) confugisse. De *fortuna* queritur, non de potentibus: cf. V, 20. *Fors* sive *Fortuna Fors*, dea caecorum casuum, Ovid. *fast.* VI, 773. Fors versat, regit omnia: proverbio dicebatur Sallust. Jug. 47. Tres Hafn. *A. C. D. sors* habent mendum. Pro *non* veteres non tantum dicebant *ne*, sed, magis etiam aspirato (qualia *pro*, *proh! proximus*), *nec:* quod Festus, Cicero *leg.* III, c. 4 § 10 et verba *negotium*, *negligens*, *nec opinatus* et *necdum* v. 26 probant. Istud *nec* tres Hafn. habent *B. C. D.*; et *C* cum aliis quibusdam libris, rariore verborum compositione, *vertat bene*, quod in Terentio est *Adelph.* II, 1, 37. *Phorm.* IV, 3, 73, et cujus melius hic ad aures numerus accidit. Ob vetustiorem verborum

collocationem, et *versat*, quod proxime abest, *vortat* lego, quod fere semper scribendo corruptum est. *Mittere* pro *ferre* III, 71. Quodsi *haedi*, quod fieri solebat V, 12, turgescentibus virgultis editi fuerant, nunc circa solstitium v. 60 jam depulsi erant, et agi poterant. Hi vero, quos Moeris portat v. 62, ambo serotini esse debent.

7—10. Quid? dominos vestros esse ejectos? Tamen ego ex paganis vestris affirmantem *audieram*, vestrum *Menalcan*, juvenem Virgilium, qui carmen nuper in mortem Daphnidis verbis Menalcae tam miserabile cecinerat, totum fundum cantu suo, a clivo ad Mincium et veteres fagos usque, vobis servasse. — Non temere commissum esse videtur, ut terminos agri paterni Virgilius *ex vicinis peritum* declarare fecerit. Nam ager ei etiamsi restitueretur, limites certe veteranus vicinus, qui irruperat, ei coarctare poterat. Veteres Grammatici litis mentionem faciunt de finibus exortae inter Virgilium, cujus agro tum adhuc divisores pepercerant, et inter proximos accolas bellicosos: unius eorum, Clodii nomine, qui gladio rem diremturus erat, spisse atque vix poëtam vim effugisse. Virgilii ager, quod prima ecloga v. 49—58 declarat, a rupibus silvestribus molliter declivis ad prata palustris et in lacum diffusi Mincii deprimebatur: ubi unius accolae limites viva sepe salicum, alterius, quod hic apparet, *veteribus fagis* designabantur. Hic quidem terminus incertior facile controversus esse potuerit, itaque diligentis indicii causam dedisse. Alii erant, qui agros *terminarent* suos Lb. II, 389 ordinibus pinorum,

cupressis, ulmis vitiferis, oleis quoque, quod Ciceronis in oratione pro Caecina dicitur; et apud Horatium II Ep. 2, 170 populis:

— — — qua populus, adsita certis
Limitibus, vicina refugit jurgia.

Fagis istis *limitaneis cacumina jam fracta* erant, aetate et procellis; nam avis jam et proavis limites testatae fuerant. Pomponius et Ascensius vi eas hostili laesas autumant. Isti vero cacumina nec prima nec sola acciderint; imo Lycidas limitem sibi etiam tum illaesum fingit. Pro *demittere* Hafn. *A* et *D* *dimittere* habent; cuncti vero *veteres fagos*, non *veteris fagi* illepidum. Ex crebro *nostrum* librorum scriptorum vera lectio comprobatur *vostrum*. *Menalcae* sub persona ipsum poëtam, quippe quintae eclogae de Julio Caesare inter deos relato auctorem, intelligendum esse: id versus docet 18, quum istam eclogam Lycidas, quasi quamdam illius regionis consolationem, laudat. Lycidas igitur vix potest assequi, a Caesarianis, praeter datam a juvene Caesare fidem, Julii Caesaris laudator quomodo spoliari potuerit.

11—16. Sane erat sermo, Caesarem Octavianum, ob carmen illud, agrum nostrum e distributione exemisse; sed turbae bellicae, quae proxime sequebantur, omnia fecerunt irrita: praedium ereptum est, periculum ipsi subiimus. — Octaviani imperia, quod Appianus refert, parum a militibus in agris dividundis, quum ejus potentiae se esse subsidia sentirent, respiciebantur; ex finitimis regionibus auferebant, quicquid iis auferre liberet, imo possessionem appe-

tebant omnium civitatum quae in Italia florebant. Demum, quum Pollio, patronus Virgilii, ex Venetis sub finem anni DCCXIII, primum agens clementius, post, anno DCCXIV, cum Domitio Ahenobarbo, libertatis studioso, conjunctus, aperta contra Caesarem inimicitia profectus esset: tunc vel amicitia Pollionis praetendi injuriae inferendae poterat; neque Varo Virgilius, praefecto militari, aut per hunc ipsi Caesari, animus suus qui sit, denuo asseverare, inutile esse censebat. *Nostra carmina*, in ore servi fidelis, gravitatem levat dictorum risu quodam residuo. Hafn. *A* habet *tanti*. *Chaoniae columbae*, ab oraculo Dodonaeo Epiri, quae sedes erat veterum Chaonum. De divinantium sanctitate, quae inclusa est, sententia, ea carmini conducit poëtae ejecti et paventis. *Dicunt* modeste additum est ab indocto. *Quod nisi*, quamobrem nisi, *propter quod* Lb. I, 155. II, 425. Nisi monitus ego a cornice cum veterano a primo initio omni modo litem diremissem, planeque me ejus libidini commisissem: ipse non minus, quam nuper paene herus meus, essem occisus. *Quacunque*, deest *via foret*, quomodocumque: sero ex antiquitate retentus dicendi modus, quo tempore *quisquis* et *quicunque*, aeque ac *quisque*, modo *omnis omnis*, modo *omnis*, *quilibet is demum sit*, declaraverant III, 109. In Hafn. *C* est *ex quacunque* mendo scriptum. *Incidere*, infringere, quemadmodum plantae novellae inciduntur III, 11. *Novas lites* i. e. modo orientes. *Sinistra omina*, i. e. a sinistra ex oriente venientia, Romanis erant, ad meridiem, quum auspicarentur, conver-

sis, omnino secunda. Hoc loco malum in eo positum erat, quod *quercus ilex* VII, 1, arbor fertilis, *cava* erat; *cornix* autem *sinistra* malum in ea crocitando nuntiabat tantum. Cicero *div.* I, 39 ait, a dextra corvum, a sinistra cornicem augurium facere ratum. Apud Plautum quoque *Asin.* II, 1, 12 picus et cornix ad sinistram, corvus et *parra* aves ad dextram admissivae sunt; tamen, quod picus *ulmum* tundit, id auspicanti portendit — verbera.

17—25. Non sine horrore quodam animi dirum facinus Lycidas audit, Menalcam, delicias suas inter poëtas, in vitae discrimen venisse. Quis tum, o Menalca, exclamat, talibus solatiis carminum, qualis consecratio tua Daphnidis erepti, miserias nostras consolatus sit? quis aliis carminibus pastoritiis nos exhilaraverit? — Lepide inventum est, carmen illud nomini *Menalcae* in tota regione, etiam inter servientes agricolas, gratiam conciliasse, totamque, quae de Julio Caesare, benefico numine, moerebat, regionem *solatum* esse. In Hafn. *C haec* est pro *heu.* Loci, ad quos ex quinta ecloga Lycidas respicit, ex ipso principio sunt carminis lugubris v. 20:

> Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnin
> Flebant; vos coruli, testes, et flumina, Nymphis.

Et v. 40:

> Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras.

Ex carmine autem commisso, quo Julius Caesar, inter deos modo relatus, quasi genius quidam vel post mortem beneficus laudatur, hac in rerum serie nihil poëta afferre poterat, quin suspicionem subiret acer-

bae irrisionis. Pro *Nymphas* Hafn. *C* habet *silvas* a manu secunda. In quinta ecloga dicitur, *inducere fontibus umbras*, umbras fonti circumdare; hic, immutata dictione, *fontes inducere umbra*, fontes umbra circumdare. Quis *spargeret?* quis *induceret?* i. e. quis caneret sparsos, inductos? et quidem, quod acutus adjicit Taubmannus, ea alacritate, quasi sub oculos actio subjiceretur; cf VI, 62.

21—25. Aut quis carmina nobis pastoribus tam lepida caneret, quale illud, quod ego nuper a te, Moeri, auscultando auferebam, quum, gestu et vultu imitans, *κῶμον* tu pulchrae *Amaryllidi* ageres? — *Κῶμος* iste aut vere a Virgilio facta aut simulata tantum libera conversio tertii idyllii erat Theocriti, ubi musicus quidam silvester, dum personam gerit caprarii, canit et saltat, quasi ante saxeum antrum crudelis *Amaryllidis* precetur amorem. Principium est:

> Carmina nunc, Amarylli, feram; pascunt mihi caprae
> Per montes, et eas custodit Tityrus illic.
> Tityre, deliciae nostrae tu, pasce capellas;
> Ad fontes adigas tu, Tityre; testiculatum
> Sed Libycum servare caprum cura; ferit ille.
> O Amarylli mihi dulcis; non amplius antro
> Cur tu prospiciens me dicis amiculum?

Inde apparet, *Amaryllidem* apud Virgilium quoque fictam esse puellam, cui fictus *κῶμος* a caprario non minus ficto cantu et saltatione mimica agitur. Serio ponere, veram dominam amatorio studio Moerin convenire senem, et rivalem insidiantem, Lyci-

dam (viro isti evirato non multum dissimilem, qui pileum pellicis suae amatorculo furtim surripuit) carmen inter eundum decantatum satis habere auribus ab eo furari: dicite, facetiarum intelligentes, utrum esse jocosius. Quot carmina pastoritia, tertiae praesertim et septimae eclogae, quot artificia, quae imitamina essent veritatis, apud Horatium et alios crasse ex litera interpretes interpretati sunt! *Nuper*, quum fundi Virgiliani nondum metueretur distributio, festo quodam die, credo, per auctumnum aut hiemem genialem Lb. I, 301, in agris, quo cantus amantes amici sic e vicinia, ut ad praediolum Horatii Serm. II, 6, 65 ante Larem familiarem, evocati fuerant, Moeris alacri animo unum ex carminibus juvenis Virgilii recitaverat, quod Lycidas auscultans memoriter tenebat. *Nostras delicias*, nostrum amorem, fictam dicit Lycidas *Amaryllidis* speciem: quoniam isto non minus saepe, quam Phyllidis III, 76. 78. 107, nomine Veneres suas pastores in carminibus significabant II, 14. III, 81; eodemque nimirum Lycidas quoque suam in versibus designat, carminis rustici magister v. 32. *Se ferre*, se jactare: alacrem habitum pingit speciose incedentis. *Caper petulcus*, qui ex Theocrito desumtus est, est amplis cornibus, villis albis et prolixis, de genere caprae, quam nunc dicunt, Angolensis; Siculi eam et Itali ex Africa habebant Lb. III, 311. Ad expulsionem Virgilii carmen hoc nuper cantatum non allusisse poterat; alias enim, ut reliquas ineptias taceamus, non hodie demum Lycidas eam demirans audisset. An Lycidas nunc, locum hunc carminis eligens, ta-

cite quemdàm vellicare voluerit? Alienum id quidem non esse videtur ab ejus ingenio. Certe poëta, quum hac in rerum continuatione locum laudari faciat, non admodum cavere voluisse videtur, ne Varus aut potius Caesar Octavianus, quum caprum petulcum legeret, de veterano atroce subridens cogitaret.

26—29. Aut potius, Moeris suscipit severior, quod gravius sit, quam lusus iste amatorius, quis carmen tum nobis in Varum coeptum perficeret, ex quo haec eum canentem audivi? — De *Varo*, Caesariano praefecto militari, qui agris dividundis praepositus erat, et post proximum auctumnum, quum Asinius Pollio discessisset, summam potestatem in Virgilii patria habebat, quae tradita sunt indicia, ea ad VI, 6 extricare conati sumus, et *L. Alfenum Varum*, qui Virgilii praeceptorem, Syronem Epicureum, audiverat, quemdam quodammodo effecimus. Num cum Virgilio tam laxe is adhuc conjunctus fuerit, ut, Caesare jubente, poëtam innoxium ut tutaretur, adhortatione egeret? Vir, cujus animus tantum friguerit, ne carmine quidem Virgilii calefactus sit; ad istius animum sextae eclogae inscriptio blande non acciderit. Quodsi Varus noster, quod cur addubitem, nullam ego video rationem, idem est, qui Horatii amicus Od. I, 18. Epod. V, et iste a Quintiliano X, 3, 8 et Philargyrio Ecl. II, 70 laudatus *interpres Virgilii;* posterior ejus cum ingeniis bene merentibus consuetudo et ipsa animum declarat misericordem. Fecit, quod facere poterat, ab impetu veteranorum militum poëtam defensurus; sed, ipse

quum non satis valeret potentia, imperia Caesaris cupiebat acriora, quae ut impetraret, auctor, credo, ipse erat poëtae, ut palam se ecloga de fide exsolvenda appellaret, quam Caesar dederit. Profecto Virgilius laudationem in Varum poëticam ne coeperat quidem, nedum ipsi, fretus familiaritate, quod Servius opinatur, incomta principia recitaverit. Quid enim sit, quod Moeris hunc locum abrupte exemerit, qui laudem tantum futuram eamque conditionibus astrictam pollicetur? Sine ornatu poëtico haec est sententia: Quodsi tu, Vare, Mantuam nobis servas, Mantuam, quae sine noxa sua ob vicinitatem Cremonae poenas luit; nostris carminibus tuum nomen cantabitur. Fronte teneriore quum esset Virgilius, quam ut suo ipsius cantui nonnihil tribuat: Varo servatori, itaque Caesari Octaviano, cujus ille potentiam administrat, laudes nunciat cantorum *circum* Mantuam, quibus etiam Lycidas aliquis v. 32 se annumerat. *Varo*, pro Varo, in honorem Vari. *Necdum*, vetuste pro *nondum* v. 6. Hoc *nondum* recentius *C. D* ex Hafniensibus habent. *Cremona* ad Padum inter urbes erat cum republica sentientes, quas Caesar Octavianus, ex pacto triumvirorum, victricibus suarum partium legionibus concedebat. Verum ferox miles quoniam ubique fines suos migrabat, et multo majora, quam promissa erant, et optima quaeque rapiebat; *Mantua* quoque, quamvis Caesarianos sectaretur, agros suos amisit. Nec Varum tantum, sed Pollionem quoque, verisimile est, in foedere Brundisino sub exitum anni eo contulisse, ut, quod Servius in commentariorum suorum exordio

tradidit, poëtae praedium integrum, Mantuanis pars aliqua suorum agrorum restitueretur. *Misera Cremona*, miseratione magis quam accusatione digna. Poëta erat honestior, quam ut, de victis detrahens, blandiri voluerit. Consueta *cycnus* poëseos erat imago, qui post detectas a Phocaeensibus terras occidentales, ab aetate Hesiodi, cantu suo ales Apollini sacrata esse existimabatur Epp. Myth. II, 11—13 (49—51). Ager circum Mantuam Lb. II, 199,

Pascit qui niveos herboso flumine cycnos,

ad tritam allegoriam eo facilius deducebat. Pro *ferent*, certius promittente, *ferant* Hafn. quoque *C* habet.

30—36. Per omnia, quae agricolae cara sunt, obsecro te, Moeri, amplius canas de Menalcae carminibus! Scis, quantum ego bona carmina amem. Ipse tantillum ejus sum negotii, quod poëtas vocant; quamquam, meo arbitrio, cum veris artificibus comparatus, nugator tantum. — Virgilius sui ipsius laudationi, ad quam finis eum propositus coëgit, moderatur, partim rustica laudantis simplicitate: qui ejus versus nullam aliam ob rem tam lubenter audit, quam quoniam ipse, qua socius hujus nobilis versificationis, aliquis esse videtur agricolis, cum celeberrimis is tum temporis vatibus, quamquam summa modestia, tamen sic quoque se comparare ausus; quomodo paene peritus aliquis cantor rusticus Hendeliis et Schulziis modeste se postponat. Partim, quod versus 44 probat, ex materia majorem, quam ex tractatione, Lycidae tribuit voluptatem; ejus potissimum interest, pro Mantua servanda habere carmina. Ita-

que subtili urbanitate Romanus Syracusani exemplaris suam fecit sententiam, Theocr. VII, 35:

> Unum et iter nobis, una, en age, et hora diei.
> Rustica quin canimus? socii socius juvet artem.
> Quippe ego Musarum spirans os; me meliorem
> Omnibus in cantu dicunt; quod vix ego credam.
> Non equidem! nec Sicelidem, me judice, vinco
> Ipse, probum Samium; nec carminis arte Philetam;
> Haud aliter sed enim contendo ac rana cicadis.

Sic, quam ego vere velim, adjurantis est; quam ego vere velim, heri tui res, quarum tu villicus es, malis careant, bonis affluant. In agris Virgilii, qui a collibus silvestribus ad prata Mincii porrigebantur v. 7, egregium erat mellificium I, 54. VII, 13, et res pecuaria Lb. II, 198. *Taxi*, apibus inimicae Lb. IV, 47, *Cyrneae* sive *Corsicae* appellantur, quoniam mel, quod circa Mantuam Hyblaeo aemulabatur I, 55, addita acerbitate et venenis suis Corsico aequaturae essent. Hanc autem praeter acerbitatem infamem, cujus originem Diodorus et Plinius frequentibus buxis, Ovidius cicutae, Martialis thymo, quod ibi erat, tribuit, *Cyrni* sive Corsicae multum esse debebat mellificium, quum, auctore Livio, devictae insulae Romani tributum cerae imponerent. Hafn. *B* habet *Gryneas*. Tonsa frons *cytisi* fruticis Lb. II, 431, tam viridis quam siccata, pingue pecoris pabulum erat, cujus cultura diligentem villicum indicaret I, 78. *Distendant*, qua voce Virgilius semper utitur, quatuor quoque Hafnienses agnoscunt; quamquam *distentent* Heinsius in libro Mediceo reperit. *Incipe* —: consueta provocatio ad

carmina rustica III, 52. V, 11. *Pierides*, veteris Graeciae Musae, de monte Thracio, post Macedonico, Piero VI, 13. Mihi quoque *poëticos spiritus* Musae dederunt; ego quoque *poëmatis* campo illos probavi; me quoque *pastores*, coram quibus cecini, sacrae artis musicae magistrum appellant perfectum, *vatem* illustrissimum. Verum haec sunt nimia! Tantus honos solum poëtis debetur, quales *Varius* et *Cinna*, quibuscum ego comparatus jaceo! — *Poëtae* nomen inferius sibimet vindicat Lycidas; *vatis* honorificentiorem titulum modeste a se declinat; quemadmodum Theocritus Simichida Musarum quidem nuncius, sed non *lyricen* unus ex *optimis* vocari vult. *Vates*, de pervetusto Graecorum ἤτης pro φήτης, proprie, qui ad carmina esset fatidica consecratus, dicebatur, quales celebres antiquitatis fidicines. Auctor dialogi Tacito annexi Salejum vocat egregium poëtam, aut, si hoc honorificentius sit, *praeclarissimum vatem*, quasi verissimum *augurem*. Eosdem gradus supra quoque VII, 28 Thyrsis sequutus est superbiens. Improprie *vates* nonnumquam aliam quoque quamlibet artem, v. c. jus et artem medicam, edoctus nominabatur.

35—36. Ut vates dicaris, aut cum *Varii* ardore aut cum *Cinnae* diligentia carmina cecinisse debes. *Vario*, pro corrupto *Varo* manu scriptorum, Servius et Cruquianus interpres Horatii Od. I, 6 legebant, de celebri id intelligentes poëta Thyestis fabulae, post pugnam Actiacam spectatum editae. Et Theocritus enim exemplar VII, 40 et sententiarum continuatio par poëtarum requirit, quorum can-

tum olorinum nemo Lycidae assequi posse videatur. Varus autem, vir militaris et philosophus, neque hac in ecloga, neque in sexta, quae, ipsius quum laudi dicata sit, Galli carmen effert, quasi poëta demum ne significatur quidem. *L. Varius* vero, quem, epicum poëtam, amicus Horatius, tragicum, Quintilianus admiratur, nisi interpretem istum Cruquianum opinio fefellit, eclogis, pariter atque Virgilius, ante carmina sublimiora luserat. Has igitur fere imprimis Lycidas designaverit. Certius est, Varium tum temporis carmen versibus hexametris composuisse, unde Macrobius *Sat.* VI, 1, 2 locos quatuor eximios affert, quos partim postea Virgilius imitabatur, partim proximo sequente anno DCCXV in octavam eclogam v. 88 recipiebat. Secundum titulum, *de morte*, et reliquiarum argumenta civilia carmen illud ad Julii Caesaris necem pertinuisse videtur. Varii maturus in Caesarianos amor ex eo et ipso apparet, quod brevi post pugnam Philippensem Maecenati ab eo Horatius (*Serm.* I, 6, 55) et Virgilius commendati sunt. *Helvius Cinna*, Caji vel Quinti praenomine, Catullo amicus, poëmatis amatoriis et epigrammatis, imprimis autem Smyrna sua celeber factus erat, carmine ad obscuritatem usque docto versibus hexametris, quod, quamquam modicum longitudine, per novem integros annos elaboraverat. Veteres Grammatici non sine verisimilitudine asseverant, ad diligentiam hanc nondum tum temporis usitatam Horatium in isto, *nonum prematur in annum*, respexisse. Et Suetonius refert, Crassitium Grammaticum commentario suo in Smyrnam eam fa-

mam nactum esse, ut versibus celebratus sit; ut viri et multi et nobiles, inter eos Iulus Antonius, triumviri filius (nam principes Romani doctrinam reverebantur) in ejus scholam venerint; et ut Verrio Flacco aequiparatus sit. Carmen illud de partu Adonidis agebat, quem Smyrna sive Myrrha ex suo ipsius patre edidit. Hanc quidem rem versus hic Prisciani VI, 16 p. 277 s. nullo modo addubitari sinit, sive legatur:

At scelus incesto Cinyrae crescebat in alvo;

sive, quod emendare vult Burmannus, *Smyrnae* pro *Cinyrae:*

At scelus incesto Smyrnae crescebat in alvo.

Sunt, qui Helvium Cinnam, tribunum plebis, Cinnam nostrum esse existiment, quem, Caesar quum efferretur, cui fuerat amicus, plebs seditiosa et Cornelium esse Cinnam praetorem opinata, necavit. At nominum aequalitas nihil nos docere potest; quum neque tribunus a quoquam quatuor historicorum, qui ejus mentionem faciunt, quasi celeber ille poëta, nec contra poëta a Grammaticis, tam eximia nece perisse, laudetur. Veri similius est, vel anni DCCXV Parthinam Asinii Pollionis expeditionem poëtam vidisse. Nam ex ejus *Propemptico Pollionis* versus nonnulli supersunt (*Gramm. Putsch.* p. 99 *Barth. adv.* IV, 20), quorum argumentum a precibus votivis in profectionem illius cum multis exuviis ex bello redituri ducis plane non abhorret. Nec dubium est, quin Cinnam diligentem artifex foverit non minus diligentissimus Asinius Pollio III, 86, qui etiam adolescens saepe illum apud Catullum, utriusque amicum

(XII, 6—9), non vidisse non poterat. *Digna Vario et Cinna*, digna, quae cum his eximiis comparentur, paene quemadmodum VIII, 10. Itaque ex ore Lycidae sui Virgilius inter segreges istos paucissimos nomen profitetur suum, qui, auream Romanae poëseos aetatem ut crearent, destinati, nativas vires et incultas Graeca ratione emendatrice excolere studebant: invisi illi nativae simplicitati eorum, qui versus suos sedato sermone quotidianae vitae sine ullo negotio fundebant, et corrigenti turbae Grammaticorum novata quaelibet reformidantium III, 90. Etiam postea quam aeterna opera invidiae obstabant, indignatur Horatius, quemadmodum de malignis laudatoribus priscae jejunitatis *Epist.* II, 1, 88:

> Ingeniis non ille favet plauditque sepultis;
> Nostra sed impugnat; nos nostraque lividus odit!

ita non minus de futili opera novorum spirituum *A. P.* 289:

> Nec virtute foret clarisve potentius armis,
> Quam lingua, Latium, si non offenderet unum-
> Quemque poëtarum limae labor et mora.

Lima, audiatis, Germani! lima nobis commendatur: non crasse ista adradens frigidi correctoris, qui, quod Pindarus ait, nullo sensu ingenito, traditione tantum quae accepit, cum impetu effutit; sed illa subtilior Minervae ex officina, qua divinus iste Homerus, quae primum informaverat, levigabat ad in animo insidentis speciei summam usque perfectionem; eadem, quam Ovidius *Epist. ex Ponto* III, 9, 23 designabat:

Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto
Magnus Aristarcho major Homerus erat.

Anseris strepitus, cujus asperitas asperitate versus refertur, *oloribus claram vocem edentibus* ita opponitur, quemadmodum in Theocriti VII, 41 rana cicadis, et crocientes aves Musarum Homero v. 45:

Invisus faber ut mihi sit, qui verticis instar
Oromedontis iners struere altas audeat arces:
Musarum aligeri quoque sic, quicumque poëta
Cum Chio certant strepitu frustraque laborant.

Simul strepitans iste memoriam affert versificatoris miseri anserino nomine, *Anser*, quem Antonius ob laudationem poëticam agro Falerno donaverat. Ad quod etiam Cicero in oratione Philippica XIII, 5 allusit: *De Falerno anseres depellentur.* An vero ridiculum ex amphibolia? Ne miremini! *Ridicula ex amphibolia*, Quintilianus inquit VI, 3, 48 p. 375, bene se habent, quum rebus ipsis adjuvantur. Gerstenbergius quaerenti, an ridicula ex amphibolia bona existimanda, apta amphibolia usus, respondit: si denique bona sunt. Virgilii a placido animo male nominatus *Anser* facile non magis, quam compares ejus *Bavius* et *Maevius* III, 90, derisus fuerit, nisi cum illis contra nobiliores poëtas ejusdem aetatis infenso animo stridisset. Propertius tradidit II, 34, 83, posteriora opprobria Anseri immansueti Mantuanum olorem, quod ejus maxime fuerit secundum dignitatem, tacendo contemsisse. Hafniensis *C* legit *argutos anser strepere inter olores:* cui emendationi Maevius sine dubio adnictasset,

quoniam naturali ordine versum — *sarcit.* Virgilius prisca ratione verba transposuit, quale Ennianum illud: *volat super impetus undas.*

37—43. Moeris aliud carmen domini sui reminiscitur, ex quo alloquutionis tandem Polyphemi amantis ad Galateam Nereida VII, 37 recordatur, quae et ipsa imitatio est alte a Theocrito petita. Tam *nobile carmen*, semet inquit reprehendens, par erat, me non oblivisci! Apud Theocritum XI, 42 juvenis cyclops, dum procellae sunt, vespere auctumnali in rupe prope litus sedet, et ad Galateam nondum conspectam canit:

Tu sed ades prope me, nec quidquam pejus habebis!
Coerulei feriant fremitu sine litora fluctus;
Antro tu melius prope me sita nocte quiesces.
Sunt et ibi laurus, ibi sunt gracilesque cupressi;
Sunt hederae nigrae, fructus fert vitis amoenos;
Ambrosio gustu frigentes sunt mihi fontes;
Arboris Aetna ferax candentes de nive mittit.
Quis maris his salsos malit praeponere fluctus?

Indeque v. 62:

Huc Galatea veni, noli, si veneris umquam,
Post et abire domum, remanens mecum remanente.

Virgilius contra mane vernum eligit, quo aurae spirant, quum Galatea facilis, in undis lasciviens, ab amatore amanter in siccum cogitur. Utraque conformatio consilio suo apta est. Illic nympha noctem in auctumnalem ad placidam quietem antri ex rupe cavati et lauris et cupressis tuti invitatur; nigra hedera III, 39, quae montano isti immani species esset melior, coronas fert amatae, vitis uvas gustatu sua-

vissimas, et, quo nihil esse possit delicatius, aqua ex nive hilarissime exundat, potu laetissima. Hoc autem in loco Polyphemus sensuum plenus, quos teneriores ver inspirat, flores laudat circum rivos de montibus ruentes, prope quos pascit, populum albam aura super antro ventilatam, et, calorem contra aestivum, umbracula vitium per arbores scandentium, quae Aetnae ad radicem mense ipso Aprili germinant VII, 48. ***Quisnam***, divisum Lb. IV, 445. ***Ver***, exitus ejus circum Vergilias exortas Lb. I, 313, quum Siciliae jam Alba Populus lanugine frondis inferne candicante (***foliis subtus tomentosoniveis*** Willd. arb. 227. Linné spec. plant. IV, 2 p. 802) splendet, cf. ***Plin.*** XVI, 23 s. 35, et ***palmites*** repunt. ***Purpureum***, candens, nitens Lb. IV, 54. In ***fundere*** (a ***fuo***, ***funo***, ***fudo*** I, 49) potestas inest geniturae et abundantiae; quemadmodum in cognato χέειν, et prisco Germanicorum hominum ***getan***, gignere et egerere.

44—45. Moeris sibi persuaserat, Lycidam dulcium poëmatiorum plura Menalcae, quaelibet demum, audire velle. Lycidas autem plura ex iis cupit, quale illud in Varum: quorum poëmatum argumentum salus sit agri Mantuani. Quid, ait propterea, ex illis versibus adhuc memoria tenes, quos solus tu vespere quondam stellante canebas? Modos ego numerorum adhuc ipse scio, verba autem parum. Simul, opinabimur, modos eum, quos tenebat, verbis cum aliquibus abruptis fremere. ***Quid meministi*** (ex v. 38) ***ea carmina***, ***quae***. ***Nox***, hic est incipiens, sive vesper Lb. III, 538. ***Pura***, a nubibus, ut novum

sidus, cujus poëma mentionem faciebat, clare de coelo conspiceretur. *Numeri*, quod comparatio arguit, hic meri sonorum modi sunt, dinumerati et ictibus distincti.

46—50. Moeris versus aliquos ex carmine canit, quod Menalcae personam gerens Virgilius jam anno DCCX in novum Julii Caesaris sidus panxisse simulat; quum nihil ipse a posteriore fortunae vicissitudine timendum haberet, et sincero tantum in defunctum amore moveri posset. *Daphni* (pastor fictus), quid veteres tu stellas suspicis? Novum sidus, Caesaris anima lucens, cursus illic coeli ingressum est: ad maturitatem frugibus, colorem uvis, salutem pomis ferendam. — Quum non multo post Caesaris necem, quae Idibus fiebat Martiis anni DCCX, heres ejus Octavianus ludos ab illo votos ad Veneris Genetricis templum consecrandum ederet; per septem dies ad plagam occidentalem septemtriones versus, hora ante vesperam, stella crinita apparebat, magnitudine non mediocri, quam populus divi Caesaris animam esse putabat Lb. I, 32. 488. Quamobrem Octavianus Caesaris statuae in vertice stellam figebat, et in pugna Actiaca hujus stellae imaginem in galea habebat Aen. VIII, 681, artis quoque in operibus et cometae hujus paterni et sideris, quod simulabat, natalitii sui, Capricorni, insigni honorabatur. *Dione*, filia Oceani et Tethyos, fabulam secundum Homericam mater erat Veneris, cujus a nato, Aenea, per Iulum gens Julia filum originis suae deducebat V, 44. Posteriores Dionae nomen Veneri nonnumquam ipsi dederunt, v. c. Bion I, 93; et Ovidius, fabulas plane

alienas miscere solitus, Dionam *am.* I, 14, 33 vel istam ipsam Venerem dicit, quae (Hesiodo auctore) ex mari materno emergit, itaque Dionae illi ne affinis quidem est. Ipse Julius Caesar quaestor amitam suam defunctam Juliam, Marii majoris uxorem, pro Rostris laudabat, quod genus ejus maternum ab Anco Marcio rege, paternum a Venere oriundum esset. Haec igitur est sententia. *Veteres ortus signorum coelestium*, Daphni, ne suspice! Majoris, his adhuc a nobis observatis siderum meatibus, qui opera nobis, tempestatem et fertilitatem significabant, hinc nobis agricolis nova ista *stella* fiet, quae, *sideris* instar, signi instar stellarum plurium, *astrum*, micans, in alto suo cursu conspicua exiit, *processit*. Hafn. *D* *praecessit* falso habet. Destinata enim est, quemadmodum nunc, ita anniversario reditu postea quoque ad *fruges* maturandas, praecoces *uvas* colore tingendas et *piris insitivis* opem ferendam. Scriptores historici mensem non nominaverunt, quo stella crinita conspecta est; nisi quod ex Caesaris mortem proxime sequentibus fuisse dicitur. Recentiores nihilo minus stellam in medio mense Januario anni DCCXI collocaverunt, quoniam cum Capricorno eam conjunctam esse volebant. Hic vero locus noster nullum alium mensem permittit, praeterquam *Julium* anni DCCX, cui Octavianus, lege lata, nomen hoc pro Quintili dedit. Julium mensem veteres quoque intelligebant doctiores, quos scriba, qui Servium excerpsit, ad v. 48 ob oculos habuit. Et propter stellam istam crinitam in Ausonii *Ecl. de mens.* 13 splendet:

Inde Dionaeo praefulgens Julius astro.

Messis ab hordeo incipit circa diem solstitialem, et in reliquo frumento per mensem Julium durat Lb. I, 316. *Seges*, frumentum satum; sive potius antiquiore potestate, quae agricolis erat consueta, ager consitus; quemadmodum in priscis versibus apud Ciceronem (*Tuscul.* II, 5): *Etsi segetem sunt in deteriorem datae fruges*, et apud Catonem 37 *segetem stercorant fruges.* Extremo mense Julio praecoces *uvae* paulatim *colorantur*, prope calidiores *rupium* imprimis *parietes* (v. ad Lb. II, 398). Virgilii *Copa* v. 21 diebus canicularibus jam uvas maturas habet cum moris, cucumeribus, prunis cereis; conferatur Columella quoque de cultu hortorum v. 400. *Ducere colorem*, de colore primum inhaerescente, habet Ovidius *Met.* III, 484:

— — — ut variis solet uva racemis
Ducere purpureum nondum matura colorem.

Pari potestate Juvenalis I, 2, 81 scribit *uva livorem ducit*, quod σχολιαστής interpretatur, *varia*, i. e. versicolor, *fit;* et Propertius IV, 2, 13, *variat liventibus uva racemis*, baccis coeruleis uva pingitur. *Pirus*, Palladius VIII, 3. IX, 6 inquit, malus quoque, Julio mense *locis humidis* cum successu *inseruntur;* plerique tamen mense Augusto pirum inserunt. Memento, solum Mantuanum Mincio palustri rigari. Cato quoque XLI (*Plin.* XVII, 24) piros et malos quinquaginta diebus post solstitium aestivum inseri jubet. *Inserere*, quod proprie est *plantas alicubi ponere*, verbum est agricolarum usitatum de generosis surculis ex aliis

arboribus alias in arbores traditis; quamquam, *reliquo orationis colore* limitatum, de alia quoque qualibet ratione plantas alicubi ponendi dici potest. Verum faciamus, quod ego non nego, *inserere* mere esse plantas ponere, semina spargere; quid inde fiet? Sere pirorum nucleos, ut aliquando nepotibus arbores fiant frugiferae! Scilicet non degeneres, quum alias pejores existant ex nucleis Lb. II, 59? Quam multo gravius: Calamos nunc in piros trade, Daphni; sideris beneficio vires nanciscentur tam durantes, ut poma eorum non a te solum, sed a filiis quoque et nepotibus carpi possint! Nam pacem quoque, mente apponit, de stella sua divus Caesar demittet V, 61, neque sinet, ut peregrinis campus noster tam bene sit consitus I, 73—74.

51—55. Hic coeptum carmen Moeris interrumpit; senectutem, ait, suam memoriam debilitasse; vel vocem suam perisse; ipsum tamen Menalcam, ex exsilio reversum, totum saepius Lycida coram carmen relaturum esse. — *Omnia fert aetas:* proverbio dicebatur. *Ferre*, auferre V, 34. VIII, 106. *Animus*, mens, memoria. Juvenis ego per integros saepe cecini dies aestivos. *Condere longos soles*, longos solis cursus componere, ad finem perducere, traducere; quale apud Horatium IV Od. 5, 29:

Condit quisque diem collibus in suis.

Contra *hiberni soles* Lb. II, 481 dies breviores appellantur. Duodecim horae diei civiles cum eo et crescebant et decrescebant Lb. III, 327. *Oblita*, quae ex memoria sunt deleta: vetere passivo. Ipsa *vox*, tam clara olim et durans, ut *Moeridis* no-

men in poëtarum numero nominatum sit, ea et ipsa senem me aerumnosum deserit, et tam rauca fit, quasi me *lupus* prior viderit. Fabula popularis, si quis repente lupum adspexerit, ipse prius visus, vocem ei perire, multo erat ante Theocritum XIV, 22, ubi in *Λύκου*, juvenis alicujus, ea adspectum transfertur:

Non loqueris? viditne lupus te? ut fabula ludit.

Jam Platonis in Republica hoc proverbio Socrates de feroce Thrasymacho utitur: Quodsi non prior ego eum vidissem; voce, credo, essem privatus. In Italia quoque, Plinius inquit VIII, 34, luporum visus noxius esse creditur, vocemque homini, quem priores contemplentur, illico adimere. Hinc Servius (cf. Donat. ad *Ter. Adelph.* IV, 1, 21) proverbium interpretatur: *lupus in fabula;* quoniam repentinus adventus ejus, de quo loquimur, ut obmutescamus, facit. Scilicet a Moeride non magis, quam Socratis a persona, alienum fuerit, salse repentinam irruptionem rapacis militis proverbio notasse. Tamen *Menalcas* noster, divi Julii Caesaris laudator, Moeris adjicit, ab nominis haerede Laris benefici restituetur, teque non minus, quam caeteros Caesaris cultores, totius poëmatis crebra iteratione laetificabit.

56—65. An infirmitatem memoriae tu et raucitatem vocis praetexis? Jocaris, meque morando cantus vis cupidiorem efficere. Age, cane modo! Ventorum silentium non magis blanditur, quam parum id est lateribus (pulmonibus v. *Clav. Ern.* s. v.) tuis noxium; praeterea paulum hic licet requiescere. Quodsi pluviam timemus oborientem, porro eamus, et

haedos mihi committe portandos. — Lycidam poëticum cantus decet amor ardens; Caesarianum amor in Caesarem; juvenem ea humanitas, qua nullam Moeridi senectutis tribuat imbecillitatem, et cura, ut ne quid illi noceat aut molestum sit. Duo Hafnienses *B. C.* pro *caussando* mendum habent *cantando*. Ab Ande ad Mantuam via se librat secundum diffusum et paludosum *Mincium*, qui brevi ante crepitantes ad ripam undas volutaverat, nunc autem, vento nullo, *planities* factus *depressa*, quod nostrates dicunt, speculi instar levigatus, *silet.* Paulo ante arbores et ulva fluminea susurrabant; nunc, *adspice! aurae spirantis murmuris omnes* sedatae sunt. Apta rerum naturalium adumbratio in argumenti tractatione illigata est, brevis et cito gradiens. *Tibi* in favorem, ut lubenter et sine molestia canas. *Stratum*, i. e. depressum, aestum simul fluvialem, qui prius fuerat, designat; quale aqud Theocritum VII, 57:

Halcyones sternent fluctus, sternent maris undas,
Atque Notum cum Euro, postremam qui movet algam.

Cadere, de vento, quiescere Lb. I, 354. *Ventosum murmur*, immodicus strepitus, ventus strepens. Hujus *aurae*, i. e. lenes animae sive spiritus, omnes jamjam resederunt: ita *aurae Zephyri* Lb. II. 330; ita *graminis herba* Ecl. V, 26.

59—64. *Media via* apud Theocritum quoque VII, 10 *sepulchro* designatur:

Completaque via nondum media, monimento
Nec Brasilae dum conspecto.

Sepeliebantur enim defuncti lubenter prope loca ce-

lebria lateque conspicua V, 40, ut, quod Varro *de ling. lat.* V, p. 64 ed. Bip. ait, praetereuntes monerent, semet fuisse, et illis mortem instare. *Bianor*, quod Servius tradidit, principis Etrusci *Ocni* sive *Aucni* cognomen erat, filii ex Tiberino patre, fluvio, et Manto fatidica, qui Mantuam sive condidit sive munivit, Aen. X, 198; quam vagam famam popularem, quales omnes sunt ejusdem generis, cum Servio tamen. *Cato* quoque in Originibus suscepit, Mantuam, dicens apud Cerdam, *Ocno Bianoro*, principe Etrusco, conditore suo, nominis celebritatem nactam esse. *Stringere*, radere, abradere, carpere, tondere. Hac quidem postrema potestate Nonius Marcellus id accipit et hic et Lb. II, 368, *rarefacere*, *excindere* id interpretatus, i. e. aërem immittere, ad aërem immittendum exsecare. Sermo est enim de sectione frondium (*frondatio*) vitiferarum arborum (*arbusta*), quibus agricola a die longissimo ad mensem usque Augustum aut mane, aut, quod hic, sub vesperum teneras frondes, quae obumbrarent, detondebat, ad pabulum eas adhibens I, 57. Pabulo, Plinius inquit XVIII, 68, ulmi folia *stringis* i. e. tondes. Columella vetat V, 6, 16, ne quis germina (*pollices*) vel nimis promittat, vel nimis prope ramos decurtet. Jubet quoque Calpurnius V, 99, in vindemia arboribus ad pabulum in hiemem laetius

— — — teneras summatim stringere (*i. e. detondere*)
virgas

Densae frondes, quibus uvae in altitudinem repentes liberari debent, frondationem istam, quae sub mensis Augusti fiebat initio, magis communem testan-

tur. *Hic*, in umbra hujus arbusti nondum tonsi, laetantes adspectu fertilitatis et operis rustici, hic requiescamus et canamus: prò, requiesce et cane. Mantuam etiam sic satis mature perveniemus, ut cum crepusculo possimus reverti. Quodsi metus est, ne repentinum ventorum silentium *pluviam* nobis hac nocte prius futuram indicet; *haedos* mihi committe portandos, ut onere levatus tu inter eundum canere possis. Plinio auctore II, 48 ventus a pluvia mitigatur. Nubes quoque, quae oboriuntur, mente adjiciendae sunt. *Usque*, proprie de spatio, *inde ab ultimo et extremo termino*, aut *ultimo et extremo termino tenus*; deinde, ad tempus translatum, *una perpetuitate*: quemadmodum *protenus* I, 13. Quatuor Hafnienses et Lengnichii liber habent *laedet*, via *erit* minus molesta: quae idonea est sententia; *laedat* oriebatur ex *eamus*, quod vicinum est.

66—67. Tristi severitate Moeris juvenilem ejus castigat levitatem, quod carminis delectationem ludicram nunc velit exposcere, quum tale officium, qualis profectio ad militem, animum suum sollicitum habeat. Voluptatem canendi reditu tantum Menalcae sui sibi renovari posse.

ECLOGA DECIMA.

GALLUS.

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem.
Pauca meo Gallo, sed quae legat ipsa Lycoris,
Carmina sunt dicenda. Neget quis carmina Gallo?
Sic tibi, quum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam!
Incipe; sollicitos Galli dicamus amores,
Dum tenera attondent simae virgulta capellae.
Non canimus surdis; respondent omnia silvae.
Quae nemora, aut qui vos saltus habuere, puellae
Naiades, indigno quum Gallus amore peribat?
Nam neque Parnassi vobis juga, nam neque Pindi
Ulla moram fecere, neque Aonie Aganippe.
Illum etiam lauri, etiam flevere myricae;
Pinifer illum etiam, sola sub rupe jacentem,
Maenalus et gelidi fleverunt saxa Lycaei.
Stant et oves circum, nostri nec poenitet illas;
Nec te poeniteat pecoris, divine poëta!
Et formosus oves ad flumina pavit Adonis!

Venit et upilio, tardi venere bubulci,
Uvidus hiberna venit de glande Menalcas.
Omnes, unde amor iste, rogant, tibi? Venit Apollo:
Galle, quid insanis? inquit: tua cura Lycoris
Perque nives alium perque horrida castra secuta est!
Venit et agresti capitis Silvanus honore,
Florentes ferulas et grandia lilia quassans.
Pan, deus Arcadiae, venit: quem vidimus ipsi,
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.
Ecquis erit modus? inquit. Amor non talia curat!
Nec lacrimis crudelis Amor, nec gramina rivis,
Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellae!
Tristis at ille: Tamen cantabitis, Arcades, inquit,
Montibus haec vestris, soli cantare periti
Arcades! O mihi tum quam molliter ossa quiescant,
Vestra meos olim si fistula dicat amores!
Atque utinam ex vobis unus, vestrique fuissem
Aut custos gregis aut maturae vinitor uvae!
Certe, sive mihi Phyllis, sive esset Amyntas,
Seu quicumque furor, (quid tum, si fuscus Amyntas?
Et nigrae violae, sunt et vaccinia nigra!)
Mecum inter salices, lenta sub vite jaceret!
Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas!

Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori;
Hic nemus! hic ipso tecum consumerer aevo!
Nunc insanus amor diri me Martis in armis,
Tela inter media atque adversos detinet hostes.
Tu, procul a patria, (nec sit mihi credere!) tantum!
Alpinas, ah, dura, nives, et frigora Rheni
Me sine sola vides! Ah, te ne frigora laedant!
Ah, tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!
Ibo, et, Chalcidico quae sunt mihi condita versu
Carmina, pastoris Siculi modulabor avena.
Certum est: in silvis, inter spelaea ferarum
Malle pati, tenerisque meos incidere amores
Arboribus; crescent illae; crescetis, amores!
Interea mixtis lustrabo Maenala Nymphis,
Aut acres venabor apros. Non me ulla vetabunt
Frigora, Parthenios canibus circumdare saltus.
Jam mihi per rupes videor lucosque sonantes
Ire; libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula! — Tamquam haec sit nostri medicina furoris!
Aut deus ille malis hominum mitescere discat! —
Jam neque Hamadryades rursum nec carmina nobis
Ipsa placent! ipsae rursum concedite silvae!
Non illum nostri possunt mutare labores;
Nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus,
Sithoniasque nives hiemis subeamus aquosae;
Nec si, quum moriens alta liber aret in ulmo,

Aethiopum versemus oves sub sidere Cancri!
Omnia vincit Amor: et nos cedamus Amori!
Haec, sat erit, Divae, vestrum cecinisse poëtam,
Dum sedet et gracili fiscellam texit hibisco.
Pierides, vos haec facietis maxima Gallo:
Gallo, cujus amor tantum mihi crescit in horas,
Quantum vere novo viridis se subjicit alnus.
Surgamus! solet esse gravis cantantibus umbra,
Juniperi gravis umbra; nocent et frugibus umbrae.
Ite domum saturae, venit Hesperus, ite, capellae.

ECLOGA X. EXPLICATA.

ARGUMENTI NARRATIO.

AB U. C. DCCXVII.

M. Vipsanio Agrippa L. Caninio Gallo Coss.

VERNO TEMPORE.

Virgilius annum agens 32—33.

De hujus carminis origine et anno nihil dubitationis Virgilius reliquit. Scripsit id, ultimam eclogarum v. 1, a Gallo admonitus v. 3, post factam agrorum divisionem amico VI, 64, cujus amor, Lycoris, alium amatorem in expeditione v. 23 trans Alpes ad Rhenum usque v. 46—48 comitabatur, dum in Italia ipse v. 44—46 contra domesticos hostes arma ferebat. Certo conspicitur annus DCCXVII, cujus in vere Caesarem Gallus oram Italiae defendentem adjuvit contra Sext. Pompejum mari dominantem; consule Agrippa, qui aestate anni DCCXVI exercitum trans Alpes contra Gallos et Germanos ultra Rhenum duxerat, cursim, ad victam classem restituendam et portum Julium apud Bajas condendum, Italiam repetente; cf. v. 44—49.

Virgilius, personam gerens caprarii, Gallum, facit,

desertum poëtam, misericorde cantu in campis et altis et humilibus et in ipsa Arcadia, quo dolor eum coëgerit, a pastoribus et diis agrorum fletum esse. Dolore eorum commotum vitae apud eos rusticae securam exoptasse clementiam, ipse quum nunc ab amoris simul et belli crudelitate vexetur; verum etiam Arcadicis delenimentis, vel si ad extremos orbis terrarum fines vellet migrare, infelicis se posse cruciatus amentiae moderari desperasse. Commenta sunt ad ornandum, non verae res.

Magna pars carminis enim libera imitatio est Daphnidis in primo idyllio Theocriti amore liquescentis. Quare Martyni mihi videtur approbatione digna conjectura esse: quemadmodum pharmaceutriae Theocriteae Pollionem, sic ipsum illius nominatim idyllii Gallum imitationem requisisse. Galli nimirum, perituri amore, desperatio, ipse quum perfidam tamen Lycorin hieme jam anni DCCXVI—DCCXVII eo carmine, ex quo versus Virgilius quatuor 46—49 recepit plenos ardoris, et post quatuor libris elegiarum celebrare potuerit, poëtice magis, quam serio et ad literam, intelligenda erit.

Annotata.

1—8. Unum insuper pastori carmen, candida Nympha, quae Theocrito animos inspirasti, pro Gallo meo mihi largire: in spretum ejus amorem carmen, quale cupiebat, mite et mansuetum, quod vel Lycoris

animo legat commota. Caprae meae fruticetis interea pascuntur, et saltus voci resonant.

1—3. *Arethusa* fons appellabatur celeberrimus, insulae Ortygiae, quae quartam partem Syracusarum urbis tenebat. Nymphae fontium quum a pastoribus deae esse crederentur numine suo inspirantes v. 10. 55. III, 85. VII, 21; ad Arethusam suam Theocritus Syracusanus spiritus suos plerumque acceptos referebat. Moschus III, 77 de Homero et Bione cecinit:

> Dilecti pariter fuerant a fontibus; alter
> Pegaseos, alter biberat latices Arethusae.

Ipseque Theocritus se jactabat VII, 91:

> — — — Lycida mi, me docuere
> Eximia ad montes Nymphae, quum armenta tuerer,
> Multa, Jovis superi ad solium quae fama ferebat.

Hoc postremo loco mihi adspira, Nympha *Theocriti*. Quando demum Virgilio, ajo, ita dicere licuit, nisi anno DCCXVII, quum majori operi, carmini de agricultura coepto, totum se dare constituit, itaque, uti videtur, *eclogas* suas, id est, emendatam electionem passim editorum idylliorum, hoc novissimo et *extremo* auctam, in lucem emisit? *Meus Gallus*, ipse poëta, cui vix dea aliqua poëtria carmen negaverit, versus expetit a nobis, Arethusa; *paucos* expetit, et, quamvis animo laesus, *tamen* mitis, te placidam deam decentes, ut vel Lycoris eos *legat* resipiscens, et levitatem suam, amatorem tam tenerum fugisse, damnet. De *Cornelio Gallo* ad sextam eclogam in argumenti narratione et v. 64 diximus. Tunc quidem anno DCCXV Gallus, annos natus viginti sex, post

juveniles conatus, carmine rustico primum, cujus materiam ex Euphorione sumsit, gloriam sibi et majorum exspectationem comparaverat; nunc autem ardores ei pulchra *Lycoris* carminum injiciebat, ex quibus Virgilius v. 46 nonnulla habet, et quae multo post, quasi Galli opus maxime immortale, cum elegiis Tibulli, ab Ovidio *am.* I, 15 laudantur. Quodsi scribae, quum veteres Grammaticos excerperent, Cytheridem meretricem Lycorin esse autumabant, quae M. Antonium, nescio quando, in Galliam sequuta esse dicitur; non reputaverunt ii, quam facerent spretum Gallum adolescentulum. Antonii enim cum Cytheride consuetudo annis erat DCCV ad annum DCCVII; nam Julio Caesare improbante, qui hoc postremò anno Alexandria redibat, Antonius, secundum Plutarchum, meretricem dimisit, et Fulviam, uxorem Clodii, in matrimonium duxit; quod ante annum certe DCCIX factum est. Amator igitur Gallus proxime antecedens, ad puerum deprimeretur annorum vix sedecim; continuo sequens, annum attingeret ipsum vicesimum. Qui malus genius hos temerarios sic somnio lusit Cytheridis famosae, dum Propertius et Ovidius et Martialis Lycorin tantum simplicem cernebant? Verum de manu in manum tradere volebant interpretes, Virgilius, qui factum sit, ut, quum ex quarto libro Georgicorum Gallum deleverit, hoc ei carmen relinqueret. Si altius intuemur, Servius inquit, vituperatio inest et Galli, qui turpi amori servisse debet, et Antonii, quem, contra morem Romanum, Cytheris est in castra comitata. Haec tandem argumentatio paene manibus prehendi poterat.

4—8. Ita tu mihi, Galli quum, animum despondentis, amorem cano, subvenias: ut, salo tu non vitiata amaro, nativa integritate tua, ex Elide vis sub mari Ortygiam fundi! — Appellatae candor candorem exspectari jubet carminis et amoris carmine celebrati. Arethusam Naïdem, fabula erat, ab Alpheo, Fluvio Elidis, fugatam, sub mari, sive per undas non admixtas, sive, quod Ovidius *Met.* V, 501 ait, per cavernas subterraneas, Ortygiam ferri; multaque, in Alpheum conjecta, in Arethusa comparuisse. *Sicani* fluctus: i. e. Siculi, qui fluctus maris Ionii nomine nominari solebant; homines *Sicanos* Homerus noverat jam ad oram orientalem Siciliae. *Doris*, Oceanitis, ex fratre Nereo Nereïdas sive Nymphas maris interni peperit. *Amara*, ob amaritudinem aquae marinae: ita Homerus, Neptuni uxorem, *Amphitriten* dicit *aestuantem*, Amphitrites nomine usus ad *mare* designandum, Odyss. XII, 60. 97; non aliter Euripides in fine Cyclopis. Poëta personam sumit modestam caprarii, qui pecus suum in fruticosa convalle sub jugis silvestribus pascit. *Simi* haedi apud Theocritum VIII, 50 et apes VII, 80 appellantur. Regio montana et hic et in fine carminis breviter indicatur scienti: quod secus est in *Culice* v. 44, ubi gregem caprarum, qui sub horridis cautibus in convalle pascitur, nostra inscientium gratia non sine juvenili quadam redundantia expressum conspicimus:

Jam silvis dumisque vagae, jam vallibus abdunt
Corpora: jamque omni celeres e parte vagantes
Scrupea desertae perrepunt ad cava rupis.
Tondentur tenero viridantia gramina morsu,

Pendula projectis carpuntur et arbuta ramis,
Densaque virgultis avide labrusca petuntur.
Haec suspensa rapit carpente cacumina morsu
Vel salicis lentae, vel quae nova nascitur alnus:
Haec teneros fruticum sentes rimatur; at illa
Imminet in rivi praestantis imaginis undam.

Animata apud poëtas *silva* audit, quemadmodum fluvius VI, 83; discit eadem et voci *respondet* resonans I, 5. Cantus solitarius intimo animo pastorem probat condolescere v. 73.

9—12. Quonam abieratis, Nymphae fontanae, quae de Parnasso, Pindo et Helicone montibus divinos spiritus poëtis afflatis, quod Gallum vestrum non inter amoris dolores consolabamini? Non aliter Sicelides Nymphas Theocritus interrogat, quum luctus suos de Daphnide orditur I, 66:

Vos ubi, quum Daphnis taberet? vos ubi, Nymphae?
Penei Tempe coluistis, an ardua Pindi?
Undas nam neque tum fluvii tenuistis Anapi,
Aetnae nec speculam, latices aut Acidis udos.

Najades, Nymphae imprimis appellabantur lympharum fluvialium terrestrium II, 46; hic deae sunt montanorum fontium, quae numen suum poëtis inspirant; alias eae Musae dicuntur, quarum celeberrimae in Parnasso, Pindo et Helicone morabantur VII, 21. Quomodo in Culice v. 18 Virgilius Musas Pierias alloquitur:

Quare, Pierii laticis decus, ite, sorores
Naïdes, et celebrate Deum plaudente chorea.

Gallum igitur poëtam, qui post carmen illud ex Euphorione VI, 64. 72 petitum assidue Musarum aliquo in monte versatur, Musae, ejus amicae, a desperatione

amoris sine dubio essent tuitae, nisi abfuissent. Sine ornatu: Gallus obliviscebatur, dolorem suum cantu lenire v. 50. *Indigno amore*, indigne habito, quocum non fiebat mutuum VIII, 18. Vetus lectio, *quum peribat*, elegantior est et gravius dicitur, propter actionis diuturnitatem. Inter scribendas literas (puncto temporis), *quum scriberet;* inter scribendum Laocoontem (continuato tempore), *quum scribebat.* Idem potestatis inter perfectum et imperfectum interest: Modo erat scribens, *scripsit;* solebat scribere, *scribebat:* tantum poëtae hoc, quippe gravius dicto, pro illo nonnumquam uti licet; quod genus Hor. Ep. I, 10, 49: contra raro, cf. Serv. ad Aen. II, 455. *Parnassus* VI, 29 fontem habebat Castalium. *Juga*, ambo ejus cacumina. *Pindus*, alti montes erant Thessaliae, propter fines Macedoniae et Epiri. *Aganippe* fons de Helicone, monte Boeotio *sive Aonio* VI, 65, in Permessum defluit; ibidem est Hippocrene quoque. *Aonie Aganippe* e Graeco *Ἀονίη:* versus cum exitu Ionico quoniam verba continere solent non Graeca tantum, sed etiam ad Graecam rationem formata et mensa II, 24. VI, 53, et Silius XIV, 515 *Ortygia Arethusa.* Hinc inscii efficiebant magis commune, et ob *a* duo continua male sonans *Aonia Aganippe;* alii *Aoniae Aganippe*, Aganippe, fons Aoniae; alii insuper, qui Aganippen montem somniabant, *Aoniae Aganippae* sive *Aganippes* genitivum creabant a *juga* pendentem. Quod Servius annotavit, utrumque esse nominativum singularis, id *Aonie Aganippe* a duplici *ae* veterum Grammaticorum defendere videtur.

13—15. Ipsae deae, quarum spirabat carmina, deseruerunt afflictum; quum vel colles lauriferi et valles myricarum, i. e. poëtae et sublimes et tenuiores, ejus misericordiam sonarent; quum vel montes Arcadici a luctu streperent pastorum, postquam, petens ab iis solatium, defessus in antro recubuerat: i. e. quum vel ego, poëtarum humillimus, rogantem pastor carmine consoler. — Theocritus exprobrationem illam, qui fieri potuerit, ut Nymphae Siculae Daphnidem suum negligerent, additamento auxit I, 71:

> Hunc etiam thoes, proh! hunc flevere lupique,
> Huncque leo gemuit dumetis fatum obeuntem.

Laurus II, 54, arbor montana Lucr. VI, 151, Apollini sacra erat Ecl. III, 63, cujus in sacro *monte* Parnasso imprimis crescebat Lb. II, 18; inde magni poëtae *Delphica lauro* coronati sunt, Hor. Od. III, 30. IV, 2. *Myrica*, plagae meridionalis frutex paluster, quem Basilius *hexaem.* 5 quasi bifariam viventem appellat, bis jam IV, 2. VI, 10 ad imaginem poëseos humilioris adhibebatur. Hic tandem myricae intelligendae sint ad Musarum montium radices. Cerda auctor est, Myricaei et Myricini cognomina Apollinem habuisse, myricaeque Lesbi ramum manu tenuisse; unde myricam plantam appellari fatidicam. Ita graduum in dicendo est perpetuitas: Ipsa capita ipsaeque radices montium Musarum Galli miseritae sunt, imo, quod majus sit, cantus pastorum Arcadum etiam humilior, quem Virgilius VI, 2 quasi umbratilem lusum Musae suae excusat. Ista carminum sublimiorum et tenuiorum solamina tempus nobis invidit. Ab ignaris regulae, caesuram saepe, hiantes vocales ne liquescant,

vetare, inter *lauri* et *etiam* modo *illum* interponebatur, et inficeta gravitas triplicis istius *illum etiam* elegans esse praedicabatur, modo *laurus etiam*, modo *lauri nec non* corrigebatur. *Maenalus* et *Lycaeus*, mons uterque Arcadiae, carmen designant pastoritium, cujus Arcades erant artifices VII, 4. *Pinus*, Pani consecratae VII, 24, hic quidem *silvestres*, quae solae secundum Theophrastum III, 10 in Arcadia nascuntur, et *gelidae rupes* cogitationem excitant altitudinis; Gallus, qui v. 44 in patria in armis est, Maenali deserto in antro hic requietem quaerens, ne magis is proprie intelligatur, quam quum Musarum in montihus versatur. Nihil sibi allegoria vult, praeterquam id, quod tertius versus indicabat: Gallus bucolicum a Virgilio amico carmen petebat in amorem suum, et Virgilius rem quasi in Arcadia gestam ponebat. *Rupes*, magnum saxum abruptum, huc superimminens, v. 58.

16—69. Narratio est eorum, quae communem luctum in montibus Arcadiae antecedebant. Poëta, amicum suum, solatium sitientem, comitatus, simul cum eo Maenali in rupis caverna stratus jacet. Adspectus et vox aegri oves allicit proxime pascentes 16; mox opilionem quoque et alios pastores 19; deos ipsos agrorum 21. Misericordia eorum Gallus dolore non levatus queritur, et Arcades rogat, carmine ut ejus cruciatus celebrent 31.

16—18. Gallo, quum, sitiens amore, cum Virgilio comite deserta in rupis caverna Maenali quiescit, oves primum appropinquant non procul pascentes, fidentes et misericordes. En, pias, inquit poëta, bes-

tiolas! nos non reformidant. Tu quoque humilia pascua ne reformides; vel ipse Adonis, deliciolum Veneris venustum, oves non dedignatus est pascere. — Descriptio, Gallus quomodo in Arcadia exceptus sit, praesenti tempore orditur alacrior. Apud Theocritum I, 74 suae ipsius de Daphnide boves lugent:

Ante pedes multi tauri multaeque juvencae,
Multae sunt vaccae questae tristes vitulaeque.

Hujus loci comparatio indiligens interpretes aliquot recentiores in eum errorem induxit, ut Gallum quoque pastorem Arcadicum esse opinarentur; pastor quamquam pecoris circumstantis v. 19 adest, et Gallus v. 35 non pastor, sed v. 44 bellator esse queritur. Pastorem quippe Arcadicum non *Galli* nomine Virgilius, sed, quemadmodum Julium Caesarem et semet ipsum in quinta ecloga, rustico introduxerit. *Poenitet me*, piget me, detrecto, despicio II, 34. Clementibus ovibus nostra non displicet societas; tibi quoque ne ovium displiceat. *Nostri*, tui, o Galle, et mei, qui te (allegoria usus) in Arcadia posui v. 26. Tu quoque ne nolis, *divine,* sublimis, *poëta* V, 45, mecum, poëta rustico, inter greges versari. Pastorum ordo non ita olim contemtus erat; heroës quoque, Diis amici, qualis *Adonis*, inter deos relatus, aliquando pascebant. Apud Theocritum Venerem Daphnis ob amorem cavillatur Anchisae, boves in quercubus Idaeis pascentis, haec adjiciens I, 109:

Floret Adonis enim, pecus et custodit ovile,
Et figit lepores, alias sequiturque ferarum.

Acerba sane cavillatio, adolescentem ejus florentem, et oves pascentem imbelles, vel contra lepores auda-

cem esse, imo contra feras alias! contra aprum v. g., qui (pro dolor!) jocari nesciebat. *Adonin* semideum Graeci post aetatem Homeri ex Cypro accipiebant, Syriis religionibus illatis, quae eum, saltem posterius, solis naturaeque genitricis simulacrum esse ferebant. *Adon* in lingua Phoenicia quoniam declarabat *dominum*, inde factum est, ut Kiris sive Kyris, ex *Κύριος*, Lacedaemone is appellatus sit. Hesiodo (*Apollod.* III, 14, 4) ex Phoenice et Alphesiboea genitus erat, Panyasi et pluribus auctoribus ex rege Assyrio, Theia, cum filia Smyrna sive Myrrha, quae, secundum Antoninum (*Liberalem*), in Libano monte nata fuerat. Bionis in naenia idem dicitur Assyrius i. e. Syrius conjux Veneris, Cinyrae filius: qui in ipsa Iliade XI, 20 laudatus Cinyras, secundum Apollodorum, progenies Tithoni et Assyriorum princeps, Cyprum migravit, Paphum condidit, et ex Metharme, Pygmalionis, regis Cyprii, filia, Adonin genuit; vel, quod Hyginus et Ovidius tradunt, ex sua ipsius filia Smyrna sive Myrrha, quae in cognominem arborem Arabiae transformabatur. In Cypriis poëmatis, Pindarus inquit (*Pyth.* II, 7. *Nem.* VIII, 30), Cinyras, quasi princeps indigena, ab Apolline amatus, et Veneris sacerdos, colebatur; cujus nepotes, Cinyridae, scholiaste auctore, sacerdotium hereditate accipiebant. Cypriis, secundum Plinium VII, 57, tegulas invenerat, metalla aeris, forcipem, martulum, vectem, incudem; secundum Clementem et Arnobium, mysteria Cypriae, ex spuma marina enatae, Veneris. Antiquitatem edocti non nesciunt, quam saepe sacerdotes fabulas peregrinarum

religionum ad patria domicilia templaque sua pertraxerint, *Ep. Myth.* II, 36 (74).

19—21. Post oves opilio quoque propinquat speculabundus, et deinceps alii pastores alter post alterum. — Daphnidi Theocriteo, qui, verus quum pastor esset, diis agrorum familiarius uti consueverat, Mercurius primum propinquabat propitius, tum caeteri pastores et post alii dii rurales I, 77:

Mercurius primus veniens de monte, terit te
Daphni, inquit, quis? dic, ardes quem tam vehementer?
Pastores venere boum, caprarum oviumque,
Quaerebant omnes, male cur sit?

Sapienter oves Virgilius, quae hospitibus, quippe cicures, propinquaverant, opilionem continuo aliosque pastores sequutos esse facit, primumque deinde Apollinem, cui Gallus pridem notus esset. *Upilio*, extensum ex *opilio*, custos ovium, pro *ovilio*, quod et ipsum reperitur. Ex ὄϊς, *ovis* in Italia fiebat, addita aspiratione Aeolica; id, correptum in *ops*, quemadmodum δαὶς, *davis*, *daps*, declarabat *bona*, divitiae quoniam ex pecore erant, deamque divitiarum, *Ops*, quae dea quaedam erat pastorum a prima origine *Epp. Myth.* I, 17. p. 105 (111). Hinc factum est, ut priscum verbum *opilio*, quod in lingua tantum manebat rustica, de omnibus quoque omnino pastoribus, quemadmodum apud Apulejum *Met.* VIII. p. 210 de caprariis, dici posset. *Bubulcus*, et ipsum ex vetusta lingua ruricolarum, rector proprie boum ad aratrum vel plaustrum; ita Columella eo et Ovidius utuntur: deinde pastor boum; quale in Ausonii LXII epigrammate, ubi primam syllabam *bulbus* insuper

habet correptam. *Bubulci* sunt tardi, qualia eorum armenta; minime pastores suum, *subulci*, librorum aliquot manu scriptorum veterum; genus enim suillum incessum vix permittat morantem. Libris nostris manu scriptis est Apulejus antiquior, qui bis Virgilianum *opilionem* et *bubsequam*, i. e. rectorem boum, laudat, ad hunc locum respiciens. Denique, quid hic sibi velint subulci? *Menalcas* subulcus quum proximo versu praesto sit. Veri simile est, ad *Menalcas* interpretaturum addidisse aliquem *subulcus*, itaque insanae correctionis causam dedisse. Utrumque istud vocabulum, succi plenum villatici, semel tantum Virgilius hoc in loco adhibuit, et de Arcadia! Nam ab inerte mollitia, paene Sybaritica, nunc nostrae poëseos pastoritiae, tam longe ejus Arcades aberant, ut, in poëmatum amore legitimo, coelum crassissimum et labores durissimos tolerarent VII, 4. Quare ad veritatem poëta describens ne *subulcum* quidem hic evitavit, quem nimis esse ignobilem ad suos pastores adumbratos Theocritus censuit: Arcadia quoniam, quod supra memoravimus, homines et sues multitudine *glandium* saginabat; et Varro II, 4 quoniam, in Arcadia suem se vidisse, testis est, quae, prae nimia pinguetudine, surgere nequiret; cujus in carne sorex nidum fecerat, et pepererat mures. Crudum tamen auri Romanae condonabatur *subulcus*, praesertim post ὁμοιοτέλευτον *bubulci*, et officia tantum Menalcae *uvido* humore silvae, *glandium hibernarum* plenae, significabantur. *Glans hiberna*, quae, non collecta, densis in jugis montium per hiemem jacuerat. Ver enim nunc ipsum fuisse, id ferularum flores et

lilia Silvani v. 25 indicant, et Gallica expeditio v. 46, unde Agrippa hac ipsa aestate rediit. Quodsi Menalcas, quod Servius proposuit, glandes habet ad hibernum pabulum colligendas; aut est auctumnus in hiemem vergens aut ipsa hiems, totaque ecloga evertitur. *Uvida veste* subulcus a grege redit e querceto, ubi verna pluvia et rores densis umbris diutius durabant.

21—23. Vel dii quidam agrorum, carminis periti et amoris, adveniunt, Gallum adhortaturi. Primus Apollo, fautor ejus a collibus Musarum; post Silvanus, ejus popularis; postremo Pan Arcadicus. — Apollo, qui Arcadiam munere peragrabat dei pastoris ipse pascens V, 35. Lb. III, 1, et ab Arcadibus imprimis, quod ait Cicero *N. D.* III, 23, quasi *Nomion*, pastor et legislator, colebatur, non solum Gallum novit, vetere familiaritate, sed, quum esset fatidicus, ejus quoque Lycorin hujusque fugam. Placationem animi sapiens deus a poëta postulat eamdem, qua Virgilium Horatius de Quintilio amisso consolari vult:

Durum! sed levius fit patientia,
Quidquid corrigere est nefas.

Daphnin Theocriteum I, 81 Priapus, bono quodam suo stomacho usus, exhilarare mavult:

— — — — Tuncque Priapus
Venit: Daphni, peris, dicens, miser! ipsa puella
Omnes et fontes pedibus silvas et oberrat
Vestigans; male amas et es omnino male sanus.

Lycoris, Cytheris non est, mima infamis v. 2; minus etiam Antonius est *iste alius*, quem per *nives* Alpium et per *horrida castra* Galliae barbaricae fri-

gore, quod fama ferebat, septemtriones versus intolerabili comitabatur v. 46. *Perque—perque*, comparatio poëtica. Romano enim et Graeco ornatus minorum quoque partium orationis non permittebatur tantum, sed etiam imperabatur: nostri dicendi artifices vix eum in nominibus substantivis ferunt.

24—25. Officiosus adventus *Silvani*, ejus popularis, in cultu suo Italico, solatii nonnihil in semet uno habet, ipse quamquam rudis genius agrorum gestus tantum et singulas quasdam voces effert, Graecis diis orationem relinquens. — *Silvanus*, deus erat pervetustus rudium initiorum agriculturae Italicae, quum pastores silvicolae proxima quaeque declivia sub jugis montium adore (*Triticum Spelta L.*) conserere, plantas ponere et finitimos agros limitibus discernere instituerent. Hunc deum arvorum pecorisque Virgilius Aen. VIII, 600 inter Tyrrhenicos Pelasgos cultum in lucis reperit. Secundum Horatium pater Silvanus, custos limitum, ab agricola uvas accipiebat Epod. II, 22; et pro grege servato lac sacris auctumnalibus Ep. II, 1, 143. Secundum Catonem 83 valetudinem boum a *Marte Silvano* (qui Victoris Hercules Silvanus esse videtur) in silva precabantur sacrificio facto farris adorei, lardi, pulpae et vini. Apud Juvenalem VI, 446 porcus ei caeditur. Lucilius apud Nonnum II, 324 luporum eum exactorem et fulguratorem arborum vocat. Apud Tibullum deo silvarum, *silvestri deo* (*El.* II, 5, 30), fistula a pastoribus consecratur, eidemque deo culturae, *agricolae deo*, primitiae pomorum (I, 1, 14), uvarum quoque et spicarum festaeqne mensae pro gregibus

(I, 5, 27) feruntur. Ex radice cupressi, arborum quippe sator silvestrium, surculum gerit apud Virgilium Lb. I, 20, et apud Gratianum *cyneg.* 20 trunco dicitur laetus silvatico, *inculto termite gaudens*, et in inscriptione quadam gestator arborum, *dendroforos Silvanus*. Vetus Auctor *de limitibus pag.* 294 Goes: Silvanum, ait, primum lapidem terminalem posuisse; omnemque possessionem tres Silvanos habere. Unum, *domesticum*, domo consecratum, inter Lares haberi familiares (*Silvanus sanctus Larum* in inscriptionibus); alterum, *agrestem*, in arvis pastoribus esse sacrum; tertium, *orientalem*, i. e. principiis praefectum, in confinio, unde duae vel plures possessiones oriantur, lucum habere. Varro apud Augustinum *civ. D.* VI, 9 ed. Bip. *fr.* 231 opinionis mentionem facit popularis, quae Silvanum aperte summo loco culturae praeponit. Mulieri foetae post partum, inquit, tres Dii custodes adhibentur, ne Silvanus Deus per noctem ingrediatur et vexet; eorumque custodum significandorum causa tres homines noctu circumeunt limina domus, et primo limen securi feriunt, postea pilo, tertio deverrunt scopis, ut his datis culturae signis Deus Silvanus prohibeatur intrare, quia neque arbores caeduntur ac putantur sine ferro, neque far conficitur sine pilo, neque fruges coacervantur sine scopis; ab his autem tribus rebus tres nuncupantur Dii: *Intercido*, a securis intercisione, *Pilumnus*, a pilo, *Deverra*, a scopis. A Plinio XXV, 10. XXX, 24 Faunis, pro quibus Dioscorides*) ἐφιάλτας sive incubos nominat, et aliis Diis

*) III, 157.

noctis potentibus inquies nocturna tribuitur; et Horatius III, Od. 18 a Fauno precatur, ut agris suis et parvis alumnis parcat. Auctor Romanarum Originum, Panem, Faunum, Inuum et Silvanum, ait, deum eumdem significare, et Plutarchus in Parallelis, Silvanum esse, interpretatur, Aegipanem, cujus formam semiferam Probus ei et Pomponius Lb. I, 20 addicunt; quamquam cum Virgilio nostro alii quoque et ipsos et eorum prolem, Panes et Silvanos, secernunt Ep. Myth, II, 30. p. 253 (68. p. 294). Verum est, non religionem publicam, interpretationem autem posteriorem Silvanum non minus, quam Faunum, cum Pane commiscuisse, et in signum seminum omnium rerum (ὕλη, *silva*) transformasse. Silvanus, vegetus senex Ov. Met. XIV, 639, rudis quasi silvicola conspicitur Hor. III, Od. 29, 24, cujus vox potentissima noctu ex silvis resonat Jul. Obs. 8, *peritus* pastor fistulae, et frondibus taedae coronatus Calp. II, 28. In Montefalconio editionis Germanicae t. XXXII, f. 7 secundum *la Chausse* specie effictus est nudi viri et barbati, in capite, sicut videtur, corona silvestris est, falx in dextra, in sinistra ramus, ante eum canis sedet suspiciens; et *fig.* 9 secundum Boissardum dimidiata ejus forma super columna, cum serto pineo. *Ferula communis L.*, a Graecis νάρθηξ, in Italia *Ferula*, ab Anglis *fennel giant* sive foeniculum giganteum dicta, e crassis, ramosis, intus medullosis caulibus, qui decem pedes amplius surgunt, folia emittit foeniculi et amplos corymbos floris lutei, qui secundum Plinium XXI, 9 s. 30 ad *serta* adhibebantur. Caules etiam nunc homines meridiani

adhibent baculorum ad usum, et secundum Salisium I, p. 24 ad chortes quoque oviles, sellas, gallinaria et caveas, et medullam, quemadmodum olim Prometheus, ad fomitem. *Lilium majus* II, 45, quod secundum Plinium ad altitudinem saepe pervenit trium cubitorum, et in Italia rosae comes est, floret trans mare, quod Plinius ex Theophrasto retulit, cum verno narcisso; cf. v. 20. 46.

26—30. Ipse *Pan*, regnator Arcadiae, ad nos venit, quamquam hic vix alias mortalibus apparet. *Ipsi*, Gallus et ego v. 16, rubram ejus faciem vidimus, et verba ejus audivimus. A *Pane* II, 31 perofficiose id actum erat, ut hospitibus cultu se suo festo exhiberet; quum apud Theocritum ne Daphnidi quidem, qui ei, deo suo tutelari, fistulam legabat moriens I, 123. 128, cum solatio adesset, propterque immitem naturam suam a pastoribus reformidaretur I, 17:

— — — — Est is acerbus,
Bilis semper ei residetque in naribus acris.

Rubra facie, qualis hic, in lata expositione Silii XIII, 332 Pan conspicitur:

Ac parva erumpunt rubicunda cornua fronte.

Plane rubentes secundum Horatium I Sat. 8, 5, Ovidium *fast.* VI, 333 Priapi erant imagines rusticae; et Satyri rubebant Philostr. *icon.* I, 20; Bacchus quoque in signis veteribus Paus. VII p. 452. VIII p. 520: in ore idem et Diana Ephesia in veteribus ex ligno signis Paus. II p. 88, leoque, argumentum Bacchi Frugiferi Arnob. VI p. 196 *). Jovi

*) *argumentum* eadem dicendi potestate, qua apud Pli-

Tarquinius Priscus in Capitolio signum consecraverat, quod, quoniam fictile erat, Censores et munus suum ineuntes et diebus festis *miniandum* locabant Plin. XXXIII, 36. XXXV, 45; cui eidem relationi Plutarchus addidit *qu. rom.* 98, signa deorum antiquitus rubro picta fuisse. Ipsi agricolae in Bacchanalibus ora sua fucabant, quemadmodum faecibus vini Lb. II, 380, ita minio nonnumquam Tib. II, 1, 55. Triumphantes quoque, secundum Plinium, nominatim Camillus, minio olim tingebantur, et unguenta semper coenae triumphalis miscebantur minio. *Ebulum*, *Sambucus ebulus*, planta est sambuco similis, quae in caulibus humilibus folia longa et fusca, et superne corymbos florum et baccarum colore sanguineo fert. *Baccae*, quibus Pan os sibi fucaverat, proximi superioris anni sunt. *Minium*, verbum Hispanicum, *cinnabari* erat *nativum*, genus quoddam vivi argenti, venis sulphureis permixtum. Graeci, qui saeculis id post Homerum noverunt, ἄμμιον id, arenam rubentem, nominabant, et partim nomine quoque Indicae cinnabaris, fructus ex Dracaena Dracone arbore pridem noti, κιννάβαρι: qua re noxii accidebant in medicina errores. Homeri μίλτος erat rubrica: quo ex genere Sinopis, quae ex Cappadocia primum per Sinopen, postea per Ephesios divendebatur, maxime erat celebris Plin. XXXIII, 36 ss. XXXV, 13. Pan alloquutionem suam sermone ebullit hominis morosi, qui et ipse insuper, quum Syringa, Pityn et Echo amaret, acerbitatem *Amoris* esset expertus. Similitudi-

nium h. n. 36, 4, 14: *nominum eorum argumenta*, *lacerta atque rana*.

nes ab officiis petit sui muneris, quum pastis non tantum quibusque animalibus, sed etiam feris bestiis et piscibus litoralibus praeesset, itaque sine dubio non minus, quam Priapus, deus agrorum Lampsacenus, pro *apibus* quoque agricolae curam gereret. Quamobrem in Anthologia μελισσόος, *motator apum*, praedicatur, et apud Theocritum ei V, 58 non lacte tantum, sed etiam melle litatur:

Octo feram lactis Pani mulctralia plena,
Atque favos calathis octonis melle repletos.

Cytisi culturam I, 78, quoque *apum* in usum, Columella, Florentinus commendant, et quis tandem non? Apes, Plinius inquit, auctore Democrito et Aristomacho, nusquam deerunt, ubi cytisi erit pabulum. Seritur, quod Dioscorides tradidit, circum alvearia, quoniam apes allicit. Florentinus addidit: quoniam nova examina lubenter in eo residunt, indeque in nova vasa commodissime attrahuntur.

31—34. Gallus a Diis, castigatoribus, ad misericordiam pastorum conversus: Age, verum sit, inquit, ut Amor lachrymis non mitescat; tamen vos (utinam faxitis!) de me canere poteritis, Arcades, dolorem meum quomodo aluerim et mortuus sim! — Pari constantia, se animo suo devovendi certus, Daphnis Theocriti neque Mercurio et pastoribus percunctantibus, neque cavillatori Priapo aliquid responsi dat, donec Veneris ei irrisio bilem movet; I, 92:

Nilque bubulcus eis respondens, passus amorem
Ipsius est acrem, Parcas passurus et ipse.

De cantandi peritia Arcadum ad VII, 4 diximus. *Montibus vestris*, quasi auscultantibus, resonantibus:

vide v. 14, qui precationis ratae factae testis est. *Haec*, a quibus *tamen* non desisto: amorem meum ad mortem usque permanentem. Mors ubi sub hilari imagine somni fingitur, ibi vota *placidae quietis*, terrae super ossa levis, lapidis ossa non aggravantis quotidianae loquendi formulae sunt. Animae meae qnamvis defuncti solatio sit, si ad argumentum vestrorum carminum, additis *fistulae* modis sive tibiae ex pluribus calamis II, 37, *meum amorem* non minus, quam celebratum Daphnidis, elegeritis. Vetus lectio, *quiescant*, *si dicat*, precatur modestius, quam confidentius *quiescent;* quamvis id et ipsum ad *dicat* bene se habeat IV, 58. VI, 10.

35—41. Sui status, a quo mortuo demum quies erit, cum tranquillitate Arcadiae comparatio optatum ei excitat, ut ipse Arcas, quamvis ex infimis tantum, fuisse malit. Tunc, inter secura negotia, amor certe non infelicem eum reddiderit. — *Fuisse*, non fieri, vult Gallus, qui morti se devovit. *Custos* gregis aut peculiaris V, 44, aut commissi III, 5. *Col.* VII, 12; hic hoc potissimum, ob *vinitorem* conjunctum, qui apud Columellam III, 3 est emtus, apud Plinium XIV, 3 conductus: ut ita Gallus desperans conditionem infimi Arcadis, qui aut egenum peculium sua manu, aut bona aliena mercenarii aut servi loco administraret, suae anteponeret. Hoc quidem si cui iniquius esse videtur, sciat is, in Arcadia non minus, quam Romae antiquae, et postea in oppidis et pagis incorruptis, servos multo liberalius, quam nunc nostros plerumque colonos ascriptitios, habitos esse. Arcades, Theopompus in Athenaei IV, 13 tradit,

festas epulas dominis et servis dant, unam mensam apparantes omnibus, communem cibum omnibus apponentes, eumdemque calicem omnibus miscentes. Haec res memoriam affert prisci Catonis, qui seminudus cum servis suis certatim opus faciebat, et inter illos sedens cibum potumque participabat. — Inter vos, Arcades, ex infimis, rebus quidem nonnullis caruissem, sed *certe* indulgentiae meae obsequentem puellam, venustum, quamvis sole adustum, puerum repererim. Rustica comparatio, quae *fuscum* colorem Amyntae excusare vult, in II, 18 Theocritum X, 28 imitata, hic paene ad verbum convertitur:

Nigrae sunt violae, scriptus niger est hyacinthus.

Nigra *viola* est ἴον eximie dictum, viola nostra *odorata* II, 47; *vaccinii* nomen, aeque ac hyacinthi, complectitur et Delphinium et Irin II, 18. III, 106. Incisum post *violae*, et *sunt* ad sequentia; ita versus et continuatio verborum spirat aerius. Non minus acute poëta Anthologiae fuscam suam Didymen restituit:

Nigra sit illa licet; quid refert? nigra favilla est:
Spira! et utraeque nitent ut rosei calyces.

Sententia ita consequitur: Phyllis aut Amyntas tempore meridiano sub umbra *salicum* prope torrentem cum pastore quiescerent VII, 45. Lb. III, 331; cum *vinitore* super toro frondium sub tecto *vitis* venuste inflexae, v. *Cop.* 6, 8, 31. Illic Phyllis flores mihi camporum ad serta legeret, hic caneret ad hilarem potionem Amyntas. Ergo post *salices* incidatur. Salices vitibus circum satis Colum. V, 7 in paludstri

quidem regione erant Galliae citerioris, ubi aliae arbores nullae crescebant; vix in Arcadia montana. Nedum *salices* vocabulum plurali numero, sine dubio salictum, quale III, 65, vitem unam ferat, descriptionisque non debilitetur sententia. Calpurnius III, 26 puellam describit, quae cum amatore suo calamos arundineos ligat, et sub ilice canit; vel v. 56 Lycidam,

— — — cui dulcia saepe (Phylli) *dedisti*
Oscula, nec medios dubitasti rumpere cantus,
Atque inter calamos errantia labra petisti.

42—43. Insomnium Phyllidis Arcadicae, quae cum eo, quippe pastore, in salicto quiescit, lineamenta repente Lycoridis suae assumit. Praeclare! En, inquit, o Lycori, campos amoenos montium, ubi cum grege meo aestu meridiano requiesco! Hic in *frigore* opaci salicti aliarumque arborum plenus *fons*, qui pluribus ex venis rupium confluit: *fontes* V, 40. VII, 45. Hic circum rivum ex alto serpentem *prata* turgent herbis recentibus; et prope viret *arboretum* pascuum; *nemus* VIII, 86. Descriptionibus aeque illicientibus pastores Theocriti ad opacas sedes fontanas se invitant; I, 1:

Suavis et, upilio, pinus est ille susurrus,
Fontibus, en! modulans superadstat: suaviter ipse
Inflas et calamos; post Pana eris alter honore.

Et V, 31:

— — — Hac sub oliva
Tu meliora canes, hujus lucique sub umbra;
Frigora desiliunt, en! fontis; nascitur herba;
Graminis atque tori sunt hic; loquiturque locusta.

Hic, o Lycori! malim mihi tecum, mutuo amore con-

juncto, supremum diem seni obrepere; quum nunc sollicitudine ego ob te amissam immatura morte abripiar. Sensum hoc, contentione facta animos commovens, Penelope coram conjuge suo profitetur Odyss. XXIII, 210:

> — — — *Dederunt Di mala nobis,*
> *Invidere domi nobis qui nos residere,*
> *Pubertate frui, tandem gustare senectam.*

Aevum, vitae spatium, a cunabulis usque ad sepulchrum, naturales vitae termini Lb. III, 66. IV, 206. Quare optatum ejus ad verbum est, ut ***anni ei appensi sua sponte*** paulatim eum conficiant. Ita jam Ascensius.

44—49. Vanum optatum, tranquillum Arcadem fuisse malle, et cum tenella aliqua Phyllide, aut tecum, mea Lycori, vitae terminum assequutum esse! Contra nunc ab amoris ego insania, mediis in belli tumultibus, auferor; tuque me fugis, vel trans Alpes Boreum ad Rhenum usque, o crudelis, verumtamen amata! — Qui totius continuationem, non proximas tantum periodos, respexit, vix eum praeterire poterat, Gallum, qui v. 35 pastor Arcadicus fuisse mavult, non quasi pastorem vere Arcadicum, sed improprie tantum in Arcadia collocatum, adesse. Falso opinatus, pastoris eum induisse speciem, Servius v. 44 ***me*** per ***animum meum*** interpretatur: pectus meum Lycorin sequitur, vel ad castra bellica; et Heumannus corrigebat ***te***: te, Lycori, amor insanus commovet, ut rivalem vel ad bellum comiteris. — Bellica Galli negotia, dum Gallica expeditio suam ei Lycorin abstulerat, ne buaerantur alibi, quam in Italia; quoniam peregrina-

tionem amatae procul a *patria* Gallus queritur: nec nisi in anno DCCXVII, qui solus hac in aetate annus hostiles in Italiam incursiones cum fama expeditionis ad *Rhenum* usque factae conjungit. Dio Cassius auctor est, anno DCCXVII Caesarem Octavianum omnibus viribus nisum esse, ut classem suam proximo anno a Sexto Pompejo devictam restitueret, et ab irruptionibus victoris audacis, qui ob felicitatem suam Neptuni filius esse credebatur, oram Italiae defenderet. Novam classem parandam et portum Julium apud Bajas condendum Lb. II, 161, in quo, secundum Suetonium, per totam hiemem illa exercebatur, consuli committebat ex Galliis revocato Agrippae, qui illas rebellantes modo sedaverat, decretum triumphum tantum propterea, quod Caesaris in infortunio laetari ei indignum videbatur, deprecatus. Ad tot negotia, in ipso anno DCCXVII perfecta, prima certe aestate redire Agrippa debuit; inquietas Gallias pacatum, jam proximo superiore anno DCCXVI trans Alpes transisse debuerat. Nam non tantum, Appiano auctore, Gallos Aquitanos victoria debellabat, qua jacentem Caesaris erexit animum; sed etiam, Romanorum ducum, sicut Dio loquitur admirans, alter, trans Rhenum transiit; imo tunc temporis, quod Strabo narrat et Tacitus, Ubios in ripam sinistram traduxisse creditur, quorum urbs postea per ejus neptem Agrippinam Romanam coloniam nomenque Coloniae Agrippinensis (hodie Köln) accepit. Ergo Gallia, intestinis Romanorum excitata discordiis, a Pyrenaeis ad Rhenum usque, cum aliqua parte Germanicorum accolarum arma ceperat in libertatem se vindicatum Lb. I, 509. Motus autem

istos etiamsi minores fuisse fingamus; Agrippa, si vere demum anni DCCXVII Alpes transcenderit, qui fieri potuit, ut post paucas dierum hebdomadas totam Galliam peragraverit, certusque triumphi tantos ad apparatus redire potuerit? Quodsi haec argumenta cum hujus eclogae indiciis comparamus, haec ejus rei consequetur ratio. Gallus inter Caesaris bellatores erat, qui inde a proxime superiore anno Sex. Pompeji vim a Campania aliisque oris Italiae arcebant. Aestate anni DCCXVI ejus Lycoris alium ducem in Agrippae exercitu in Galliam ulteriorem sequuta erat. Per hiemem de victoria Aquitanica et glorioso Rheni trajectu Gallus audierat, et hoc postremo argumento in carmine quodam usus erat, ex quo, secundum Servium, quatuor versus 46—49 Virgilius recepit. Et veris tempore, quum jam Arcadiae ferulae et lilia florerent, scripsit Virgilius hanc a Gallo expetitam eclogam, recentis collectionis novissimam; dum fortasse jam Agrippa, sed sine exercitu, rediens erat in Italiam. *Insanus amor*, vehemens et in perfida puella periens. Pro debili et ob *dura*, quod sequitur, minus ferendo *duri Martis*, lego ego *diri*, quod liber unus Lugduno-Batavus et tres Hafnienses *A. C. D.* praebent. Junctura veterum: *procul tantum;* procul, et quidem, utinam id credere nequeam! *tam longe!* — multo est validissima. Nam, *nec sit mihi credere*, ut Camerarius suadebat, si cum *tantum* conjungimus, *μὴ γένοιτο τοῦτο πιστεύειν!* nihil id declararet amplius, praeterquam quod illud ipsum; modo fortasse jejunius. Aliae hariolationes, qualis *tantum Alpinas nives*, nihil praeter nives

Alpium, vix dignae sunt, quae referantur. Crimen ambiguitatis non reformidabant veteres, quoties una interpretatio sententiam efficiebat nobilem, altera debilem aut stultam; lectores sibi proponebant animo sapientes et benevolos II, 22. Me ut fugias, o *crudelis*, abis ex *patria* (importunissima Romano cogitatio) et tam longe, et usque ad septemtriones rigentes. Non aeternas modo *Alpium* nives cum horrore incolae appellabant mitis Italiae; sed magis etiam frigus continenter ultra augescens Galliae et Germaniae, quarum terminus, *Rhenus*, sub vento Borea prope circulum Arcticum v. 65 in Oceanum aquam effundere, supraque se tenuem arcum terrae habitabilis habere videbatur Lb. III, 349—383. Hieme, Hyginus inquit *Poet. astr.* 1, 8, quum apud ipsos nos, soli ita vicinos, nimium frigus sit; quantum erit frigoris multo superius, ubi, prope circulum Arcticum, braccae ad frigus defendendum (*Gallia braccata*) aliaque velamina usui sunt. Vel Tasso XIV, 34 de Rheno loquitur gelato *prope polum*. In campis istis glacialibus, specie adeo Sibirica, Gallus timebat, amori suo fidelis, Lycoridis ne pedes tenelluli non illaesi ire possent; discalceata quoniam, hominum more meridianorum, levibus incedebat soleis: Ep. Myth. I, 20. 21. Idem ob suam puellam Propertio quoque I, 8, 7 jam in Illyria curae est:

Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas?
Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?

50—54. Age, carmine bucolico dolorem meum leniam, et, in Arcadia remanens, solitudine ego amorem meum fovebo! — Amata sua privatus, Gallus

non in turbulentis belli tumultibus, verum in Arcadiae quietissimis somniis, solatium sibi quaerere vult: ita plane anima sitiens unius amatae plena est. Carmina mea moduli *Chalcidici*, post *Euphorionem Chalcidicum* a me secundo cantata VI, 64—73, calamos ego inflans arundineos *Siculi pastoris* Theocriti, edicam I, 2. V, 14; i. e. in Theocritea idyllia transformabo illa. *Euphorio*, *Chalcide* Euboeae natus, poëta erat uberrimus Alexandrina aetate, et bibliothecae praefectus magni Antiochi. Tum propter abstrusas fabulas, tum ob eloquutionem artificiosius comptam obscurus a Cicerone de divin II, 64 appellatus, a Tiberio idem imprimis amabatur. Quintilianus X p. 218, nonnullos, ait, hic eum a Virgilio approbatum credere; ipsi minus placere videtur. Plane autem integra vix fuerit approbatio; Gallus enim, ad quem proprie laudatio respicit, fabulas quidem Euphorionis, sed colore tractaverat, qui simplicitatem referebat Hesiodi VI, 70: ut id propterea nonnullae, paululum immutatae, quasi idyllia quaedam Theocriti rustice conformata videri possent. His autem blanditiis, quas adsperserat, Virgilius saepius jam amico plura idyllia petenti facile responsum habuerit. Modeste Gallus tibiam sibi elegit ex unius culmi tubulo, *avena* I, 2, significaturus, se modos tantum infimos Theocriteae musicae aequiparare velle. Varietas *meditabor* manavit ex I, 2. Praeter carmen modo tactum miserabile Gallus tum temporis nullasdum in Lycorin elegias scripsisse videtur v. 9, quum Euphorionis tantum in Arcadia fabulas sibi canendas proponat. Certum est, turbis istis hominum v. 44 re-

nuntiare, *potiusque* in *saltibus* his solitariis, *sub lustris* saxosis, sitiens meum desiderium *pati*, *nomenque amatae* in arbores incidere. *Spelaea*, σπήλαια, pro tritiore *speluncae*, peregrinitatis causa delectum, ipsius Galli in Ciri v. 467 exemplo. In montibus Arcadicis non *apri* tantum v. 56, sed lynces etiam et ursi fuerunt VIII, 3. Amatores Graeci in parietibus, in corticibus arborum et foliis validioribus amatae nomen delineare solebant, pulchrae praedicatione addita, Κυδίππη καλή, *Cydippe pulchra*, Callim. *fr.* CI; saepe quoque, si majorem haberent in corticibus scribendi exercitationem V, 13, longiorem ῥῆσιν, qualem apud Theocritum XVIII, 47 Helenae comites in platano:

Sculpetur signis in cortice, praeteriens ut
Dorica scripta legat: Vereare: Helenae haec ego planta.

Amores dici potest *amata*, cujus *nomen* cum arboribus crescit. Ita Ovidii loquitur Oenone de fagis, in quibus Paris nomen ejus sciderat, *Her.* V, 23:

Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt:
Crescite, et in titulos surgite recta meos.

Sed usus Virgilianus validiori favet sententiae: ut cum arboribus, quae confessionem ferunt amoris, ipse *amor*, desiderium fuga elapsae, accrescat.

55—58. Dum vitam hanc ago tranquillam Arcadiae inter carmina pastorum et desiderium amoris, varians ego, modo bacchante cum Oreadibus altorum montium chorea, modo venatione robusta, curas dispellam. — Quamvis amore periens, Gallus tamen ne sic quidem fortitudinem animi despondet. *Interea*

sententiarum hic continuatione potestatem nanciscitur, *interdum*, *nonnumquam*, quam apud Silium VII, 395 habet. *Mixtis nymphis*, cum nymphis sociatis, pro tritiore *mixtus*. *Lustrare*, quum venationi opponatur, quid aliud demum sit, nisi cum Nymphis, Bacchi comitibus, ferventes choreas ducere? imago summae poëseos lyricae, ad quam ab humili pastorum fistula Gallus se elaturus est. Ita in Horatii carmine ebrio III, 25 in Bacchum, rectorem *Naidum* et Baccharum, Rhodopen pedes barbarici pulsant: *lustratam Rhodopen*. Apud Virgilium quoque *Aen.* VII, 391, *te* (*Bacche*) *lustrare choro*, circum te choro vagari; et *Aen.* X, 224, *Aenean lustrant choreis;* item Claudianus VIII, 150. XL, 25. In alio carmine II, 19 Horatius Bacchum conspexit ipsum *Nymphas* suas et Satyros ipsius ad modos saltatum ducentem:

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, (credite, posteri!)
Nymphasque discentes, et aures
Capripedum Satyrorum acutas.

Et statim in primo carmine ad Maecenatem gloriatur, se, consuetudine cum Bacchicis *Nymphis* supra sentiendi rationem profanae plebis elatum, carmina lyrica pangere:

Me doctarum hederae praemia frontium
Dîs miscent superis. Me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo: si neque tibias
Euterpe cohibet; nec Polyphymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.

Sophocles quoque (*Oed. T.* 1106), Bacchum, ait,

cum Nymphis Heliconiis πλεῖστα συμπαίζειν, crebras choreas agere. Orator Himerius, qui multos flores poëtarum deperditorum spargit, *or.* I, 20 ad festum diem agendum Musas et Nereides et choros Nympharum vocat, et sonum Dryadum et salientes Satyros, Panaque calamos inflantem et totam Bacchi choream. Alio loco XX, 2 circum Apollinem, qui ad lyram canit, non modo Musas saltare facit, sed etiam Dryadas et Oreades, *quae tunc Musarum instar* habentur: cf. v. 1. 10. *Venationem* sibi Gallus heroicus periculosam eligit acris *feri apri*, laboriosam in media *hieme* Lb. I, 318; pacatioribus pastoribus relinquens, ut pedo suo V, 88, si ita ferat occasio, ad lepores feriendos, λαγωβόλος, utantur. *Parthenios* sive *Parthenion*, montes ultra Stymphalidem paludem, qui ab agro Tegeaeo ad Argivum usque porrigebantur. *Saltus*, convalles silvestres inter rupes supinas et declivia, quorum angusti aditus facile obsideri poterant.

57—63. Cogitatio venationis Arcadicae animum Galli jacentem paulisper erigit. Repente recordatur, hanc quoque vix ejus cruciatum lenire posse. Itaque simul cum ea choreis quoque Nympharum renunciat, et carminibus bucolicis, quae apud se decreverat, imo ipsis Arcadiae saltibus. — Magnum animum nisumque contra animi libidinem virilem indicat, quod venatio hiberna, et incedere saxa inter praerupta et praecipitia (*rupes*) et silvas condensas (*luci* VIII, 86), in quibus procella et clamor venaticus *sonat*, cum telis eminus ferientibus, tam ei laetum videtur. Praestantiae causa *arcum* appellat *Parthicum*, et sagittas

Cydonias, ab urbe *Cydonia* sive *Cydonio*, capite Cydonum inter Cretenses sagittarios. Tela enim Arcadica, quae pastor debebat Arcadicus gerere, tantopere cum celeberrimis aemulabantur, ut apud Claudianum VIII, 161 Diana *Maenalios arcus* et *pharetras* amico suo dono ferat. Xenophonte auctore, Persae, parentes tunc reformidatorum Parthorum, arcus habebant permagnos; erant, qui paene trium cubitorum, et sagittas ultra duos cubitos longitudine. Cur tandem hac una in comparatione Virgilius non acquievit? Plinius XVI, 65, hamatas sagittas arundineas, ait, quibus Orientales solem in pugna obumbrabant, ob levitatem suam, diebus tantum serenis, vento nullo nullaque pluvia, adhiberi potuisse; tempestatem vel indutias fecisse. Calamus autem maxime ad *sagittas* idoneus erat, praeterquam Rheni, Bononiensis amnis, *Creticus*, qui, plenus medullae et ponderosus, contra ventum quoque ferebatur, insuperque internodia emittebat longissima, igneque flexibilia; quare Theophrastus IV, 12 calamum sagittarium eximie *Creticum* appellat. Arcus igitur nominibus plurium populorum honorari poterat; sagittae ab loco tantum Cretico; quemadmodum Aen. XI, 772:

Ipse, peregrina ferrugine clarus et ostro,
Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu.

Spiculum cuspis appellatur et jaculi et sagittae. Ante *tamquam* Gallus paulisper se sustinet, et tum, converso sermone, condemnat, quae modo placuerant: *Perinde ac si hoc — — sit!* pro, verum haec non sunt. Ita Horatius II Ep. 2, 171: *Tamquam sit proprium quidquam!* perinde ac si sit aliquid

proprium! *Haec* pertinet ad *medicina*, quemadmodum *haec potior soboles* Lb. IV, 100, et Terentii *haec illa miseratio est;* itaque requirit *sit*, non *sint*, quo *haec* ad proxime antecedens *spicula* restringeretur. *Deus* est Amor. *Malum*, dura vita silvestris, qua ego usus contra animi libidinem annitor: quale Lb. II, 168 *adsuetus malo Ligur*. Desperans non tantum saltationes istas Oreadum temulentas deponit, quibus v. 55 se oblectare voluerat, sed etiam omnem cantum, quo v. 50 sibi blandiebatur, et universum decretum, Arcadem fieri silvicolam. Nomen *Hamadryades*, sive, quod idem valebat, *Dryades* (*Plut. Erot.*), pro Nymphis, quae simul cum arboribus commissis et fiunt et emoriuntur, Arcadicae erat originis. Arcades, Pausanias inquit VIII, 4, *Dryadum* et *Epimeliadum*, i. e. Nympharum arborum et Nympharum pecudum, nomine, Naïdes suas sive Deas fontium dicunt; quum Homerus Nympharum eximie Naïdum mentionem faciat. Profecto Homerus Il. XX, 20 Nymphas nemorum, fontium fluvialium et vallium, et, quoniam silvae et fontes in montibus sunt, Nymphas quoque montium Odyss. VI, 123 sive *Orestiades* Il. VI, 417, postea Oreades dictas, novit; Dryadum autem nomen et ipsi et omnibus ad Pindari usque aetatem ignotum est. Hesiodus quidem Nymphis, quas cum Satyris jam Arcadicis sociat *Strab.* X p. 471, vitam tribuit longam et emorientem, et, si Nymphae *Μελίαι* a fraxinis nomen suum invenerunt, aliquibus quoque societatem cum arboribus; et hymnus Homeridae in Venerem v. 258 Orestiades celebrat, quae, longaevae, ambrosia nutritae,

cum immortalibus saltant, a Mercurio et Silenis amantur, et aequales abietes et quercus lucis illaesis tuentur: attamen Grammatici in Apollonium, in Etymologico et in Plutarcho, Hamadryades interpretaturi, ad Pindarum tandem provocant, dicentem, *terminum* iis *aevi arbores aequantis* datum esse; ita, ut poëta Orphicus, in hymno in Nymphas I, 13 *puellas Hamadryades* invocans, hac ipsa invocatione juventutem suam prodiderit. *Concedite*, cum vehementia, de via decedite! pro, vos ego deseram.

64—69. Istum crudelem nulli umquam dolores placabunt, etiamsi hibernae glaciei extremi Boreae, calori aestivo ultimi meridiei me objiciam. Quare, age, omnipotentis numen sedate feramus! — *Labores* sunt contentiones istae postremum decretae animi et corporis, quibus amator remoto aliquo in angulo terrae carmine sublimi et venatione hiberna infelix desiderium ex animo excussurus erat. Quae contentiones, tantum abest, ut prosint, ut ne patientia quidem glaciei Thraciae et aestatis Aethiopicae prodesse possit. Similis est locus Theocriti VII, 111, qui Pani minatur:

Sive jugis lateas Edonis tempore brumae
Hebri propter aquam, septem regione Trionum;
Sive apud Aethiopes pascas, aestate, perustos,
Sub saxo Blemyum, Nilus non unde videtur.

In ovata tabula Eratosthenis arcus superior inter septemtriones occidentis solis et septemtriones orientis solis *Scythia* appellari solebat; saepe quoque nomine dicebatur antiquiorum tabularum *Thracia*, quae terra hac potestate amplissima Hyperboreos,

Scythas, Amazones, Getas, Gelonos, quasi gentes singulatim Thracias, in se continebat Lb. II, 115. Haec res, sed magis etiam veri circuli Arctici sive Polaris, qui, ad frigidam zonam definiendam, a veteribus Geographis ad gradum usque quinquagesimum quartum porrigebatur, quae facta est cum circulo isto Polari variante permutatio, qui, eo major quum sit, quo altius polus assurgit, gradu jam quadragesimo quinto supra verticem stringens: id vulgari errori originem dedit, ut *Thracia* quoque *propria* nimis propinqua Septemtrionibus et paene sub ipso Arcto posita crederetur; cui errori frigus ibi montanum insuper favebat, cf. v. 47. Lb. III, 351—383. *Hebrus*, flumen maximum Thraciae proprie dictae, nunc Marizza, ex montibus oritur Haemi. Hiems eum quoniam, quod dirum erat Romanis, glacie jugabat ferente, propterea apud Horatium I Ep. 3, 3 *nivali compede vinctus* dicitur. *Sithonios* Plinius IV, 18 ultra Haemum, qui ad Istrum vergit, prope Pontum Euxinum collocat, genitores eos Orphei poëtae appellans; secundum Gellium XIV, 6 Thracia pridem *Sithon* nuncupabatur. Herodoti autem Sithonia circum Sithonen oppidum erat Macedoniae, cujus partes superiores saepe Thraciae esse existimabantur. Romani, *hiemibus* assueti *pluvialibus* Lb. IV, 234, homines quoque septemtrionales per longam hiemem, vel in zona frigida Lb. I, 236, *caerulea glacie concretos atque imbribus atris* sibi fingebant. Ita Horatius I Od. 22, 17:

Pone me, pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura;

*Quod latus mundi nebulae malusque
Jupiter urget.*

Vehemens sane calor aestivus, quo frumentum non tantum et gramen, quemadmodum VII, 57, cum nuda vite siti perit, sed vel intimus *liber altae ulmi* vitiferae aestu necatur. *Aethiopes* in fabuloso orbe terrarum illius temporis a meridiana plaga orientis solis ad meridianam plagam occidentis solis, plures populos complexi, extremum arcum occupabant prope Oceanum, qui ab exitu sinus Arabici ad Europam versus coarctabatur. In urbe Syene jam, quae sub tropico *Cancri* erat, diebus longissimis meridianum solem supra caput habebant. Strabo eos plerosque Nomades pauperes esse dicit, qui, vel nudi vel pellibus tecti, ipsi exigui statura, cum exiguo pecore *ovium* capillo caprino, caprarum et boum, cum canibus quoque parvis, sed pugnacibus, per patriam, sole ustam et macram, palantur. Hos vagos errores pastorum, quos Virgilius Lb. III, 339 describit, verbum pingit *versare*, saepe vertere, circum agere, nulla ratione habita Graeci πολεῖν: alias enim saepius id legeretur. Nihil Amori resistit: proverbii instar exclamatio ex Ciri v. 437. Quare et ego me ejus potentiae subjiciam. Cum hoc decreto Gallus Arcadiam relinquit.

70—74. Poëta, personam gerens caprarii v. 7, narrationem hic abrumpit, non lente exprimens, quomodo Gallus, numini se dedens Amoris, ipso poëta comite, ex Arcadia redierit, et, ex voto suo v. 32, a pastoribus Arcadiis montis Maenali et Lycaei v. 14 defletus sit. Satis sit, haec eum, Musarum beneficio

animos inspirantium recordatum, cecinisse. Recordationem usu expertorum in septima quoque ecloga v. 19 a Musis expetiit, nec minus tamen v. 69 in expositione maxime eximii acquievit. At quare Musae, quum Arethusa tamen animos esset inspirans? Scilicet haec erat, quae, ad Theocriti sonum inflandum, imprimis advocabatur; sed, ut cum Homero loquar:

Sola nec illa; puellae aderant, quae carmina amabant.

Quam saepe in advocandis Musis una appellatur! Soli Thaliae in principio sextae eclogae poëta se dicare videtur, et statim postea, pariter atque hic, cunctae Pierides praesto sunt. *Corbes* aliamque supellectilem *texere*, pastorum commune negotium erat II, 71. Hanc *corbulam* ex *hibisco*, de quo II, 30 dictum est, ad caseos formandos caprinos caprarius destinavit: quemadmodum apud Columellam et Calpurnium casei vel in minoribus vel in majoribus corbibus (*fiscellae, calathi*) formantur. Etiam de Apolline pastore Tibullus II, 3, 15 canit:

Tunc fiscella levi detexta est vimine junci,
Raraque per nexus est via facta sero.

Adjectivum *gracilis* designat tenuitatem, longitudinem, exilitatem virgarum ex hibisco, nihil id alludens ad tenuem hujus eclogae aut universae collectionis tractationem. *Pierides* ego non cum *divae* conjungo, quod fieri vetant interposita; sed, quasi novam alloquutionem, cum sequentibus. *Pierides puellae* III, 85. VI, 13. *Amor* in Gallum eum adegit, ut tristem eventum amici solus, a silvis tantum auditus v. 8, caneret, inque eo officio se retardaret v. 75.

Amor *crescit* mihi tam cito et tam vehementer, quam vere novo et succi pleno *alnus* ramos emittit. Arbor est facile crescens, in quam vocabula *viridis*, de alacri viriditate recentis frondis VII, 46, et *se subjicit*, sursum se jactat, paene in conspectu nostro se extollit, apte cadunt. Horatius arboris crescentis similitudine I Od. 12, 45 de gloria Marcelli, occulte quidem, sed fortiter surgente, et III, 30, 7 de sua ipsius usus est; quemadmodum Pindarus quoque *Nem.* VIII, 68 de laudata praestantia:

Virtus viris sic a sapientibus
Et culta justis scandit ad aethera,
Coelum appetens ut surgit arbor
Roribus a vitreis rigata.

75—77. Prae contentione animi, in amici sortem intenti, noctem caprarius appropinquantem, qua redeundum est, non observavit. Surgit, ne post calorem aestuantis amore et dolore carminis umbra juniperi stupefaciens frigore vespertino noceat, et capras de monte depellit. — Gravis, inquit, canentibus saepe umbra est, juniperi imprimis; ipsis frugibus umbrae quaedam nocent. In *cantantibus* significatio inest morae et industriae; ut *cunctantibus* emendatio sit infelix. Lucretius VI, 783, umbram, ait, certarum arborum tam gravem esse, ut dolores capitis faciat, si quis super ea prostratus jaceat. Et Plinius XVII, 18, umbram juglandium gravem esse et stupefacientem, et noxiam omnibus juxta satis; tonsarum ulmorum (quae, vitibus circum satis, inter frumenta quoque erant) lenem quidem esse etiamque nutrientem; emissas autem in ramos et ipsas suffo-

caturas esse; sed, praeter juglandes, pinorum, picearum et abietis non dubie venenum esse (plantis, credo, noxium). Praeterea XVI, 20 in Arcadia (Dioscoride auctore, in Gallia quoque Narbonensi) exhalationem maris taxi, quam σμίλακα apud Graecos appellari, tam praesentis veneni esse, ut, qui obdormiant sub ea cibumve capiant, moriantur. Igitur de juniperi quoque vel vera vel opinata noxia, in rore praesertim horae vespertinae, pastoris testimonio facile sit fides habenda. De *junipero* v. VII, 53. *Hesperus*, sempiternus poëtis noctis praecursor VIII, 17, *venit* sive ex luminis radiis conspicuus exit VIII, 30, quod et ipsum nonnumquam ortus appellatur.

INDEX IN NOTAS.

Ad emtores.

Pro pagina 189 s. et 215 s. tomi prioris pagina 189 s. et 215 s. in calce ejusdem tomi addita *illigabitur*.

Pagina 28 versu 18 tomi secundi pro *jus* legetur *cujus*.

THE BORROWER WILL BE CHARGED
AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT
RETURNED TO THE LIBRARY ON OR
BEFORE THE LAST DATE STAMPED
BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE
NOTICES DOES NOT EXEMPT THE
BORROWER FROM OVERDUE FEES.

CANCELLED
JUL 30 1986
4495433

CANCELLED
OCT - 6 1986
2002268

Lv 19.345
Commentarii virgiliani.
Widener Library 007121569
3 2044 085 246 197